



31761 08111225 2







Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto

I

FONTES  
RERUM TRANSYLVANICARUM

(ERDÉLYI TÖRTÉNELMI FORRÁSOK)

TOMUS V.

# ANNUAE LITTERAE SOCIETATIS JESU

## DE REBUS TRANSYLVANICIS TEMPORIBUS PRINCIPUM BÁTHORY

(1579—1613)

---

COLLEGIT ET EDIDIT

DR ANDREAS VERESS

SUMPTIBUS

IOSEPHI AURELII E. L. B. VÉCSEY

DE VÉCSE ET HAJNÁCSKŐ

SS. THEOLOGIAE DOCTORIS

PROFESSORIS ET PRAEFECTI SEMINARII ALBENSIS



BUDAPEST  
INSTITUTUM FONTIUM HISTORICORUM HUNGARIAE

1921

III

# ANNUAE LITTERAE SOCIETATIS JESU

## DE REBUS TRANSYLVANICIS TEMPORIBUS PRINCIPUM BÁTHORY

(1579—1613)

---

COLLEGIT ET EDIDIT

DR ANDREAS VERESS

---

(CUM 22 FACSIMILIBUS)



VESPRIMII  
EX TYPOGRAPHIA DIOCESANA

1921

DB  
727  
J4





## PROOEMIUM.

**E**CCLESIASTICAM historiam Transylvaniae, magis que vitam Jesuitarum a Stephano Báthory Poloniae rege initio anni 1579 illuc missorum primario non solum eorum *epistolae* Romam translatae illustrant, sed praecipue et illae *litterae annuae*, quas Societas Jesu incipiendo ab anno 1583 ad emolumentum et directionem in lucem edidit. Secundum institutiones Societatis enim singulis collegiis relationem de propria domo conficere Provincialique transmittere praescriptum erat,<sup>1</sup> a quo perlustrata supremo Generali Romam expediebatur. Hae litterae annuae referebant de numero religiosorum et eorum officiis, de meritis defunctorum, de successu, qualis in frequenti confessione, concionando, in exercitiis spiritualibus, aegros captivosque visitando apparebat, qualis fructus in moribus reformatiis, ex catechesibus, in missionibus, Congregationibus Marianis et aliis piis confraternitatibus proveniebat. Minime praetereundae erant difficultates, quae ab adversariis contra collegia domosque Societatis moliebantur, item et beneficia, in quibus ope fidelium et patronorum Societatis benignitas divina palam suam misericordiam ostendebat. Hinc-inde etiam eventus maiores totius

<sup>1</sup> De litteris annuis mentionem legimus etiam in epistola scripta 15. Ianuarii 1586 in Besztercze. (Fontes Rerum Transylvanicarum II. 151.)

orbis terrarum commemoratos invenimus, in quantum nempe cum Societate relationem habebant. Maxime autem attendendum erat in his litteris annuis, ne quid contra sigillum confessionis fieret aut personis agentibus, eas nominando, malae famae notam inureret. Quod autem etsi memoria dignum neque tamen divulgandum esset, seorsim notandum et conservandum erat.<sup>2</sup>

Hae litterae annuae diu thesaurus absconditus et ingenti multitudine archivo Collegii Romani traditae erant, etsi Societati maxime intererat, ut collegia dissitissimis in locis collocata invicem de suis laboribus certiores redderent et per facta eximia, industriam laudibus ornatam, fructumque relatum ad strenuos labores hortarentur. Actum est de hac sat gravi re in Congregatione Generali, vere anni 1581 habita, in quibus decreto confirmatum est, litteras annuas colligendas singulisque provinciis transmittendas esse, ad quod opus omnes provinciae commune subsidium offerant.<sup>3</sup> Primus horum fuit P. Ioannes Antonius *Valtrinus*, qui iam anno sequenti litteras annuas 1581 iuxta provincias collectas unico tomo in forma 8<sup>va</sup> etiam in lucem edidit, qui ut primus sub titulo «Annuae Litterae Societatis Iesu ad patres et fratres eiusdem Societatis» ineunte anno 1583 Romae publici iuris factus est, in cuius prooemio, quod 1 Novembris 1582 scriptum, legitur, hocce opusculo faciliter totius Societatis prospectum patere a sociisque omnia eius statum concernentia perspici posse.<sup>4</sup>

<sup>2</sup> Joseph Gény: Die Jahrbücher der Jesuiten zu Schlettstadt und Rufach. Strasburg, 1895. Vol. I. (Annuae litterae Collegii Selestadiensis et Residentiae Rubeacensis: 1615—1713.) pag. XVI—XVII.

<sup>3</sup> Canones IV. Congregationis Generalis. 12.) Posthac ex omnibus Provinciis singulae annuae litterae mittantur Romam; ut ex illis omnibus una epistola fiat, quae ad singulas easdem Provincias mittenda sit: quae quidem conficietur ab aliquo ex Nostris ad hanc rem perficiendam idoneo, qui sumptibus Provinciarum in Collegio Romano alatur. Expensae vero ad exempla annuarum per externos describenda etiam a Provinciis solventur. Canones Congregationum Generalium Societatis Jesu (Antverpiae, 1635.) pag. 45—46.

<sup>4</sup> Consuetudo haec perscribendi, quae singulis annis a nostra Societate diversis oris partibusque terrarum ad Dei gloriam maxime illustria gerantur, et a maioribus instituta sapienter est, et ipsis Societatis legibus piae sancita. Etenim, cum omnes fraternali caritatis vinculo adstricti simus; quae nostri fratres tot locorum intervallo disiuncti a nobis gerant, ea cognoscere iucundissimum est: animique hac rerum communione, tum coniunguntur inter

Litteras Annas impressas primo meo itinere Romano (initio anni 1901) cognovi cumque viderem earum totam seriem in bibliotheca Collegii Romani — nunc Vittorio Emanuele dicta — extare et volvendo singulos tomos delectatio mea fere summum gradum attingeret, omnia quae de Transylvania agerent, paulatim descripsi et ut completam materiam collectioni meae historicae inserere decrevi.

Iuxta praescripta Societatis Litterae Annuae fere solum ea continent, quae sociorum profectum spiritualem et emolumentum promovent, quae tamen etiam extraneis communicari possunt.<sup>5</sup> Nihilominus fontium valorem praeseferunt, cum *litterae officiales* sint, quare et fide dignae et de vita Patrum talia contineant, quas alibi quaerere frustranenus esset labor. Ita et de rebus factisque Transylvanicis, etsi de actis primorum patrum Jesuitarum ex annis 1579—1588 sat magnam congeriem epistolarum collegi et edidi in duobus tomis.<sup>6</sup> Huius causa in eo est, quod dum res quotidiana aduersaeque vitae communis in epistolis illustrantur, iam litterae annuae utpote etiam cum aliis communicandae, a historiographis collegiorum ita

se magis, tum vero ad eadem aemulanda acrius inflammantur. Sed in multis commodis, quae huiusmodi consuetudo afferebat, illud tamen incommoditatis inerat; quod cum omnes, qui Societati sumus addicti, iisdem fere muneribus fungamur; eadem quoque contingere plerumque diversis in locis acta esse, quae non sine fastidio quodam ac sacietate in provincialibus litteris separatim scriptis toties inculcarentur. Accedebat summum laborem atque molestiam suscipi a Societate in his litteris, tum describendis, tum perferendis: quae, cum neque eodem tempore, neque eadem ratione conscriptae redderentur: sic fiebat, ut et earum dissimilitudine memoria perturbaretur; fructusque qui ex perpetua narratione percipitur maximus, importuna illa interpellatione impediretur. His omnibus incommodis proxima generalis Congregatio prospexit, quae decrevit, ut ex omnibus provincialibus litteris annuis Romam perlatis, unum corpus perficeretur, idque posthac ad singulas Societatis Provincias mitteretur: sic enim sacietati, et maximo labore sumptibusque consulitur, Societatisque nostrae status universus sub uno quasi aspectu ponitur, ut quae a Nostris remotissimis regionibus disperse geruntur, ea in unum contracta, facilius et iucundius, nusquam interrupta narratione, cognoscantur. Annuae Litterae Societatis Jesu Anni MDLXXXI. (Romae, 1583.) pag. 3—4.

<sup>5</sup> Gény loc. cit. pag. XVII.

<sup>6</sup> Epistolae et acta Jesitarum Transylvaniae temporibus principum Báthory: *Fontes Rerum Transylvanicarum I—II. (1571—1588)* Budapest, 1911—13.

constructae sunt, ut ornatu suo fiduciam adaugeant, spem roborent, dubitantem sublevent, timoratum instigent certantemque ad perseverantium cohortentur. Hac ex causa legimus tam praeclara exempla zeli apostolici et pietatis tot patrum, de victoria super malos reportata, de bonis operibus saeculariorum, imo et de eventibus mirabilibus, in quibus omnipotentia divina se ostendebat. Haec omnia simplici quidem stylo, tamen cum elatione, saepe etiam classicitate proferuntur, ut non sine animorum commotione legantur in refectorio aut cum animus indefessus in corpore defesso aliquando recreari desiderat. Lectio earum non modo spiritum erigit, verum et fructuosa est, nam — iuxta Gény — auctores viros doctos, religiosos et peritos habent, qui res per ipsosmet expertas sine ira et studio superioribus suis deferebant. Quare facile intelliget lector benevolus illam sui aestimationem, quae a superbia certe procul est, quae in his litteris annuis appareat, quia haec in omnibus bene ordinatis coetibus adest, summamque laudem meretur, dummodo fines fraternae caritatis ne transgrediatur.<sup>7</sup>

Series prima Litterarum Annuarum annos 1581—1614 — tempus principum Báthory — complectitur et 29 tomis Romae variisque locis Europae impressis constat. Collectio haec tam rara est, quod praeter Romanam iam nominatam vix alicubi series completa inveniri possit.<sup>8</sup> Caracterem quasi documentorum habent, quia praeter Romanam nullibi fere praesto sunt et in hac nostra nova editione ea, quae ad Transylvaniam pertinent, cum toto orbe terrarum comunicamus. Bona sors in manus meas etiam adhuc ineditas litteras annuas attulit. Sic v. gr. relationem de anno 1593 ex manuscripto P. Alphonsi Carrillii sumpsi, quae impressis annuis deest; relationem anni 1593 et aliquot sequentium ex illo codice Litterarum Annuarum, qui Viennae Austriae apud Societatis Jesu domum asservatur. Codex hic ex duobus tomis in quarto corio ligatis, nitide conscriptis constat, primus litteras annorum 1592—99, alter vero 1600—07

<sup>7</sup> Gény l. c. pag. XIX.

<sup>8</sup> In Hungaria vix inveniuntur, sic v. gr. Musaeum Nationale Hungaricum numerat tomos 13, ab anno 1601 ad 1614, praeterea in Bibliotheca Metropolitana Archidioecesis Colocensis invenimus unicum tomulum.

ANNVAE  
LITTERÆ  
SOCIETATIS  
IESV  
ANNI M D LXXXI.

AD PARENTES ET FRATRES  
*eiusdem Societatis.*



ROMAE,

---

In Collegio eiusdem Societatis.

M D LXXXIII.

*Cum facultate Superiorum.*

complectitur. Litterae annuae singularum domorum apud concernentem provincialem in unum colligebantur, et duobus exemplaribus describebantur, quorum primum ad Generalem transmissum, alterum vero in archivio provinciae est depositum. Hoc postremum est, de quo nunc hic agimus. Provinciales in visitatione annua hanc collectionem cum genuinis singularum domorum relationibus conferebant, cui et subscriperunt, sanciverunt. Sic Carrillio in tomo II. (ab a. 1600—1604) quinques annuas manu propria confirmavit.<sup>9</sup>

De his codicibus pretiosis P. Dionysius Szittyay S. J. scriptor me commonefecit, dum Viennae monumenta historica investigaret, quarum relationes cum illis Romae ad inventis quum conferrem, praeter novas — ineditas — litterarum Annuarum partes etiam talia inveni, quae impressis multo longiori sermone de rebus Societatis agebant. Ex hoc etiam patet codices Viennenses pro exemplari Literarum Annuarum originali haberi debere; nec ex impressis conscriptas esse, quarum textus sat multo brevior est illis, cum scriptor Romanus litteras annuas ad editionem praeparans multas variasque partes ob loci angustiam praetermisserit. Quae sic praetermissa sunt, aut in ipso textu relationum, aut saltem sub nota, uti semper anno, completere curavi.<sup>10</sup> Si vero textus originalis minoribus tantum ab impresso differebat, magis mihi texto impresso uti placuit et textum originalem sub linea notare. Alias viceversa textum originalem hinc inde ex impresso complevi, quem, cum ad edendum praepararetur, additionibus immutabant.<sup>11</sup>

Hac ratione non parum emendationis et reparacionis effecimus et comperti sumus modum atque iudicium, cuius ductu quid Romae ad maius bonum Societatis divulgandum aut ommittendum putabant.

Utile plane duximus litteras annorum 1593—1597, Transylvaniae tam tumultuosis, magis iuxta codices Vienenses, quam impressas, in lucem edere, cum et ubiores et sat sero (8—10 annis post) publici iuris factae sint.

<sup>9</sup> Ita in paginis 57, 128, 314, 406 et 550.

<sup>10</sup> Hoc per «Omissum» notamus, ut v. gr. paginis 48, 52, 55, 71, 72, 76, 77, 80, 83 et 192.

<sup>11</sup> Sic paginis 42—43.

Ad cognitionem pleniorum annorum 1604—07 plurimum lucis et complementi attulit chronica illa historica Transylvanica P. Ioannis *Argenta* viceprovincialis Transylvaniae, quam mihi initio anni 1901 Romae investiganti invenire contigit, et quam quinto meo itinere Romano — autumno tempore anni praeteriti — cum huiusce voluminis ad corrigendum iam paratis foliis conferre ipsem est potui. In hac collatione etiam rationem perspexi, iuxta quam Litterae Annuae componebantur. Cum textus originalis Romam transmissus longissimus esset finesque unius tomī superaret, necessariae videbantur illae eliminationes, quae saepe partes non parvi momenti, imo totum cursum vitae agentis aut descriptionem ingentis alicuius facti continebant, quas hic adnectere, etsi solum pro subsidio, maximae mihi consolationi est. Annuarum editor partes quasdam longiores sermone breviori contraxit, praesertim orationes provincialium et aliorum, quum effectus vivae vocis per impressionem quoad maximam partem destrueretur. Editores autem summa quadam cura nomina ex textu originali eliminabant, ne per divulgationem et ipsis et Societati damnum inferrent. Qua in re patres tam moderati, tamque cauti fuerant, ut vix alicubi, etiam acatholicos, proprio cognomine nominaverint, etsi eorum facta longius proponant et ad emolumentum divulgent. Quam in brevem formam relationes immissae hincinde redactae fuerint, liceat pro exemplo annuas anni 1593 ex codice Viennensi desumptas (pag. 37—39.) cum paginis exemplaris impressi conferre.

Praeter manuscripta Viennensia et Romana nullos fontes manuscriptos ad construendam materiam annuarum adhibere potui, quam libros illos iam editos, quod ideo certe necessarium fuisset, quia textus Litterarum Annuarum nec defectibus caret, nec semper maxima cura proelio commissus esse videtur. Sic evenit, quando correctura foliorum a homine non satis perito peragitur, aut qui autographo ipso in corrigendo uti non potest. Hinc nomina male scripta, verba, phrases aut et ipsae lineae, in contextu omssiae. Haec omnia supplere conatus sum errata faciliter cognoscibilia in silentio emendans aut in nota adiiciens ea, quae aut scriptoris, editoris cognitionem imperitiamque adumbrant. Curam habui et punctorum recte

distribuendorum, ne errores orthographiae lectorem disturbarent, ut omnino correctum, fidelem, accuratum textum posse manibus haberemus. Quare volumen hoc faciliter legitur. Ut autem etiam extraneis fructum afferat, quemcunque in locum perveniret, adumbrationes historicas sub linea adieci.

Textus Litterarum Annuarum annorum 1581—1613 paginis 198 huius tomī continetur, de tota Transylvania referens adnexisque partibus, incipiendo a Várad et Szatmár usque ad Homonna et Kassa, quae 1604 a principe Stephano Bocskay ad ditionem redacta eiusdem iurisdictioni subdita fuit. Textus ita ex partibus unitus est, acsi unicum auctorem habuisse. Si quid forte adhuc deesset, compleri potest ex sextuplici additamento, inter quae Descriptio Transylvaniae per Stephanum Aratorem; relatio P. Antonii Possevino de suo itinere Transylvanico; necrologi duorum patrum et unius fratris in Transylvania desudatorum; annotationes historicae domus Cracoviensis de rebus Transylvanicis; decreta comititalia Transylvaniae in religionis, sive Ecclesiae Catholicae a P. Dionysio *Szittyay* in latinam linguam translata,<sup>12</sup> demum 400 regesta praecipuum locum obtinent. Haec decursu 30 annorum collegi et ecclesiastical Transylvaniae, sive Jesuitarum historiam, maxime vero eorum possessiones concernunt<sup>13</sup> huicque tomo adnecti peropportunum visum est.

Haec additamenta prioribus relationibus adnumerata revera fontem uberrime manantem efficiunt et usui sunt illi, qui historiam Transylvaniae communem et culturalem perscrutare conatur. Ut facilius manibus volvi revolvique possit, Dr. Michael *Császár* indicem nominum locorumque confecit.

Quam magni momenti quamque pretiosum fontem scientiarum hae litterae annuae repraesentent, historio-

<sup>12</sup> Horum publicationi et id emolumento est, quod haec decreta comititalia Transylvaniae nunc prima vice in Latina lingua prodeunt, quum textus eorum originalis Hungaricus sit, quibus etsi historiographi usi sint, ne in operibus quidem ecclesiasticis in Latinam linguam translata fuerant.

<sup>13</sup> His regestis addidi certe et breve compendium epistolarum iam publici iuris factarum, sed ex operibus meis ecclesio-historicis solum ea adnumeravi, quae maioris momenti esse putavi. Ad haec opera investigatores attentos facere necessarium duxi, quum adhuc multa contineant, quae — ob angustiam loci — hic praeterire duxi.

graphi iam a longo tempore testantur. A Hausmann,<sup>14</sup> qui omnium primus erat, incipiendo, Gény<sup>15</sup> scripsit de illis, mox Krones,<sup>16</sup> Lohmeyer<sup>17</sup> his suffulti propriae elucubrationis auctores fuerunt; apud nos vero Franciscus Toldy<sup>18</sup>, P. Colomannus Rosty,<sup>19</sup> Alexander Szilágyi,<sup>20</sup> Vilhelmus Fraknói,<sup>21</sup> atque harum scriptor<sup>22</sup> in operibus suis illis usi sunt.

Gény primus omnium valorem annuarum recte aestimavit, cum anno 1895 annuas duorum Alsatico-Lotharingicorum collegiorum in lucem ederet, quem hocce tomo sequimur: robustiore elegantiorique volumine, contemporaneis imaginibus et facsimilibus illustrato.

Quod tempore hoc scientiis difficillimo, tamque ornato habitu tomus hic prodeat, grates maximaee Domino Iosepho Aurelio Libero Baroni e familia Vécsey, doctori professorique scientiarum theologicarum Albae Iuliae in Transylvania, debentur, qui curam onusque editoris humeris suis sustinere cupivit, neque modo motus caritate scientiae, aut ut historiographiam suae dioeceseos locumpletaret; sed ut devotionem suam erga Societatem Jesu *etiam in campo*

<sup>14</sup> Professor Hausmann: Vortrag über die alten «Litterae Annuae Societatis Jesu» in den Sitzungsberichten der gelehrten estnischen Gesellschaft zu Dorpat Jahrgang 1885. S. 239—260.

<sup>15</sup> Gény l. c. pag. XVI—XIX.

<sup>16</sup> Dr. Franz Krones: Der Jesuitenorden und seine Rolle im Geschichtsleben Ungarns. Mit besonderer Rücksicht auf die Zeit bis zum Ende des dreissigjährigen Krieges. «Oesterreichisch-Ungarische Revue» 1892. Band XII. Seite 193—224. und 289—322. (Recension in «Budapesti Szemle» 1893. Bd. 74. S. 152—3.)

<sup>17</sup> Karl Lohmeyer: Berichte über die Thätigkeit des Jesuiten-Kollegiums zu Braunsberg in Ermland aus den Jahren 1584—1602. Brieger's Zeitschrift für Kirchengeschichte 1892. S. 360—381.

<sup>18</sup> De morte Valentini Balassa agitur in «Litteris Annuis» 1594; Századok 1873. pag. 318—9.

<sup>19</sup> Pótló adatok a magyarhoni Jézus-társaság könyvészetehez 1711-ig. Szabó Károly Régi Magyar Könyvtárához. Scriptum a Colomanno Rosty S. J. in Magyar Könyvszemle anni 1881. pag. 227—239.

<sup>20</sup> Alexander Szilágyi in prooemio operis sui: Carrillo Alfonz diplomáciai működése. (1594—1598) Budapest, 1877.

<sup>21</sup> Vilhelmus Fraknói in vita Stephani Szántó; Budapest, 1887.

<sup>22</sup> Dr. Andreas Veress: A kolozsvári Báthory-egyetem története lerombolásáig, 1603-ig. (In periodico Erdélyi Múzeum, 1906: pag. 169—193 et 249—263.)

*litterario palam monstraret*, in cuius ulnis se septennio, ut Collegii Germanici et Hungarici alumnū, educatum fuisse sibi gratulatur.<sup>23</sup> Generosi vere animi est eius voluntas, ut hic tomus *omnibus bibliothecis publicis gratis, sine pretio mittatur*, ut hac ratione scientiae et maiori cognitioni Hungariae serviat.

Mecaenatis intentione comperta Typographia Dioce-sana Veszprimiensis iam inito Februario anni 1918 impres-sioni manus admovit, sed ob bellum funestissimum revolu-tionisque motus multoties impedita hocce tantum anno rem finivit.<sup>24</sup>

Historiam Transylvaniae praesenti volumine novis fon-tibus ampliamus. Grave sane momentum recipit non solum scientiam nostram nova materia ditando, verum quod fons, historiaque chronica manet Jesuitarum temporibus principum Báthory in Transylvania degentium, usque ad tempus, cum mihi eorum epistolarium incepturn continuare et perficere liceat ibi, ubi ante bellum consistere coactus fui. Tempus hoc forte iam sat breve est, cum incepturn nostrum defluxu annorum ita vastum robustumque evaserit, ut in institutum quoddam historicum se evolverit, cuius nomen est: «Institutum Fontium Historicorum Hungariae.»

Fundatio instituti nostri sponte sequitur ex evolutione illa studiorum, quam progressus editionis «Fontium» nostro-rum excitaverat. Adhortabatur me, quod editiones meae splendidae et in singula volumina amplificatae a rerum scriptoribus crescentibus semper laudibus excipiebantur. Vitam solitariam solisque litterarum studiis deditam agens delectabar quamplurimis illis litteris, quas laudibus plenas undique acceperam, fontiumque editionibus, quas historio-graphi institutaque historica exterarum terrarum pro meis voluminibus libentissime mecum communicaverant, — recensionibus item probationibusque, quae de meis volu-minibus in plerisque orbis terrarum litterariis focus *decem linguis exaratae* in periodicis historicis summi momenti

<sup>23</sup> Vitam Iosephi Aurelii e L. B. Vécsey vide in meo opere: *Matricula et acta alumnorum Collegii Germanici et Hungarici ex regno Hungariae oriundorum. tom. I. (Budapest, 1917.) pag. 279.*

<sup>24</sup> In hoc quoque prooemio in latinum vertendo nos P. Dionysius Szittyay S. J. sua caritate adiuvit.

publicabantur, et quidem plerumque ex calamo virorum mihi in persona minime cognitorum.

Miseriae annorum bellicorum attulerunt, quod minorem quam vellemus numerum voluminum proelo submittere potuerimus. Decimum tamen editionis primi «Fontium» voluminis anniversarium hodie — octavo iam nostro volume lucem aspiciente — ita celebrandum esse duximus, ut novum hoc institutum historicum statuamus manuscriptaque ex omnibus Europae archivis labore 30 annorum congesta eidem et per id artibus litterisque libenter devoveamus. Iamdudum haec in animo habebam, nonnisi tamen autumno proxime praeterlapso in finem optatum deducere potui, et quidem Romae, ibi iterum amplissimis eiusdem collectionibus exhausti me accingere libuit. Sicut in colligendis edendisque patriae monumentis exemplo semper celeberrimorum collectorum editorumque trahebar, ita tum delectatus sum studio illo eximio littarum, quod Italiae permultae minores societates producunt. Huiusmodi minorem societatem erigere nobis etiam — «Fontium amicis» — etsi permodestis instrumentis innentibus, in animo erat. Quis tamen praesagire possit, quo usque vires nostrae serius se extendant? Quis scire possit, utrum societas nostra ad praesens perangusta olim in amplissimam societatem historiae civilisationis Hungariae evadat?

Finis Instituti est historiam Hungariae novis fontibus quam locupletissime ditare et universim studium fontium ampliare et promovere. Huic triplici fini inservit nostrum Institutum 1<sup>o</sup> Edendo ipsos fontes historicos, quorum seriem verso folio accipis; 2<sup>o</sup> collectione manuscripta 42 tomorum in lucem adhuc proditura; 3<sup>o</sup> edendis fontibus minoris voluminis in nova serie fasciculorum «Scriptores Minores Rerum Hungaricarum» inscriptorum; ac 4<sup>o</sup> bibliotheca historico-diplomatica, quae ut plurimis monumentis ornata in Hungaria laudatur.

Collectiones nostrae investigatoribus semper praesto sunt et cum eas — generose — publico usui offerre cogitamus, earum amplificationem tam a singulis, quam ab aliis Institutis grato animo accipiemus.

Editoribus fontium historicorum, Academiis et huius generis Societatibus opera nostra et in posterum commutaenda libenter offerimus.


In silentio et principio altruistico nisi etiam in futurum operam nostram consumemus, unice prae oculis habentes omnem aetatem studiis litterarum deferre.

Quare conatus nostros et Tu, ornatissime Lector, protegere non dignaberis, ut tuae scientificae editiones etiam coetui historico nostro inserviat, qui indies numerosior fit et hoc opus ingens labore suo sustentat eique vires impedit.

Budapest, 15. Februarii 1921.

*Dr. Andreas Veress.*





## ANNUAE LITTERAE SOCIETATIS JESU.

ANNI 1581—1582.

### Collegium Claudiopolitanum.

**C**LAUDIOPOLI, quae duobus annis proximis gesta sunt, breviter perstringemus. Christophorus Bathorius Transylvaniae princeps<sup>1</sup> pro ea, qua fuit pietate studioque adversus catholicam religionem, filium quem habebat unum,<sup>2</sup> ne haereticorum educatione depravaretur, in disciplinam Societati tradidit, invita coniuge<sup>3</sup> ac reclamante. Idem moriens<sup>4</sup> sacerdotem nostrum praesto sibi esse voluit<sup>5</sup> eumque de divinis rebus audire loquentem; qua in re maxime enituit charitas et sedulitas patris, qui eius causa toto triduo somnum non vidiit. Funus principis in templo nostro curatum est;<sup>6</sup> noluit enim Rex Catholicus<sup>7</sup> fratris corpus haereticorum cadaveribus inquinari, quamvis eorum templum et magnificum sit, et sepulturis procerum nobilitatum.<sup>8</sup>

Mortem principis difficillima consecuta sunt tempora, bonis inimica et religioni maxime adversa; omnis haereticorum diu collecta vis, tacito compressa odio, simul ac temporis opportunitatem nacta est, subito in nos erupit. Violabatur templi nostri sanctitas et foedis ossibus multoque lapide complebatur; petebantur fores lapidibus, intrœuentes vero convitiis ac maledictis: optimus quisque ab ingressione templi propulsabatur. Sed nimirum catholicae religionis gloriam non modo non imminuit calamitas, verum etiam honestat. Deductus a proceribus princeps puer, is, quem nostris traditum in disciplinam diximus, is, inquam,

nostram deductus in aedem, visus est haereticorum insolentiam paulisper comprimere. Quare mox tempestate sedata a fundamentis restauratum est templum, altaribus exornatum, subselliis instructum et contra improborum petulantiam extrinsecus tectum atque munitum; cumque antea non ita celebraretur, a multis postea duplicata celebritas est. Et cum proceres aegre ferrent a Societate principem educari, postea ita eis probari educatio pueri coepta est, ut eius quoque institutorem suis in rebus ipsi consulerent. Auxit magistri auctoritatem auctoritas Regia, qui Polonos tres nobili genere natos, ut eadem disciplina instituerentur huc misit; ex hisque duo, cum essent haereticici, invitis parentibus, ad catholicorum numerum accesserunt. Auctus est progrediente tempore condiscipulorum numerus ad octo, qui ipsi, etsi nati et alti erant in haeresi, nunc tamen nostrae fidei propugnatores accerrimi magnam spem praebent rei catholicae adiuvandae. Iam haereticorum ad ecclesiam catholicam crebra conversio, quos nec cessat Deus interdum vel miraculis excitare. Energumenae duae in templo nostro a malo daemone liberatae, integris haereticorum familiis magno incitamento fuerunt, ut Ecclesiam Romanam agnoscerent. Energumena praesertim quaedam, quae cum marito Calvinianae sectae maxime addicto, cum animadverteret nullam sibi opem a suis ministris afferri potuisse, a catholicis vero potuisse, nullam sibi aliam intellexit colendam esse religionem, praeter eam, quae a Romano Pontifice catholicisque praescribitur.

ANNUS 1583.

### Collegium Claudiopolitanum.



OC anno Seminarium Pontificium Patris Possevini opera institutum est, eique mille taleros ac sexcentos, hoc est aureos mille trecentos ac sexaginta Pontifex<sup>9</sup> totidemque Rex Polonus attribuit.

Ubi P. Antonius proprius ad Transylvaniam accessit, ecce sibi obvii a Transylvaniae principe senatores cum plurima nobilitate, ab his ille perhonorifice exceptus octo circiter milia passuum ad principem Albam Julianum dedu-

citur.<sup>10</sup> Hic cum ad collegium eo die divertisset, postridie ad convivium principis invitatur.

Huius autem principis ea est maiestas, ut ei praeter Transylvanae praefectos, quingenti perpetuo milites corporis custodes adsint. Hic igitur e suis ipse descendens aedibus venientem exceptit Antonium eumque vel reluctantem sistere conatus ad dextram (scilicet ob Pontificis Maximi nomen, a quo mittebatur) in cubiculum suum adduxit. Egregium sane spectaculum, puerum videre decennem tanta maturitate et gravitate sese gerentem, cum vel Pontificiae litterae redderentur, vel Summi Pontificis nomine frequenti nobilitate loqueretur Antonius. Hic Antonius Gregorii XIII. erga eam provinciam ac nobilissimam Bathoreorum familiam charitatem commemorat, hic pii Pontificis voluntatem exponit de ultima christianarum provinciarum arce tuenda, hic eiusdem operam ad rem christianam sartam tectam tuendam liberaliter offert. Haeretici, qui aderant sive Lutherani, sive Calviniani, sive etiam Ariani, quorum plerique ministrorum maledictis sunt assueti, cum de Romano Pontifice cernerent omnino diversa atque antea audierant, mutuo se ipsi respicere et Antonium mox prosequendo vereri. Valuit ea res plurimum, tum ad reprimendos eos, qui adversus nostros licentius debachari consueverant, tum ad commendationem Societatis nostrae, cuius sciebant opera effectum esse, ut bellum Moschoviticum ad optatum exitum perduceretur. Ad prandium ubi ventum est, princeps ipse eo die, qui erat illi natalis,<sup>11</sup> primam a Romano Pontifice legationem suscepit atque in Antonii accumbentis aurem insusurrans «Quam doleo, inquit, istos, quos hic vides accumbere, haereticos esse» senatores videlicet describat. Cumque identidem in convivium fercula inferrentur, nonnullaque incocta butyro, ad Antonium conversus princeps, «Licetne, inquit, Pater his quadragesimae diebus ista comesse.» «Nisi Christus, inquit Antonius, ut nobis esset exemplo, simile ieunium servasset eiusque auctor et institutor fuisset, quidni liceret? Nunc quando exemplar vitae nostrae se praebuit et hoc ipsum ieunium Evangelio contestatum esse voluit ipsique Apostoli et Ecclesia eius universa integerrime semper coluit, quis dubitat, nisi valitudinis ratio secus exigat, quadragesimam esse servandam?» Est omnino, quod de tanto principe Catholicae gratulemur

Ecclesiae, erga quam sic est animatus, ut omnia nobis praeclara polliceri de eo merito debeamus. Is cum apud Antonium parantem redditum, quasdam sanctorum reliquias et crucem vidisset argenteam. «Equidem, inquit, Pater, nihil mihi ipse cupio, sed quando nihil istorum nobis haeretici reliquerunt, crucem hanc, quaeso, non mihi, sed catholicorum ecclesiae concede.» Antonius et hanc, et alia pia munera perlibenter concessit; atque ita Claudopolim rediit. Hic data est opera vehementer, ut Ariana labe contaminata civitas nostrisque mirifice infensa, domicilium seminario excitando tribueret. Conferunt in eam rem et Pontifex, et Rex annuas uterque pensiones. Antonius itaque conducta domo sexcentisque aureis a Summo Pontifice totidemque a Rege relictis, et praefectum seminarii constituit, et libros ad pietatem suscitandam satis multos reliquit.

ANNUS 1585.

### Collegium Claudiopolitanum.



LAUDIOPOLI aucta est et auditoribus, et magistris academia, frequentatur a senatorum procerumque filiis ac nobilitate praecipua. Doctores adiecti sunt tum ad tradendam philosophiam, urgente Rege per litteras, tum ad eas theologiae quaestiones expediendas, quae vel de officio incident, vel in controversiam ac dissceptionem, haereticorum perversitate, vocantur. Non tenet in gymnasio posteriores pietas: nam cum multi antea vel essent haeretici, vel nondum salutis aqua renati, nunc industria studioque bonorum, non modo sese omnes ad Christum et catholicos aggregant, sed ne recentissimi quidem permittuntur in sua diutius haeresi permanere: sic enim eos reliqui auditores aggrediuntur, partim hortando, partim rationibus evincendo, ut e vestigio christianis sacris catholicaeque religioni se dedant. Et, quod longe admirabilius est, qui paulo ante ne Christum quidem norant, habebantque pro Deo, nunc complures perfectae sanctitatis amore, ut Societatem adipisci queant, omni ope studioque contendunt. Sex tantum in domum probationis abducti sunt, nam in reliquis, qui id flagitant, dies et maturitas expectatur.



GREGORIVS XIII PONI MAX  
ALTATIS ANNO LXXV  
MDLXXVI



Pontificium ac regium seminarium, de quo proximis litteris dictum est, ipsum quoque et numero, et aedibus dilatatur. Ardent mirifica cupiditate propagandae religionis, suosque e tot errorum tenebris evocandi. Domus quoque tenuiorum auditorum, quam et contubernium Sanctae Trinitatis appellant, usque eo crevit, ut contubernales aluerit octoginta. Ex iis multi in varia loca dimissi, variis quisque muneribus, ecclesiae prosunt. Regunt scholas, religionis elementa tradunt, et si quando incidit eiusmodi tempus, paroecias ab haeresis contagione defendunt. Curant rite funera cruce luminibusque praelatis, modulatoque carmine; ipsis etiam inspectantibus Arianis, qui quidem fremunt, nec manus continent ab iniuria; sed Christi milites non modo aequo, sed libenti animo ferunt omnia. Impetuntur non solum convitiis ac maledictis, sed interdum etiam lapidibus, obscaenisque sputis, nec semel accidit, ut qui sacrae crucis praeferebat insignia, lapide prostratus et afflatus ad terram sit. Ex quibus rebus facile potest coniici, quales tandem ex hac officina virtutis operae prodeant. Contubernales duo, nec ii quidem de doctissimis, adiuncti comites sacerdoti nostro, cum Turcarum fines obiret, ab eoque missi ad erudiendos pagos quosdam in fideque firmandos; quattuor alios praeterea pagos haereticorum ministris electis una cum uxoribus ac familiis ad catholicos adiunixerunt. Ex his alter cum Societatis cupiditate flagraret, voti compos est factus; alter, quo maiores sibi animos faciat ad res pro Christo gerendas, ornatus est sacerdotio. Pater autem ille cum hoc anno multa eximia cum laude fecit, tum proximo, sexaginta pagos ad ecclesiam dicitur adiunxisse.

### Visitatio Siciliae.

**I**N Siculiam profectus est laico cum comite Pater quidam.<sup>12</sup> Ea autem ferme regio avitam religionem etiamnum retinet, in eaque sacerdos ille iubilaeum Summi Pontificis promulgavit, plurimisque confitentibus aures dedit, multos etiam reddidit in tuenda veritate constantes, christiana disciplinae praecepta passim docuit, et in civitate, quam faex omnis haereticorum invasit, catholicorum, quae supersunt, reliquias Calvinista fremente; et sacra-

mentorum administratione solatus est, et liturgiae sacro-sancto mysterio. Pagi quoque nostri, quos possim Ariana labes infecerat, obeuntur effectique sunt iam ferme catholici universi. Eademque utilitate finitimi nobilium pagi lustrantur. Atque utinam messis ubertati operarum copia par esset; sed penuria cogit multos non sine dolore deserere. Frater quidam e nostris medicae peritus artis,<sup>13</sup> dum gravi urgente necessitate suam quoque operam externis praebet, ex iis centum et sexaginta, non minus animi, quam corporis salutem attulit. Ad catholicos quadraginta convertit, alios autem ad baptismum; et ab aliis, ne catholicae veritati se opponerent, impetravit.

### Residentia Albensis.

**I**N Albae Juliae sede, si eos quoque, qui apud principem morantur, enumeres, undecim omnino reperias. Hic autem primae curae sunt, ut is, quem dixi princeps sic educetur, ut et regis Polonici exspectationi respondeat, et inter tot haeresum monstra, insignis catholicae religionis defensor et propugnator evadat; in quo uno tantum putatur esse momenti, ut in ea viri boni sint spe, fore, ut quemadmodum ab uno iuvene principe catholica in iis partibus est eversa religio, ita ab hoc quamprimum Deo adiuvante revocetur. Gymnasi melior hoc anno iam forma est. Classe quadripartita distinguitur, duae habentur in aula, reliquae in civitate. Instituuntur una cum principe, procerum liberi ac senatorum; cumque catholici iam sint omnes, nec parentum minas magnopere reformident; magnus ad res gerendas campus sese nostris aperit. Ratam hanc spem faciat optatis eventis divina benignitas, et instituta pertexat. Certe ex ipsis concionibus, catholicorum paulatim numerus increbrescit haereticique proceres mitigantur; ut de multis hoc confirmari iam possit, eos a nobis esse, quamvis humano forsitan metu occultent fronte sententiam cumque in comitiis de exigendis pellendisque nostris, adversariis nonnullis urgentibus, ageretur, non defuerunt vel ipsos inter haereticos, qui causam nostram publice susciperent agerentque, coeptae sunt etiam res futuri collegii regia liberalitate constitui: dataque iam in id villula sylvaeque cum coenobio,<sup>14</sup> sacraque aede et in scholarum fabricam certa quotannis pecunia.

## Residentia Varadinensis et missio Széplacensis.

**V**ARADINUM missi sunt duo.<sup>15</sup> Est autem haec Pannoniae civitas satis frequens, sectarum varietate referta: abundat enim haereticis Turcisque compluribus, ex quibus utrisque non contemnenda facta sunt lucra. Catholicis autem, qui vix duo millia censemur, consimilis utilitas est allata, praesertim pestilentia fameque premente. Sed rem suam Deus, prodigiorum quoque promovet insolentia. Curantur aegrorum corpora sacramentis et curationibus animorum, cereisque agnis terrores daemonum et spectra fugantur. Verum, qui catholicorum numerum auget, is quoque haereticae nequitiae ministros, ne suis zizaniis spem sementis extinguant, de medio tollit. Obiit enim impius ille minister, qui in hanc civitatem Calvini pestem primus invexit.<sup>16</sup> Hunc dicitur aliquando vir consuluisse catholicus, anceps et mutabundus in fide, exactoque iure-iurando, multis precibus obsecrasse, sibi ut aperte diceret, in tanta sectarum ac religionum varietate, quam tandem optimam ac verissimam existimaret: coactusque iure-iurando minister, ita dixisse, ad aeternam salutem consequendam tua fides est melior, ad carnem fovendam mea, indicavit vellet nolle devotum illud aeternis ignibus caput, ex quo tandem fonte haeresis fluat; nec quemquam a catholica religione desciscere, nisi qui Christi crucem oderit, carnem adamet.

Széplakum urbs est finitima Turcis, et ut aliae multae, haereticis catholicisque permixta. Huc etiam nostri venere subsidio. Nam cum pestilentia civitas laboraret, a qua mortales omnes abhorrent, sacerdos e nostris studio alienae salutis incensus, ex iis ipsis, quos pestilens morbus invaserat, centum ac triginta expiavit. Lustravit etiam baptismate quattuordecim, et pagos vicinos oberrans, nihil quod e re divina videretur, omisit. Sed quoniam hic de nostris regionis sermonem nactus est nemo, ex alumnis discipline nostrae praesidio linguae petuntur. Ex iis quidam catechismi beneficio pagos quinque et viginti; alias quindecim in religione catholica sustentavit. Duo alii a Patre Provinciali<sup>17</sup> e pontificio regioque seminario missi, pagos item octo tanta cum laude atque utilitate lustrarunt, ut non modo laborantes in fide firmarint, sed etiam non

paucos ab ipsa haeresum contagione retraxerint. Pater concionum fructus excipiendis confessionibus colligebat; scilicet non exiguos, praesertim metu mortis inecto a pestilentia peracerba atque inusitata: cuius vitandae causa reperti sunt, qui summis in arboribus nidos sibi avium more construerent, quorum tamen plerosque vel atra lues, vel inedia ipsa consumpsit. Itaque, qui salutem animi diligebant, certatim concurrebant ad nos, ut catholica in ecclesia extremum vel sibi liceret effundere.

ANNI 1586—1587.

### Collegium Claudiopolitanum.

**H**ATEOR, mihi de Claudiopolitano collegio scribere instituenti lacrimas se subito profudisse. Excitata enim statim memoria ad cogitationem illius temporis, quod tam brevi tam multos, et tam bonos operarios abstulit: quamquam praeclare admodum actum est cum illis, quos Deus ad meliorem vitam vocavit. Mollicia quadam animi factum est mei, ut non commoveri non possem, recordans e duobus et triginta, spatio unius mensis, vix duodecim reliquos fuisse, caeteris pestilentia absorptis. Breve igitur faciam.

Claudiopolis in Transylvania est civitas tam alta infecta haeresi, tam pestifera labe pravarum corrupta opinionum, ut et proceres ipsi diro illo correpti sint morbo, et plebs erret exemplo optimatum, et pro pastore lupus sit gregi praepositus, pro episcopo caput ministrorum, qui eam quasi arcem et regiam habent. Pauci tantum reperiantur, qui tanquam fluvii in salsis fluctibus maris, dulcem liquorem et integrum servent: Deo freti et Illustrissimo principe, qui (licet quamplurimis incusantibus et incurvantibus) catholicae favet religioni, et nostrorum conatus collegiumque egregie tuetur. Ex hoc igitur collegio ingenti quidem dimicatione, sed maiore cum discrimine fratres nostri, inter infensos quippe homines atque infestos, dabant operam excolendo senticeto serendoque domini agello, quam poterant maximam et in ipsa urbe, et in frequentibus etiam excursionibus. Apertae erant scholae, quibus praeter eas litteras, quibus puerilis aetas ad huma-

nitatem informari solet, philosophia tradebatur et explicabantur theologiae capita pro captu auditorum: ea maxime, quae existimantur controversa, et ut se dabant initia, res optime procedebat, nam cum in collegio summa esset pax et conspiratio animorum, omniaque dirigerentur ad nostrarum perfectam legum observationem; in gymnasio autem, quod refertum erat adolescentium coetu nobilissimo. Quippe nostram docendi rationem hostes etiam ipsi probare coguntur, ut suos quoque liberos mittant, a nobis erudiendos. Cum in gymnasio, inquam, iam ex discipulis nemo reperiretur, qui non in optimam ingressus esset religionis viam, omnesque fere se vel ad sodalitatem Deiparae Virginis applicuissent: vel ad Pontificium, Regiumque seminarium, vel ad frequenter valde studiosorum pauperum domum, quam Sanctae Trinitatis appellant, universique secundo vento et prospera navigatione ute- rentur, medius intercurrit turbo: quo reflante non omissus quidem cursus, sed paulisper intermissus, dum Deus, qui ex turbulentu tempore serenum facit, imperaret ventis et immitteret tranquillitatem. Quod factum est anno propiore, post pestem. Priore namque cum repentina coorta vis morbi, velut coelum involvens nebula totam hanc terram occupasset, curatioque ipsa aegrorum et contactus vulgaret aegritudines, partim flos ille dilapsus praeclarae iuventutis, partim immoderato afflatus aestu, exaruit.

Hoc interim tempore sacerdotes nostri, quasi augeretur animus inter adversa, nullo modo eos deserendos rati, quos tanta tempestas oppresserat, eorum salutis causa suum ipsi periculum negligebant. Trium praeter caeteros sacerdotum virtus cognita est. Ferdinandi Capicci, qui erat collegii rector, Ioannis Ardulphi et Hieronymi Fanfonii, qui studiorum erat praefectus. Hi enim ita inter se exercendae in proximos pietatis hoc tempore distribuerant provinciam, ut Capicius Ungaros, Germanos Ardulphus, auditores reliquos nostros fratresque decumbentes Fanfoniis, adeundo, alloquendo, audiendo adiuvarent firmarentque, sive ad cedendum e vita redderent paratores. Sed illos pariter haec agentes et alios quosdam, qui domi cum manerent in templo tamen praesto erant externis similis invasit contagio atque aedituus quidem primus extinctus: tum alii atque alii Capicci certe et Ardulphi perpetuam vitae

concordiam mors quoque miscuit: eadem enim die (ea vide-  
licet, qua olim reliquit terras noster Pater Ignatius, pridie  
calendas Sextiles)<sup>18</sup> mane unus, alter vesperi, levati his  
corporis vinculis ad communem parentem evolarunt. Aliquot  
deinceps alii consecuti, neque enim in tota hac clade alter  
alterum deserebat. Sed assidebant aegrotis valentes, reme-  
dia adhibebant, defunctos sepeliebant, et cum aegrotarent  
postea ipsi, idem a reliquis praestabatur officium. Itaque  
cum mortui aegros, aegri validos tabe mortiferoque odore  
conficerent, triginta (ut dixi) dierum intervallo, viginti  
omnino desiderati.<sup>19</sup> Ex illis autem, qui reliqui fuerunt pau-  
cis, nemo fuit, qui non eodem tentatus morbo, gravissime  
laborarit. Neque tamen tantam ob calamitatem effectum,  
ut nulli ex macro illo ac silvescenti solo fructus percipe-  
rentur. Nullo enim unquam die in templo nostro officium  
sacerdotis est desideratum. Vocatus affuit semper unus:  
qui cum ingredi non posset, scipione, utcumque poterat,  
nexus, animi vim et infirmitatem corporis ostendens et  
sacro faciendo, et sermone ad populum habendo, coelesti  
pascebat pabulo quoscumque venientes. Ex eius porro lit-  
teris haec feruntur accepta.

Auditae confessiones eorum, quos pestis exhausit,  
ducentae quadraginta; undeviginti haeresim abiurarunt.  
Mulier una Valacha ad fidem accessit. Infantes duo Aria-  
norum clam a catholicis allati, baptisati sunt. Filia unius  
civis, cum iam nulla spe salutis traheret animam, confessa:  
et cum detestatione haeresis ad fidem conversa est, quan-  
tumvis invitis parentibus, a quibus eisdem in summo ac  
supremo beneficio vix impetravit, ut loco sacro cum ca-  
tholicis humaretur. In die Natali Domini centum cum eluis-  
sent prius animas peccatorum sordibus, ad sacras epulas  
admissi. Nec vereor, ne cuiquam haec nimium subtilis ac  
minuta videatur enumeratio: si cum animo vestro reputa-  
bitis; haec dici de illa civitate, in qua iam diu debacchatur  
haeresis, pestis illa animorum, latius multo et inflatius, quam  
saevus ille morbus, quo tantopere grassante, modo dice-  
bamus priore anno nostrorum numerum fuisse imminutum.

Quamquam anno posteriore res haud paulo meliores  
fuerunt et perinde atque parum detrimenti factum esset,  
pro eximia Patris nostri Generalis<sup>20</sup> erga hoc quoque col-  
legium providentia, redditum est, tantum non pari numero



P. Claudio Aquaviva.

(Praepositus Generalis Societatis Jesu.)



(quique enim convenerunt et viginti) ad officia intermissa. Studiosorum autem adolescentium coetus, qui defluxerat, crevit potius, quam de eo sit aliquid detractum.

In seminario certe pontificio regiove tanta est frequentia et nobilitas, quanta antea nunquam. Itaque revisse omnia et refloruisse, Dei beneficio, videntur. Instaurata studia visendo apparatu, elegantique historia Sancti Stephani Hungarorum regis: acta est per speciem fabulae in scena, approbante Transylvaniae, quae ad comitia convenerat, nobilitate universa. Nam quid dicam de Ill<sup>mo</sup> principe, cuius de erga nos humanitate et benevolentia nihil dici tam amplum et magnificum potest, id multis partibus, quin eius virtute superetur. Habitae in comitorum exitu publice a nostris disputationes: voluit interesse. Qua in re opere pretium fuit haereticorum cognoscere inscitiam: qui invitati et vocati ab illo congressu longissime refugerunt, oblata eidem principi a prorectore nostro candela sollemni agnoscendi fundatoris consuetudine: accepit tanta cum significatione amoris, et quod vultus ipse arguebat, laetitia, ut etsi alias in rebus huiuscemodi per cancellarium<sup>21</sup> respondere solitus, tunc brevi quidem, sed gravi oratione, et plane regia, in templo medio, frequentissima procerum corona testatus sit egregiam suam erga nos voluntatem et perpetuum catholicae religionis propagandae studium. Quo in conatu, addidit, se non suas tantum vires atque opes, sed sanguinem etiam ipsum ac spiritum, si ita res ferat, profusurum. Denique, quo promoveret magis ac proveheret sodalitatem dedicatam Beatisimae Virgini, oblatum sibi eius patrocinium, libentissime suscepit, interque sodales caeteros voluit aggregari. Quo facto non solum ad tempus ornamentum magnum sodalitio attulit, sed etiam aliis exemplum, omnes enim catholicos homines ad rem eamdem et cupiendi, et exoscendi studium incitavit. Itaque nunc maxime conventu amplissimorum hominum congregatio celebratur: quo maior est inter haereticos invidia obtrectatioque ordinis nostri: ita, ut figant aculeis et maledictis.

Pro concione etiam lacerent quemcumque ad nos frequentius adire cognoverint: nec in vivos modo odium exerceant, sed etiam in mortuos. Contigit aliquando, ut cum unus quidam, profundum delapsus in flumen, aqua-

rum fuisse vortice absorptus, mortui cadaver ne extra-  
here quidem licuerit uxori, nedum sepultura afficere, nisi  
diligenter quaesitum ante et planum factum esset, non  
usum dum viveret, familiaritate nostrorum. Nunquam autem  
desistunt conari, laborare, contendere, in privatis agere  
publicisque conventibus de nobis eiiciendis atque omni  
ratione exterminandis. Huc adhibent omnem machinam,  
hoc omnibus viribus pugnant.

In postremis nuper comitiis res gesta est summa contentione, allataque eius rei decreta ad principem semel atque iterum: qui cum eluderet primo, et vellet eos aequos placatosque dimittere: ubi acrius instant, se se aperuit omnino, atque excussit iniqua illorum postulata: edicens, ne posthac unquam sibi ea in re molesti essent: intelligere enim potuisse, quo ipse esset animo in Jesuitas, qua voluntate in catholicam religionem; quam, quoniam a maioribus accepisset, in ea omnibus nervis opibusque conservanda, augenda posterisque tradenda, vitam sibi potius, quam perseverantiam defuturam. Ita procubuit in praesentia eorum aries, quem excitare tamen sperant (mussantes interea et carpentes decretum principis) in comitiis, quae proxime habebuntur.<sup>22</sup> Sed is, cuius umbra auxilii tegimur, nos quicquam adversi suspicari vetat. Turris enim fortissima est nomen Domini. Sed abeamus ab haereticis.

Res catholicorum belle procedit. Ternae, interdum etiam quaternae, habentur diebus festis in aede nostra ad populum conciones. Hungarica, Germanica, Latina una atque altera ad principem. Triginta haeretici ad fidem adducti. Maior eorum numerus, quibus datum baptisma, complures enim ad nos quotidie mittuntur pueri, et veniunt adulti, ut quibusdam interdum diebus quini senique baptisentur, suburbani pagi singulis fere hebdomadis lustrantur: e quibus duo integri receperunt fidem. Faceret idem et tertius, si per haereticum dominum liceret: nunc quidem sacerdotem catholicum flagitat. Durus est in concedendo Dominus. At pagani tamen plerique ad nos, ut ventitent, quinque milliarium conficiunt viam, ministrumque haereticum, quem expellere non possunt, ita tractant benigne, ut certa eum multent pecunia, si quando non promulget alios a dominicis dies festos, qui incident, in quibus opus facere nefas.

Egregie praeterea operam navant hoc tempore sacerdos unus, quem nobis seminarium tanquam primitias dedit: duo item iuvenes, quos e nostris delegerunt scholis duo viri nobiles, ut singulis videlicet singuli binos liberos erudiendos darent. Uterque enim magister discipulos suos verae imbuit sapientiae initii, timore Domini et in christiane praesidiis reipublicae feliciter collocavit: usque adeo, ut nec allici postea blanditiis a parentibus ad eorum sectam, nec dimoveri a fide minis aut verberibus, quamvis tentati saepius, ulla ratione potuerint. Tres postremo viuae, quae cum iam sese voto castitatis obstrinxerint, suam etiam quodammodo operam Deo dicaverunt: certamque tum in urbe, tum in pagis propinquis illud elaborant, ut quamplurimis monstrent feminis, in quam coeco errore versentur. Quod earum consilium non ratione prudentius, quam eventu felicius videtur. Adest enim laborantibus Deus: permultaeque ad hanc usque diem ipsarum consiliis catholicam religionem amplexae. Crebris iam nos agamus cum Deo precibus atque hostiis, ut agrestem illam silvam et horridam patientem esse velit nostrorum culturae, qui laborant in ea repurganda, ne sterilescant amplius arbores, sed insitis fertilibus ramis, mites nunc tandem fructus atque uberes ferant: idque, ut assequamur facilius, conservet optimo principi eam mentem, quam dedit et det eam vitam, quam meretur.

### Residentia Albensis.

**I**N Albae Iuliae residentia, quae nondum ad collegii formam redacta est, ipso licet Transylvaniae principe magnopere exoptante, decem e nostris ita inter se divisa habent munera, ut sacerdotes duo in III<sup>mo</sup> principe, exque eius cohorte pueris nobilibus instituendis operam ponant, reliqui in scholis publicisque concionibus: et nunc quidem haud paulo commodius, quod tradita nobis aede vicina templo, compendium factum est itineris ab aula, quod erat sane longulum et via hieme lutulenta.

Sed ut de principe dicamus aliquid, agit is (hoc de anno superiore scriptum est, videlicet octogesimo sexto) annum aetatis quartumdecimum. Adestque adolescentulo non modestia solum et forma principi digna, sed ita alta

indoles animi et pietatis, ut ab his iactis pueritiae fundamentis spes haud dubia sit, firmissimum catholicae religionis propugnaculum in his regionibus excitatum iri. Ita praeterea amat quoscumque homines nostri ordinis, ut nihil eorum consuetudine profiteatur sibi esse utilius, nihil eorum aspectu iucundius. Ex quo fit, ut nec consiliarii eius ac proceres, qui sunt haeresi infecti, eum conentur a nobis avertere, quem vident et procedentem in litterarum studiis, et in religione constantem: nec vero etiam post obitum Stephani regis (quod crebris tamen iactant sermonibus) aperte pugnant de nobis e Transylvania exterminandis. Non ab re opinor fuerit hoc loco, quo degustetur aliquid de pietate adolescentis, adscribere particulam litterarum, quas ad consolatorias praepositi provincialis rescripsit, quod fideliter faciam, ne ullo quidem verbo mutato, addito, dempto, ut de eius quoque elocutione iudicium facere possitis:

«Maxima laetitia et voluptate perfusus sum lectis litteris Reverentiae Vestrae; cognovi enim planeque perspexi Reverentiae Vestrae animum erga me vere paternum. Cum me tam mihi necessariis ac salutaribus monitis pro sua in me incredibili benevolentia et humanitate, adeo benevole ac humaniter monuerit. Est mihi quidem cordi, Pater Reverende, semperque erit, vita singulari et divino modo transacta, tam patrui, quam patris, lumen meorum carissimorum: cui me conformare, fretus gratia divina, omnibus nervis et viribus contendeo et contendam: nec id tam verbis promittere, quam re ipsa praestare volo et conor: voluntati vero et conatu meo maiestatem divinam confido adfuturam. Video equidem, Pater Reverende, mihi longam restare viam: montis istius, quem descendere debeo, asperitatem magnam intueor: bravii huius mihi propositi arduum, difficile et laboriosum certamen contemplor: multa mihi offendicula et impedimenta esse constituta, dolens et moerens externis et internis oculis circumspicio. Quid igitur? Quo me vertam? An pedem referam? Id vero non solum turpe, sed etiam perniciosum: nec perniciōsum modo, sed summopere exitiosum est. Pergam igitur et cursum huius curriculi, difficilis quidem, sed honesti et utilis, auctore Deo, virtute duce, vita comite, currens percurram. Scio, ab ipsa veritate edoctus, regnum coelorum vim pati:

non ignoro illud Hesiodi, virtutem sudore et labore parari. Gratias ago Reverentiae Vestrae, quod non solum mihi Patrem Viceprovincialem remiserit, verum etiam aliis patribus meam Transylvaniam, vel me ipsum potius adornaverit. Reliquos vero, quos destinavit, quaeso quamprimum mittat: omnes enim, ut hactenus complexus sum, ita semper complectar, et me Societati talem praestare conabor, quales maiores meos se praestitisse video: eamque eo in numero habebo, quo vitam et salutem meam: ea vigente et florente, ego vigebo et florebo: ea (quod haud fiet umquam quamdiu vita suppetet) cadente et ruente, regnum hoc ruet et cadet. Sciat (sincere dico) me catholicam et avitam religionem non modo regno hoc, quod divino accepi munere, sed etiam vita ipsa habere cariorum. Nec tanti hoc regnum temporale facio, ut amittam aeternum.»

Haec ille, quae profecto convenient cum spe, quam de eo conceperat Invictissimus Stephanus, et cum supremis mandatis, quae reperta sunt in testamento, quod sua scripsit manu, in quo extremo verso ad eum sermone sic loquitur; ipsius enim Regis verba ponentur: «Ad te redeo, carissime nepos, princeps Transylvaniae, Sigismunde Bathori: tibique in primis collegium Claudiopolitanum et Albense lego et committo; quae collegia pater tuus et ego fundavimus propriis ex facultatibus nostris, sine cuiusquam iniura. Quae ita tuearis et defendas, quantum animae tuae patriaeque, cui praees, salus tibi cara est. Non deerunt puto, Ariani atque in primis Colosvarense, qui eos eversos velint, favebunt iis senatores tui omnes, aut Calvinistae, aut Lutherani: nec deerunt opportunitati iuvenes, aut aulici, personae haereticae: pariter haeretici, qui tibi adulantes, procaciter in eos invehentur, animum tuum transversum rapient. Sed, si vir es, facile omnibus simul resistes sola constantia et fervore, zeloque pietatis, magis magisque pro hominibus contestata. O utinam potuissem vel in hoc solum meae in te pietati satisfacere, ut si non omnes, saltem paucos tibi intimos consiliarios et cubicularios catholicos et pios dare potuissem: tibi ornamento, mihi securitati fuissent. Sed ea ibi est temporis et morum perversitas, ut omnes declinaverint, variisque haeresibus imbuti, atheismum plerique spirent:

quo difficilior igitur tibi restat concertatio, eo maius tibi praemium et laus sempiterna.» Nec plura, quod, ut verisimile est, vim morbi sustinere non potuit.

Obiit autem Stephanus primus Polonorum Rex invictissimus pridie idus Decembres, anno huius saeculi octogesimo sexto;<sup>23</sup> vir admodum rari exempli, qui in amplificatione regni, reique publicae christianaee immortalibus editis operibus, praematuram mortem aeterna nominis sui memoria pensabit. Pestis hac in urbe viguit anno superiore, quae quattuor abstulit e nostris; reliquos, errantes licet ac profugi magna premerentur inopia, et adiuvandis languentibus, in summum periculum se coniicerent, reliquit intactos, Deo nimirum providente, ut eorum corporibus pestilens parceret, qui multorum animas a daemonis faucibus eriperunt.

Caeterum in ea dispersione et postea in obeunda provincia ipso cum principe, partim etiam in urbe, haec ad Dei gloriam gesta sunt. Baptisati pueri nonnulli: unde triginta homines commutati sunt toti, quindecim depulso religionis errore, quattuordecim expunctis omnibus confessione peccatis. Centum et eo amplius, cum principe, ter anno publice communicarunt.

Parva haec videbuntur fortassis, sed non parva erunt computantibus catholicorum magnam in his regionibus paucitatem maximamque eorum multitudinem, qui cum Ario Calvinoque insanentes, horum animos hominum diurna consuetudine et liberiore vivendi licentia infatuarunt. Ita quantulumcumque recenti cura consitum est in hac silva, illud fere omne nativa uligo interficit.

### Residentia Varadinensis.

**V**ARADINI tres e nostris primo anno cum peste pugnarunt: cum Calvini aemulis secundo. De utroque breviter. Duo primum peste decesserunt. Unus igitur, qui superstes fuit, destitutus spe subsidii, cum omnem circum circa regionem pestilentia occupasset, vivos erudiendo, aegrotos visitando, mortuos concedendo sepulturae explevit munera omnium: etiam si (quae laborum merces erat amplissima) eius et fama ab adversariis in concione



Stephanus Báthory rex Poloniae.

(Princeps Transylvaniae.)



maledictis, et vita insidiis ubicumque peteretur. Sed ex his omnibus liberavit eum Dominus.

Haec de primo anno. Postero enim, redintegrato nostrorum numero, multo saeviorem experti sumus hominum rabiem, quam antea pestem. Destitit enim haec aliquando, et unum reliquit. At illa semper sui similis, furiarum incitata facibus, nunc tandem constituerat quasi ultima experiri. Itaque audaciam sumentes a catholicae odio pulchritudinis, bis terve usque eo progressi sunt, ut nisi hoc defuisset unum, quod incensum furorem nondum nostro extinxerunt sanguine, haud videam, quo ulterius potuisserent procedere. Breve hoc faciam. Nam etsi suavis est laborum praeteritorum memoria: horret tamen animus ac refugit ea pluribus dicere, quae illorum execrabilis perpetravit impudentia, contemptione numinis divini. Efferebatur mortuus ritu catholico. Procedebant pueri e nostris scholis, crucem de more praeferentes. Eius speciem non tulit furiata mente Calvinistarum scholae magister: arreptum de via lutum in sacrosanctam coniiciens imaginem, eam totam lutulentus aspersit. Nec defuit ulti. Paulo enim post mortifero oppressus morbo, et extinctus est. Scelestum hoc quidem facinus et nefarium: unde enim tantum coeno illi ac labi, audaciae? Sed quod sequitur longe crudelissimum taeterrimumque. Ambrosius Derecskius, superbi homo ingenii immoderataeque linguae, ita alienato animo a vera religione, ut eam nisi hinc depellat, vitam sibi acerbam putet: ut est in concitandis imperitorum animis improbe exercitatus: feria sexta maioris hebdomadae<sup>24</sup> pro suggesto, ita scelerate atque impie in catholicorum pietatem debacchatus est, ut omnes ad immane facinus impulerit. Hoc erat furialis propositum orationis, ut ipso die Paschae, quo die anniversaria ab catholicis supplicatio sollemni pompa celebratur, sanctissimam crucifixi imaginem conculcatam pedibus confringerent. Hoc nisi effectum esset, praetorem urbis diris devovebat: hunc admotis stimulis incitabat, esse videlicet portas obserandas et prohibendos egressu, qui crucem efferrent. Tum conversus ad milites, qui eum complures audiebant: «Quo istis, inquit, gladiis accingimini? Quare vobis ab urbe stipendum? Vos ne hoc tam honorato militum digni nomine, nisi e vestro numero existat unus eo robore, ut

hanc gloriam praeripiens caeteris, evellat ex aratoris manu (catholicum intelligebat) illam, quam gestabit imaginem: atque in frusta diffringat? Quousque tandem feretis, ut quotannis praeter vestros oculos atque ora securi incedentes, rustici de militibus, inermes de armatis, imbellies de fortibus triumphent? Ite alacres ad rem tum minime difficilem, tum maxime gloriosam.» Flexit ea oratio auditores sua sponte inclinantes: quasique oleum esset camino additum, consociavit cives cum militibus: inter quos, consilio inito contra crucifixi imaginem, convenit quid agendum esset. Triduo post, antequam illucesceret dies Paschae, catafracti equites ducenti cum peditibus nonnullis clam urbe egressi in iis se lateribus viae, qua ituram non ignorabant supplicationem, quam occultissime locant. Procedit interea ipso diluculo longo ordine cum cereis fabibus, quae solem provocabant, inerme supplicum agmen, laudesque Deo victori mortis saluti auctori modulate concinentium. Resonabant laetis vocibus valles et repercussae, coetum venientium cantumque augebant: qui tamen subito dispersus est et conversus in luctum. In medias enim delapsi insidias, interclusi equitum alis et peditum armis, non prius cogitarunt, quid ageretur, quam viderunt, quid actum esset. Itaque paucis diffugientibus, caesis compluribus, spoliatis nonnullis, atque adeo nudatis utcumque dimissis, in sacrosanctam imaginem e cruciferi manibus avulsam profundere odium vetus: in plurimas namque comminutam particulas, provolverunt in luto. Postridie eius diei in nostrum templum conversus impetus, saxa facesque minitantium: nec deerant ex amicis, qui suaderent fugam. Sed nostri divini se clypeo auxiliī protegi intelligebant.

Itaque factum est, ut metu catholicorum, aut Dei potius instinctu, tumor ille desederit. Neque enim deserit Christus sua causa laborantes: et in his etiam tenebris suum nomen illustrat. Petrus quidem Beregszászius, pro-cax lingua, et Calvinistarum miscere coetus (quorum ipse caput erat insigniter doctus) spiritum effudit; sed eum in ipso mortis articulo, sera ne an seria, haec subiit poenitentia, quod tamdiu veritatem quam Jesuitae docebant, oppugnare esset ausus. Neque nihil valuit inimici testimonium.

Quingentorum confessiones auditae.

ANNUS 1588.

## Collegium Claudiopolitanum.

**D**PERA, in iuventute erudienda, re catholica Hungaricis, Germanicis, Latinis concionibus, aliisque Societatis nostrae muneribus promovenda, praeclare stetit. Ex flore iuvenum ad nos ventitantum haeresim exuerunt ad sexaginta; septem ingentiorem animum ad Societatem applicarunt, praeter alios duos, qui, ut esset res cautior, Romam missi. Magnus omnium fuit labor in discessu ab Aegipto. Sed Deum sequenti nihil difficile. Ex his unum ex seminario, rem fortasse subodorati parentes in patriam acciverunt: et quamquam ipsi cognatique adolescentem absterrere minis, allicere blanditiis, nuptiis retinere conati, ab eo tamen relict, quod Christo adhaerere bonum esset. Similis alteri cum propinquis acatholicis<sup>25</sup> pugna et victoria fuit. Alius cum ad suos redisset, parentemque genuisset catholicae religioni, contempta aula viri principis, ut abiectus esset in domo Dei sui, ad nos victor revertit. Caeterum magnus eorum ardor, qui in Seminario Pontificio pauperumve contubernio alebantur: ut, si quis recens accederet, eum puderet in tanta catholicorum multitudine haereticum esse: etsi aliqui interdum ita se duros praebuerunt, ut fuerit opus (quamquam nocturnis imaginibus interpellante diabolo) Patris nostri Ignatii exercitiis ad eorum pectora emollienda.

Ex Seminario Pontificis baptismate lustrati duo splendidis natalibus. Iam qui conversi sunt, turpem ducentes parentum haeresim, vel cognatorum (a nostris licet communiter singillatimque admoniti, ut nonnisi prudenter et captato tempore id facerent, saepe etiam coerciti) opportune importune, ut meliorem capesserent mentem, sic eos adhortabantur, ut illis terrori essent. Eam ob rem, cum actum est de nostris exigendis, ut modo dicetur, iactatum ex hac disciplina timendum esse posteritati. Instituta erat congregatio Corporis Christi, frequentioris communionis addito praecepto: ex sodalibus Partheniis probatissimi qui que in eam admittebantur: et spem dabat uberrimi fructus; nec fallacem futuram fuisse vel ex eo apparuit,

quod cum vix tribus mensibus antequam pelleremur, habuisset initium, praeter eos, de quibus supra dictum est, quinque sunt nostros secuti in Poloniā, ut inter socios adscriberentur. Est etiam cum aliis non infructuose laboratum: renuntiarunt haeresi supra centum; ex hoc numero sacerdos octogenarius, qui incestas nuptias contraxerat: et mulier, divina providentia: ducebatur ad patibulum, in eam incidit sacerdos magno ipsius bono: conversa, confessā, mortua est ritu catholico. Viro cuidam capitalem poenam nostri deprecati.

Siculiam (hanc crediderim esse regionem proximam) lustravit unus e nostris evidenti utilitate, praecipue sacerdotum: nam et mores composuerunt plerique, et multi, ut melius instituerentur, Claudiopolim profecti: quod et fecerunt professores litterarum, relictis scholis, quibus moderabantur. Igitur ex iis, qui nobis dabant operam, ut munus illud cum laude sustinerent submissi nonnulli, etsi superfluente multitudine eorum, a quibus expetebantur, non omnibus satisfactum: tres praeterea alumni Pontificis sacerdotes effecti: ii quemadmodum adiuverunt nostros, quamdiu hic fuerunt in hac silva repurganda, ita etiam nunc, eorum vicem absentium utcumque explebunt, in semente tuenda et conservandis reliquiis, ne afflatus pestilentis sideris exarescant. Non pigebit nunc collocare alia de pietate aliorum, re fortasse parva, sed ratione loci non poenitenda.

Aliquot nobilium familiae diebus celebrioribus bidui itinere aut etiam tridui ad nos affluxerunt: sanctiore praeterea hebdomada mulier primaria unius diei viam pedibus confecit causa sacramentorum. Magnam etiam admiracionem habuit praefectus quidam arcis catholicus:<sup>26</sup> is enim cum universa familia, totum templum nostrum, Crucem adoraturus, genibus perrepsit. Reliquorum approbata religio tum saepe alias, tum maxime in comprecatione quadragenarum horarum, quae hoc anno quinquies decreta, in quotidianis deinde orationibus et supplicationibus publicis, quae per sesquimensem toto comitiorum tempore festis diebus indictae.

Eximia pietas totius Academiae: haec unum sibi diem, alterum Seminarium Pontificis, tertium congregatio Sanctissimae Virginis delegerunt, continuis precibus numinis pro-

pitiandi, sed nullum capesserunt maius spectaculum insueti oculi, quam cum tandem ipsi adolescentes, ut in re trepida, a nostris extorserunt publicam in templo nostro corporis diverberationem, hae omnes machinae ad nos retinendos adhibebantur. Deo aliter visum. Sed antequam venio ad tragoeidiam, addam duo.

Postridie feriarum Beatae Virginis tectum templi de coelo tactum, sine ullo damno: nec caruit admiratione, cum in materia tam facilis ad exardescendum timeri posset incendium. Nunc audite rem alteram scitu dignissimam.

In hac civitate rabula Arianus in die Sancto Pentecostes multa contra divinitatem Spiritus Sancti ore spurcissimo evomuit, sed non diu distulit poenam. Eadem hebdomada in pervigilio Augustissimae Trinitatis, in quam, ut postridie invehernetur, se instruxerat homo impius,<sup>27</sup> cum relaxandi animi exisset domo concionabundus, non casu dicam, sed Dei vindicis iudicio sacrilegam linguam apprehensam sibi ipse mordicus ita compressit, ut infixis dentibus conscinderet. Ergo tum quidem maledicendi (neque enim unquam postea suggestum concendit) nec ita multis post diebus vivendi etiam finem fecit.

### Repetita breviter historia nostrorum electorum e Transylvania.

**I**AM quoniam huc ventum est, ut dicendum sit de nostrorum e Transylvania egressu, paulo altius repetenda quaedam, et de ingressu videntur. Stephanus Bathoreus vaivoda Transylvaniae, quo erat studio proferendae catholicae religionis, Societatem nostram perinde benigne, quam liberaliter, in Transylvaniam invitavit. Ea dum tenet deliberatio, delectus ad Poloniae regnum, Christophorus germanum fratrem in principatu Transylvaniae sibi successorem relinquit: nec multo post Christophorus, cum et ipse idem cuperet, suadente rege, prudenter inchoatum consilium constanter perducit ad exitum. It in eam regionem Societas, confirmatur comitiis publicis, fundatur collegium et academia Claudiopoli, attributis bonis coenobii Monostoriensis. Christophorus interea sacerdotes aliquot e nostris secum retinet Albae, quibus magistris, principis filii pueritia adolesceret; quod etiam

moriens in extremis mandatis reliquit: idemque Stephanus rex in morte, quod et ante fecerat in vita, probavit.

Haec cum ita essent et nostrorum cura educatus princeps optimae indolis per omnem honestarum artium cultum, Deique timorem transigeret pueritiam, et Transylvana iuventus, nostris docentibus Claudiopolim haberet sedem studiorum ac magistram, gaudebant primores regni, et principis, et filiorum profectu: tamen non sine indignatione verebantur, ne augescente non tacitis incrementis religione catholica, falsa eorum secta dilaberetur. Igitur quamdiu Stephanus concessus est orbi, iram metu prementes, ad ipsius se nutum fingebant simulatione obsequii: ubi defecit is, quem timebant: nec satis roboris adolescentulo principi ad resistendum, male dissimulatum odium aperiunt, et ministris accendentibus faces tam Calvinistis quam Arianis, in omnibus conventibus de nobis exterminandis plurima dissertabant: obiiciebatur scopulus duplex: primum, nemo reperiebatur idoneus rector principis adolescentis, quem satis ampli doctores Jesuitae instruxerant, qui etiam apud illum caritatem sibi paraverant loco auctoritatis; deinde verebantur, ne si quid contra catholicos designassent, incommodarent principi in petitione Polonici regni. Ille ubi spes concidit, capiente sollemnia regni Sigismundo, huc intendunt, ad Jesuitas non quidem e Transylvania (hoc enim maioris operis videbatur), sed saltem e principis aula removendos: sic facilius factu fore, ut teneram adolescentis mentem, catholicis orbatam praceptoribus et praeceptis, perverterent. Igitur Kalendis Novembribus, Enyedini, in conventu, nobilitas Transylvana Arii et Calvini impietatum aemula, a duobus, ut fama est, vel a tribus dominandi cupidis impulsa, institit petere a principe, eiiceret Jesuitas, idolatriae olim explosae restitutores, Hispanicae inquisitionis perductores, buccinatores Romani Pontificis, iuventutis corruptores: haec enim crimina spargebantur, tectis nominibus et ad fallendum instructis: quae ne ipsi quidem catholici satis intelligerent. Petierunt nostri, ut capita accusationis scripta darentur: illis abnuentibus ad principem et senatum impetrato aditu: praefati ad eam diem tacuisse in omnibus coetibus, quod Illustrissimi principis et senatus amplissimi benevolentiam erga se perspectam haberent; de qua ne tunc quidem

dubitarent, nunc malevolorum obtrectationes in tantum prorupisse, ut nisi respondeant, silentium aut timidum, aut contumax haberi posset: Pater, qui erat pro Provinciali, legit defensionem, quam scriptam habebat, perfectamque principi tradit. Laboratum est in his comitiis, quae erant peculiaria loci unius, ut in publicis res tota cognosceretur, irrito conatu. Nobilitas in eo perstitit, instigantibus Arianis: quin et ad illud usque tempus tributum soluturam negavit: nec aliter fecit ac dixit, pessimo exemplo. Catholici interea Claudiopoli, Albae, Varadini ad placandum numen conversi, precationibus, supplicationibus, corporis castigatione, inedia, nihil non agunt. Theses a nostris de vera falsaque idololatria ad excutiendum propositae.

Quies aliqua videbatur rerum, conventu publico in comitialem annum, qui erat proximus, reiecto, sed non ferre iniquitatis ministri: tentaturos aliquid Jesuitas hoc tempore, affore Andream Bathoreum cardinalem, qui adventare dicebatur, coeptum omne sua praesentia et auctoritate disturbaturum: tundendum ferrum, dum candet: hostem impulsum prosternendum. Valescere impetu, audacia consilia, mora vanescere. Haec ubi accepta auribus animisque, exoriuntur comitia repentina, inita in oppido Saxonico Meggyesio, pervigilio Apostoli Thomae.<sup>28</sup> Eo die volitare Ariani et eorum asseclae Calvinistae: inserere se consultantibus et principis consiliarios nonnullos, quos evocaverant, turbulentis concionibus obtundere: rapiendum esse tempus, regnum in tuto collocandum exturbata papistica disciplina. Quid enim agunt aliud Jesuitae, nisi ut Romano Pontifici obtemperemus? Hosne semper timebimus, per secreta colloquia cum principe, per liberos nostros domi, per argutos sermones in publico? Quin vos electis istis speculatoribus occasione intentis, liberatis regnum periculo, iuventutem insidiis, senectutem metu? Haec illi in comitiis, ad quae etiam nostri (magis ne sibi desent, quam quod inclinatam iam nobilitatem et in proclive labentem retenturos sperarent) sibi veniendum rati, duce Christophoro Kereszturio, viro catholico et pio, in consensem senatorum deducti primum, deinde in templum, quo convenerat nobilitas (et si eos aliqui non introducendos censuerant) cum admissi fuissent, sacerdos is, qui Provincialis vicem gerebat, in hunc ferme modum Latina lingua

locutus est. «Ut comitia ista vobis, coniugibus, liberis vestris, toti regno prospera eveniant, Deum immortalem oro obtestorque: neque ego tantum, sed quot sunt mihi socii vestris in terris, atque adeo (ut unum idemque sentimus omnes) in orbe Christiano universo: quo magis miror, quid causae sit, cur de amicis vestris expellendis consilia agitatis. Septimus annus est, viri nobiles, ex quo in Transylvaniam Societas nostra, rogatu accersituque principum vestrorum est introducta. Hanc ii, tres ordine, sua auctoritate, vestri etiam conventus, publica fide firmarunt: nihil a nobis actum, dictum, cogitatum, quod esset adversum rationibus regni, aut a dignitate vestra alienum. Iam manere in nostra possessione, quae tandem invidia est? Unum obiicitur verbo crimen, auditu quam intellectu suspiciosius: quod istos vostros doctores, qui, ut ne quid gravius dicam, abutuntur facilitate vestra, si modo congressionem, ut saepe alias, non refugiant, vel toto regno disceptante, docere parati sumus. Quod si benefactis haec gratia rependitur, ut inauditi, indefensique mittamur, qui manebit honos Bathoreorum generi, si indignos vocabant, si ambebant arcendos? Sed eorum factum, si rem ipsam consideres, salutare Transylvaniae fuit et iudicium laudandum: etiamsi aliqui turbent. Cavete vos, ne turpe sit vobis sine causa eos dimisisse, quos illis fuit accersisse gloriosum: nobis quidem locus, quo recipiamur ab expertentibus, deesse non potest. Caeterum, viri nobiles, ad tam gravem deliberationem ne adhibete celeritatem et iram; haec enim rationi inimica est, illa consilio: cunctatio et matritas propiores sapientiae.» Haec cum dixisset, eadem Hungarice repetiit sacerdos alter, addita brevi refutatione eorum, quae pridie a ministro contra Summum Pontificem et catholicam religionem iactata essent.

Ad haec atque talia, a nobilitate senatusque, obtentu longioris consultationis, dissimulata responsio. Eodem tempore Kereszturius, nomine catholicorum, qui erant non pauci, litteras obtulit, quibus postulabant, ut secundum decreta regni aequa esset omnibus religionis libertas, neve ipsi carerent pastoribus animarum, aut eorum pastores acerbe tractarentur. Sed tunc quoque, ut saepe, vicit deterior sententia. Postridie, quamvis repugnantibus Bathoreis caeterisque catholicis, et vero etiam Somborio<sup>29</sup> quae-

store regni Lutherano, nobilitas ad principem misit libellum supplicem, quo iterum urgebat, ut idololatria, et Jesuitae eius propagatores e regno extruderentur: responsum dilatum a principe in alterum diem, datumque nobilibus in hanc formam: Inique postulari ab ipsis, a se honeste permitti non posse, rectores pueritiae suae, sibi a patre patruoque rege commendatos, publicis comitiis approbatos, nullius criminis reos, sed ne levi quidem suspicione praestictos, invidia tantum catholicae religionis, quam ipse pariter profiteretur, indicta causa, eiici e regno: aequum deinde esse, ut etiam catholicorum et aliquorum praeterea procerum alterius sectae preces excipientur: quorum vel salutem animorum, vel institutionem liberorum, quo utroque in munere cum utilitate totius regni elaborant Jesuitae, negligere nefas.

Die sequenti aliis obtruditur ab haereticis libellus in nostros maxime criminosis: eos esse hostes animarum, infestos fidelibus, turbidi ingenii, auctores invehendae Hispanicae inquisitionis: proinde iam nunc tandem regno excutiendos, ne pravitas tam infensa molientium, in publicam perniciem erumpat. Addebat, quae bona a nobis possiderentur, Stephani regis et Christophori Bathoreorum concessu, salvis legibus teneri haud posse, adversum comitia, quae celebrasset Isabella regina. Cautum illis erat, ne bona ecclesiastica semel ad fiscum devoluta, in usum ecclesiasticum ullo umquam tempore reverterentur. Alterum offerunt contra, quando res scriptis agebatur, catholici et superiora diluebantur: iniustum fuisse illud conciliabulum, et sine capite pro vano habendum, invalido perinde initio et irrito fine. Quam enim iniquiorem legem, quam si clerici, quos aequitas ipsa eximios habet, suis bonis atque eorum iure fraudentur?

Haec inter, praefectus, gubernatorem appellant,<sup>30</sup> malorum omnium caput, penes quem et aerarium publicum, et satellitium, per suos, ut ferunt, emissarios concitata multitudine minutae nobilitatis, varioque terrore expugnat<sup>tis</sup> catholicorum animis, qui cum principe sentiebant, ipsum etiam principem, defectionis metu injecto vel invitum adegit subscribere impiis postulationibus; nec mora: in paviglio Natalis Domini, sub horam alteram noctis, accitos nostros in aulam ita eos cancellarius cum altero senatore

allocutus est: «Quandoquidem universae nobilitatis sententiae eo decurrerunt, ut vos absitis e Transylvania, et princeps unus tantam molem sustinere non potest, nisi malit obteri, vestri consilii est, quid faciendum esse censeatis: et cupit quidem ille memor vestri beneficii, suorum magistrorum tueri innocentiam et iura defendere. Sed nunc tamen eo in cardine res est, ut vel vobis sit cedendum in praesens provincia, vel ipsi in perpetuum principatu; parendum tempori et minimum eligendum de malis, sunt effata sapientum: magnae procellae sunt populi in idem conspirantibus: et imminentia naufragio, conservandae salutis, vel carissimae merces in mare deiiciuntur. Nec vero fas vobis habere omnia loca, quae hactenus in Transylvania habuistis: adversari hoc legibus, quibus vetitum ecclesiasticos recipere bona, quae semel amiserint: et hunc locum maxime premere adversarii: nec habet senatus, quid respondeat. Ita eo non prohibente magis, quam approbante, defensio vestra consedit. Evidem etsi vos monitore non egetis, tamen in hoc ancipi malo, id darem consilii, ut quando id non potestis, quod vultis, velit id, quod potestis. Quin vos offertis ultro, quod estis amissuri, et hanc initis gratiam a principe, ut qui a vobis cum hic fuistis, accepit eas artes, quibus se regat, retineat vestro discessu auctoritatem regnandi. Vestrum non dimicare hoc tempore erit vincere, quibus etiam expediet semel cadere, quam semel pendere.» Ad ea breviter nostri, tempori et muneri convenientia: Abrogatum posterioribus decretis, illis prioribus, queis vel ab initio nullum robur: non esse e dignitate Transylvaniae, a principibus accitos homines, confirmatos auctoritate comitiorum, eiici finibus, ut exturbentur bonis, quibus homines inhiant: nam, quae alia causa mittendi? Quod si implacabiles sunt animi multorum, ut consulatur publicae tranquillitati, medium capiatur consilium: simus aliquo tuto in loco, dum residat tumor et furor incensus interiectu temporis languescat. Non deerit fortasse, qui iniuriam impositam principi, nostra restituzione reprehendat. Nihil valuere, quae dicebantur.

Natalis dies illuxerat: antequam sacrum facerent haberentve concionem, princeps ipse renunciat, stetisse sententiam, ut cederent ex omnibus civitatibus regiis, eamque revocari non posse. Sint tamen, si volunt, in suo

Monostoro, quod coenobium est Claudiopolitano suburbio continens. Ad extremum libellum supplicem dedere nostri, brevi auditu, cum expostulatione: hic etiam frustra fuit. Eodem die, auctores tragediae edictum consonum orationi principis in comitio promulgarunt: neque eo tantum contenta nobilitas, iisdem inflammantibus, seu quia priora processerant, utens occasione, plus etiam petiit, quam a principio optare ausa esset, ut tota in Transylvania iis esse liceret. Igitur postridie in feriis Sancti Stephani proto-martyris<sup>31</sup> post sacrum, quod postremum audivit princeps, sollemni exordio, «Principes persecuti sunt me gratis», ultimum telum vibratum est in Jesuitas. Prohibuit praefectus pedem efferre ex hospitio et ad aulam accedere: nec defuere, qui, nostrorum nomine, quaesierunt de principe, num adhuc vellet uti eorum opera in sacris faciundis: respondit praefectus nihil amplius istis sacris principi opus fore. Ita die Sancti Ioannis sacrum instrumentum remissum cum prolixa excusatione: coerceri non potuisse incitatam suorum libidinem, ne coercitio plus afferret mali: cautius visum, nihil adtrectare sine spe obtinendi: eos discedere se non assentiri, sed pati. Communis debet esse dolor in vulnere communi. Et certe ingemuit bonus adolescens electioni nostrorum. Itaque per totum diem non temperavit a lacrimis, ut iis siccandis duo linteola madefierent. Angebatur praecipue, cum cogitaret, hoc facto insignem aspersum iri maculam nomini suo, quod Jesuitae apud Pontificem maximum, caeterosque principes catholicos, in luce posuissent.

Egitur eo die Meggyesio dimissi, Claudiopolim versus, unde post tres septimanas omnino discederent: quo die tanta repente vis ventorum et turbo dicitur extitisse, ut et tectum templi, in quo conflatum fuerat infame decreatum, et camini culmen ex aedibus principis, et pontis Albani partem deiecerit.

Post haec, ut daretur sive inimicorum poenitentiae, sive amicorum consensui spatium, postulata a nostris missa ad principem, eorum tria capita. Primum, ut liceret expectare, dum tempus mitesceret, neve hieme gelida et nivosa per vias iam clausas discedere cogerentur. Deinde, ut P. Lelesius, qui olim admotus spei principis in eo informando multis laboribus, eam infirmitatem corporis con-

traxerat, ut proprius abesset ab extremo, Albae, prope templum catholicum, opperiretur mortem, et sepulcrum. Demum, ut exituris daretur publicum testimonium de titulo discessus: cum ob crimen nullum amandentur, sed ob invidiam catholicae assertionis. Illa priora duo silentio transmissa, nec, miserante licet ac retinere cupiente principe, Patri Lelesio decumbenti in lecto manere permissum: inhabili quamquam corpore labori et itineri, fuit asportandus. Postremum postulatum concessum cum testificatione irritatae in nos nobilitatis studio religionis, adiecto in aliis rebus honore verborum.



Meggyes.

Nec gavisi diu architecti facinoris. Praefectus ille, et gubernator, aut excitator potius ventorum, qui scitum extorsit, statim abire magistratu iussus et nihil impetrans e nostris bonis, quae iam spe devorarat, cum despondisset animum, antequam nostri Claudiopoli discederent, est mortuus: vociferatus, sero et se miserum clamans, quod non servasset fidem Stephano regi, Jesuitis expulsis.<sup>32</sup> Alii, qui nostris discessuris non satis moderate ferebant laetitiam, repentina animorum mutatione, ita sunt in fugae misericordiam versi, ut favere etiam inceperint: quin et de reductione cogitent, ni ministrorum pertinacia resistat. Nobilitas quoque, ut bona carendo magis intelligimus, quam fruendo, seipsa collegit, cum liberos, qui in seminariis

domi erudiebantur, nunc in Germaniam, Galliamve mittere et habere illic maximis sumptibus cogantur.

Insultabant interea alii Claudiopoli, quo nostri conveinerant, et vix manus abstinebant, sed et principis nota erat voluntas, et ipsius iussu dispositum praesidium ante fores collegii, violentos impetus retardabat. Per eos ipsos dies munia Societatis exercita incredibili fructu: ad concionem, profestis etiam diebus, concursus maximus: ad confessionem tantus, quantus in navi naufragio ingruente: nec facile dictu est, qui fuerit sensus catholicorum et nonnullorum, alta licet infectorum haeresi, nostris abeuntibus. Prosequebantur illos moesti, moestiores reddituri: sacras manus osculis fatigabant: tam crudele discidium flebili vultu lamentabantur: ad festinum redditum, implorata ope Pontificis, et aliorum principum, exhortabantur: orabant solatum solitudinis: tandem questibus finem imposuit necessitas profectionis.<sup>33</sup>

ANNI 1590—1591.

### Missio Transylvanica.

**T** nostri e Transylvania cesserint, memoravimus abhinc anno quarto. Post id tempus princeps Serenissimus, cuius studium nos retinendi non ignotum fuit, ut quamprimum revocaremur, curam intendit. Urebant pium animum sacrorum infrequentia et catholicorum tempa deserta. Igitur hoc spectans, ad nostrae Societatis magistrum, et ad Patrem Provincialem Austriae, ad Patrem item Ioannem Lelesium, quo, ut traditum est alias, usus olim pueritiae educatore litteras dat, paene supplices: ut superioris communem calamitatem temporis, quae vitari non potuit, e memoria deponentes, mittat, currentque aliquos, qui et in praesenti labantium piorum animas erigant, et in futurum alios adiungant. Verum, ne manentibus adhuc aemulis, revivisceret aemulatio, et res spei maxima maximaque utilitatis impediretur novis consiliis illorum, si animi asperarentur, mature potius agendum ratus cum securitate, quam praeceps cum periculo, rem hac ratione tegere constituit, ut veluti a locum tenente regni Hungariae episcopoque Nitriensi<sup>34</sup> sacerdotes

aliqui, suppresso Societatis nomine, quam non ignorabat futuram scopulum et nodum rei, venirent. Itaque ex Austria sacerdotes duo, cum socio missi,<sup>35</sup> octavo idus Apriles<sup>36</sup> Albam Julianam (ubi sedes principis) iverunt. Postridie (is erat Dominica ante Pascha, quae Palmarum appellatur) magno virorum conventu, coram proceribus regni ac senatoribus, eum salutant, redditis litteris, quas locumtenens episcopus mittebat. Excepti a principe sunt benigno vultu, gratumque illi fuisse eorum adventum, ut mos ferrebat, significatum est a cancellario regni, oratione Latina. Erant nostri mutato habitu vestis, ut ne qui essent, agnoscerentur. Itaque statim labori se accingunt; duobusque aliis ex Moldavia vocatis, duas sedes constituunt, Albae unam, Fogarasini alteram.

### Sedes Albensis.

**A**LBAE assignatum est collegium templumque Sancti Stephani, quod olim nostrum fuerat, cum commodo annuo vectigali. Diebus celebrioribus Latina et Hungarica habetur concio. Hungarica tantum, reliquis diebus festis, coram Ser<sup>mo</sup> principe aulaque eius, ac populo frequenti. Ad eos affluxere ex adversa schola complures, neglecta ferula magistrorum et ira contempta. Hinc feriis nascentis Christi, ac resurgentis ab inferis, sacro eius corpore vescentium multitudo non poenitenda.

Ad catholicos se retulere quadraginta quinque, in quibus Christianus Francken,<sup>37</sup> nostri olim ordinis, mox et catholicae religionis tertio desertor, triumque sectarum, Lutheranae, Calviniana, Arianae emansor. Utinam, qui multa probavit, nunc tandem quod bonum esse comperit, tenere animum inducat, has omnes sectas detestatus est principe coram eiusque aula,<sup>38</sup> ac populo universo (in quibus cum catholicis haeretici permixti) magno dolore ac pudore, quorum vultus, ac rubor indicium erat. Tum ab omnibus precatus est veniam, simulque libros, quos contra religionem ediderat,<sup>39</sup> scripseratque contradicendi libidine, aut plausum captans ingenii, sua manu conscidit: quin et cupiebat habere omnia exemplaria, ne cuiquam obessent.

Tres Calviniana mulieres catholicorum nuptias ambientes catholicae effectae. Aliam quamdam converterant

nostri, quae iam cum Calviniano erat. Haec postea, ut retulit, viri minis perterrita, cum vacillaret, senem vidit, cuius insidebat in vultu magna auctoritas, et ad eam, super caetera: «Iste tuus maritus, inquit, tibi auctor inconstitiae, oculis laborabit.» Vix ea dixerat abieratque, cum mulier virum exaudit conquerentem graves dolores oculorum: ergo visum conveniens cum facto magna ei perseverantiae causa fuit. Caeterum unus statim post baptismum animam emisit. Quinque aegroti iam nulla spe vitae producenda, ut confessi communicarunt, integrum receperunt valetudinem, medicis vix creditibus, quod videbant. Ex his duo, ante hoc vitae periculum, alieni a vera religione erant. Inter nobiles aliquot controversiae compositae, excitaturae magnas tempestates, nisi sedarentur. In nostro templo baptisati plures. Scholam puerorum domi habemus; doctores adhibuimus externos: omnia tamen reducuntur ad normam ac praceptam Societatis.

### Sedes Fogarasinensis.

**U**T primum sacerdos noster Fogarasinum venit,<sup>40</sup> statim auctoritate Ill<sup>mi</sup> Balthasaris Bathorei, qui illic dominatur, Arianus minister discedere coactus, relicita civitate adeo infecta, ut vix unus alterve inveniretur, qui liberos suos, ante pubertatem Christianos fieri vellet. Nunc res ita mutata est, ut vix tertium, quartumve diem a puerperio exspectent. Templum, more cultuque catholico, instauratum ornatumque, ut vel aemuli ipsi mirifice eius aspectu capiantur. Igitur exclamat: «Nunc templum est, ubi spelunca fuit.» Ex iis auxerunt recte sentientium numerum nonaginta sex; missis aliis, qui in morbi atrocitate idem praestiterunt, studio adipiscendae sepulturae, quae haereticis scilicet negatur. Nempe apud has gentes magnus honos funerum ac sepulcri. Arianorum filii baptisati duo, quadrimus et sexennis.

In utraque sede complures retexuerunt vitam confitendo, vel ex eo tempore, quo per aetatem iudicium facere potuerunt. Inter pagos urbis Fogarasensis, unus Saxonius est, nomine Bethlehem,<sup>41</sup> caeterum Lutheri; vetus sectator hic etiam ut pulsus est, corruptor populi, more catholico instructum est templum, et quo sit aliquis

animatorum esurientium cibus, evocatus est Alba frater noster linguae peritus. Is suo labore Deique auxilio paucis hebdomadis plus quadraginta quatuor deerrantes (in quibus aliquot patres familias) reduxit ad Christi ovile.

Dum haec per nos aguntur, Serenissimus princeps, quo liceat nobis non amplius personatis in eius regno versari, ad calendas Novembres<sup>42</sup> comitia indixit, cum prensaret interea, donisque ac pollicitationibus studeret pertrahere senatores ac nobilitatem in sententiam suam: et erat spes, si constitisset fides. Sed (adeo humanis ingenii parata simulatio est) qui Deo promissa non servant, non mirum fuit, si et hominem fefeller. In alia omnia magna conspiratione animorum abiere fere omnes: princeps solus relictus. Sed ipse tamen non cadit animo: rem iterum experiri decrevit, feliciori,<sup>43</sup> ut sperat, eventu: neque enim mirum est, si quod magnum est, caro emitur: et saepe fit, ut quod una atque altera agressione a volentibus non exprimis, saepius idem tundendo, vel ab invitis extorqueas.

ANNUS 1592.

### Residentia Albensis.

**E**UERUNT hoc anno quatuor e nostris sacerdotes, prioribus quidem mensibus, in duabus residentiis Transylvaniae, posterioribus vero in tribus, non absque fructu distributi.

Albae Juliae, ubi sedes est Ser<sup>mi</sup> principis Transylvaniae, Deus sua bonitate, duorum Patrum nostrorum opera effecit, ut 64 haeresi relicta, catholicam fidem magna animi alacritate susceperint. Et quidem ex illis duo, cum gravissimo morbo essent lecto affixi, divina quadam visione commonentur serio, ut Patrem nostrum, qui illos inviset, audiant. Accessit mox illos Pater nihil minus cogitans, cuius monitis obtemperantes, non solum animabus, verum etiam corporibus sanitas fuit quamprimum restituta. Alii duo a multis annis officio fungebantur concionatoris et ministri Calvinistae, unus illorum Albae Juliae per quatuordecim annos, alter in oppido Orbó. Istorum conversionem aegre admodum tulerunt caeteri ministri Calvinistae. Oppidum vero Orbó intelligens ministrum factum

Annals missi Transylvanicae

. a. 1592.

Fuerunt hoc anno quatuor et vix sacerdotes, prioribus  
quidem mesibus, istud ubi residetis Transylvanicis,  
posterioribus vero intibus, non ab aliis sicuti distributi.

1. Abbe Iulius, ubi sedes est serenissimae Trinitatis Transylvanicæ,  
Dux subordine, duorum suorum maxima opa affectus ut. & q.  
hieresi relata, catholicam fidem in magna animi placuisse  
suscepit. et quidem ex iis duos, cum gravissimo rebus agat  
Prætor nunc, qui illis invitat, audient. accedit mox illi P.  
mihil minus cogitans, cuius manutis obtemperantes, non solle  
arumabat, veram etiam corporis sanitatem fuit quadragesima  
resoluta. illi due a multis atritis officio congregantes Caius  
henry et Minister Calvinista, unus illorum illico per  
quatuordecim annos, alter in oppido Libo. iherusalem  
nem apic adhuc puseunt catenæ Ministeri Calvinista. oppido  
nunc D. istud intelligens Minister fatus catholicum, ex mem  
fidem ultro suscepit. quis sit, statim Minister, aquovis  
Calvini errores audire audierat, nunc fidei catholicæ unitate  
audire, multo audierat. Alij denique et eodem conversorum  
numeris nobilitate ac fama, et caritate insignes fuerunt, et  
quidem unus ex primis totius Regni familia.
2. Dividendum inter se dissidentes reconciliati. anno eode calidi  
itate Doctriinis inter serenissimam Prinçipem et quique aliquat  
Regni Proceres, ergo catholici, in minus periculis discordia,  
qua gravis erat, adeo brevi tempore crevit, ut universa  
religio catholica in interitum et deponit adseretur. quod  
cum prode mihi adsererent, oem industria in, ut sibi adhuc  
ment. neq. iuritus fuit labor. tempore nigrum quo malum hoc  
maxime indigebat remedio, non adeo singulari Dei  
prudentia, hinc a summo Pontifice absagatus fuit Natus  
Ramus Athilius et mestus, vir in amissimum, non  
prudens et crudus, qua prius. is cunctis viribus nobis  
foecundissime laboravit, unde nopus hinc Romæ discutit, qua  
fucem obtutam inter hos dissidentes compositionem reliquerit.  
Post ipsius vero in urbem aditum Deus indies meus armagis  
pacem ita iusitatem constituit, effectus cum amissione  
admiracione, ut duo impostores enumerari. Procuri aliena  
religionis a catholica deponendi fuerint audires discordium,  
in suorum capita Dei arcu iudicio facta, quod ipsi in processus  
catholicus et malitius etiam præter hæreticos uiderem nobis  
eussa fuit, non amplius ipsorum fisco traditum, uocatio statim  
extreme supplicio gestas, isto uerae qualibet officiis fa-

Specimen Annalium missionis Transylvanicae.

(Manuscriptum P. Alphonsi Carrillii.)

catholicum, eandem fidem ultro suscepit. Quo fit, ut ab eodem ministro, a quo prius Calvini errores avide audiebat, nunc fidei catholicae veritatem avidius multo audiat. Alii demum ex eodem conversorum numero, nobilitate ac familiae claritate insignes fuerunt, et quidem unus ex prima totius regni familia.

Duodecim inter se dissidentes reconciliati. Anno eodem calliditate daemonis inter Ser<sup>mum</sup> principem et praecipuos aliquot regni proceres, eosque catholicos non minus periculosa discordia, quam gravis enata fuit, adeoque brevi tempore crevit, ut universa religio catholica in interitum extremum adduceretur. Quod cum probe nostri advertebant, omnem industriam, ut saporetur, adhibuerunt, neque irritus fuit labor. Tempore namque, quo malum hoc maxime indigebat remedio, non absque singulari Dei providentia huc a Summo Pontifice ablegatus fuit nuncius R<sup>mus</sup> Attilius Amalteus, vir nostri amantissimus, non prudens et eruditus, quam pius. Is coniunctis viribus nobiscum felicissime laboravit, unde non prius hinc Romam discessit, quam pacem optatam inter hos dissidentes compositam reliquerit.<sup>44</sup> Post ipsius vero in urbem abitum Deus in dies magis ac magis pacem ita compositam constabilivit, effecitque cum omnium admiratione, ut duo impostores e numero procerum alienae religionis a catholica deprehensi fuerint auctores discordiarum, in quorum capita Dei arcano iudicio faba, quam ipsi in proceres catholicos et in aliquot etiam proceres haereticos videre moliebantur, cussa fuit, bonis amplissimis ipsorum fisco traditis, uno etiam statim extremo supplicio affecto,<sup>45</sup> altero vero, qui dum olfecit, se quoque plectendum, fuga sibi consuluerat, intercepto, cum iam iam prope Turcarum ditionem pervenisset, in carcerem reducto, in quo tandem capite identidem plexus fuit.<sup>46</sup> Isti duo fuerant praecipui auctores proscriptionis Patrum.<sup>47</sup> Erant etiam nunc, qui maxime adversabantur eorundem revocationi, et religionis catholicae promotioni. Eodem autem, quod mirum est, tempore hoc est de illis sumptum supplicium, quo tempore, ante paucos annos ipsi moliebantur Patrum proscriptionem, videlicet paulo ante festum Nativitatis Christi. Hoc igitur maximo impedimento sublato maximam spem catholici omnes et nos quoque concepimus, futurum, ut brevi, nullo negotio,

Patres a Ser<sup>mo</sup> principe et ab Ill<sup>mis</sup> Bathoreis, qui hoc ardentissime cupiunt, in Transylvaniam revocentur. Opus tamen erit auxilio precum totius Societatis.

Unus adolescens 20 annorum Albae baptisatus fuit, sex quoque alii, utrumque adultae aetatis, a Patre nostro, dum excurrisset ad oppidum unum Arianorum, qui baptismum etiam adulorum negligunt. Ex illis unus, qui dum baptisaretur, iam iam animam agebat, absoluto baptismo ac Patre praesente animam Deo reddidit. Confessiones generales totius vitae, haud paucae sunt exceptae.

Albenses catholici adeo exiguum et abiectum, sepius male septum, porcis et iumentis expositum coemiterium habebant, ut in eo sepeliri iam erubescerent, nec defuerint, qui idcirco anno eodem in coemiterio haeretico paulo honestiori suos filios sepeliverint. Nostri ergo, ut etiam in hoc honestati et solatio catholicorum consulerent, expensis partim propriis, partim ex eleemosynis corrogatis, emptis etiam ad id aliquot hortis, amplum et honestum coemiterium, magna cum laude tam haereticorum, quam catholicorum, lapideum exaedificarunt, totum a ruribus distinctum, qui aedificio haud exiguum pulchritudinem et sepulturis commoditatem afferunt. Fatentur omnes, in toto regno tam elegans coemiterium non inveniri, miranturque se videre duorum mensium spatio absolutum opus, cuius prima fundamenta cum poni vidissent, crediderant, ante triennium se perfectum non visuros.

Eodem anno, ut catholicorum devotio, divinusque cultus augeretur, Serenissimus princeps in nostro templo sumptibus aliquot millium aureorum, opere perquam magnifico et tanto principe digno, erexit organum praestantissimum.

Ad extremum, laborum nostrorum quantus sit Dei beneficio fructus, vel inde maxime licet aestimare, quod relictis ministris suis plurimi haeretici nostrum templum, nostrorumque conciones frequentaverint isto anno.

### Residentia Fogarasiensis.

**F**OGRASINI unius Patris opera, qui istius residentiae curam gessit,<sup>48</sup> centum et septem, partim Calvinistae, partim vero Lutherani ad ecclesiam catholicam accesserunt. Aliquot etiam morbo detenti conversi. Sacerdos

unus senio confectus, quem in Moldavia loco episcopi habebant, uxorem seu concubinam potius a triginta annis habebat, monitus Fogarasini a nostro Patre, serio resipuit concubinae valedicens. Nunc vero curam gerit cum aedificatione parochiae cuiusdam, quam ei tradidit noster Pater. Hoc ipsum effectum cum alio sacerdote, a 12 annis concubinario, qui optime se gerit in administratione cuiusdam parochiae, sibi a nostro Patre traditae, quae tametsi antea fuerit haeretica, iam tamen Dei beneficio catholica est.

Fogarasini plurimi baptisati sunt infantes ab eodem Patre, qui dum excurrisset ad oppidum cuiusdam domini Ariani, 22 baptisavit; quidam illorum erant 20 annorum, quidam 16 et 14 annorum.

Cum autem nostri adverterent hanc civitatem Fogarasiensem, quae ante nostrorum adventum fuerat prorsus haeretica, Dei benignitate catholicam iam esse, adeoque bene in catholicā religionē institutam, ut eius cura aliis posset concredi, advocarunt nostri tres sacerdotes non regulares, quorum pietatem habuerant exploratam, ut illis curam demandarent, uti demandarunt, plantulas novellas fovendi, quo nostri possent alio se convertere, ubi magis esset ipsorum opera necessaria.


### Residentia Fenesiensis.

**F**ENESINUM oppidum est Ill<sup>mi</sup> Cardinalis Bathorei prope Claudiopolim situm, in quo sedem suam ab aliquot annis fixerat superintendens ministrorum Calvinistarum totius Transylvaniae, quem ipsi episcopum vocitant. Is Ill<sup>mi</sup> Cardinalis auctoritate atque industria coactus est, suam sedem antiquam relinquere. Eam Ill<sup>m̄us</sup> Cardinalis aliis, quam nostris noluit tradere. Igitur Pater, qui prius Fogarasienses converterat, Fenesinum se contulit.<sup>49</sup> Templum et sacrarium, quod sordibus erat oppletum, cum in eo pulveres tormentarios asservare iam consuevissent, et omnino deformatum, destructis fenestrīs et pavimento, expurgari curavit, fenestras complures paravit, templum interius exteriusque dealbavit, pavimentum lateribus stravit. Altaria duo erexit imaginibus et picturis pulcherrimis ornata, tabernaculum item elegans pro venerabili sacramento et pretiosa aliquot paramenta ab Ill<sup>mo</sup> Cardinali accepit.




Pars meridionalis ecclesiae Sancto Stephano dicatae  
in arce Albae Iuliae, cum parte Collegii Societatis Jesu.

(Anno 1898. destructa.)




Pars septentrionalis Collegii Societatis Jesu, ecclesiae vicini.  
(Hodie in sacellum novi gymnasii mutata.)



Pars occidentalis Collegii Societatis Jesu.

(Anno 1898. destructa.)



Sanctuarium eiusdem ecclesiae Albensis.  
(Anno 1898. destructum.)

Istis ita bene compositis, adeo feliciter in festo Nativitatis B. Virginis conciones aggressus est et sacri celebrationem, ut cum oppidum prius fuerit Calvinistis et Lutheranis refertum, vix unus sit iam aut alter, qui ad Patris conciones non accedat, sacramque missae officium non reverenter audiat.

Ad festum Nativitatis Christi 74 confessi fuerunt et communicarunt, ex quibus 42 haeresim tunc reliquerunt. Tres denique pueri quatuor annorum baptisati sunt Claudiopoli a nostro Patre.

### Residentia Udvarheliensis.

**A**D finem istius anni Deo placuit novum campum, in quo laborando spaciaremur aperire. Die etenim 26. Decembris unus nostrorum Patrum, quem in subsidium nostrum ex Moldavia advocaveramus,<sup>50</sup> missus fuit Udvaraliam,<sup>51</sup> quae est una ex praecipuis Siciliae civitatibus, iamque a 40 annis a catholica religione defecerat, opera Ioannis regis Ariani. In ea a capitaneo arcis, optimo catholico,<sup>52</sup> exceptus humanissime fuit Pater, eiusdem voluntate arcis templum, quod a quadraginta annis fuerat per Arianos clausum, profanatum ac fere dirutum, in armamentariumque commutatum, curavit Pater sordibus expurgari, restaurari, pulchrisque imaginibus et altari erecto exornari. Hoc iacto fundamento, relicto etiam concionatore haeretico in templo parochiali, tantus populus ad audiendam concionem et missam Patris nostri se in arcis templum contulit, ut templum in festis Natalitiis tam frequenti populo non fuerit satis capax. Quo fit, ut Pater coactus fuerit extra templum sub diem concionari. Quinque fuerunt illis primis diebus haeresi abiurata confessi et quatuor baptisati. Non dubitamus, imposterum uberiorem fructum collectum iri.<sup>53</sup>

ANNUS 1593.

### Missio Transylvanica.

**H**OC anno ita sibi ipsis obedientiae praescripto socii quatuor distribuerunt tria loca, ut AlbaeJuliae duo sacerdotes,<sup>54</sup> Fenesini unus item sacerdos, et Udvarheliae alter laboraverint, ac pro virili Deo adiutore contenderint aliquem fructum in Christi horreum inducere.

### Residentia Albensis.

**C**ONCIONES diebus Dominicis et festivis coram Ser<sup>mo</sup> principe, magna hominum, praesertim nobilium, frequentia habitae sunt, non dissimili, neque minori fructu, accendentibus etiam haereticis, quam annis elapsis. Caetera quoque parochorum munia executi sunt nostri haud indiligenter. Haeretici unus et quadraginta a Deo nostrorum ministerio ad catholicam fidem adducti sunt, inter quos insignis fuit conversio nobilissimae cuiusdam matronae. Quo autem fructus iste magis ac magis in dies augeatur, in animum nostri induxerunt, ut corrogatis elemosynis pulchrum admodum templum exaedificaretur intra coemiterium, quod pro catholicis optimo lapideo muro anno elapso cingi curaverant. Itaque opus fuerunt aggressi in mense Maio, ut ad medium Septembrem fuerit aedificium usque ad initium testudinis deductum, magno catholicorum solatio. Ad primum autem lapidem ponendum instituta fuit celeberrima supplicatio ex templo nostro antiquo S. Stephani, ad locum novi templi, quod Angelo custodi dicatum fuit. Res profecto valde laudata et commendata etiam ab haereticis. Sex praeterea per pulchra candelabra argentea et tintinnabulum item argenteum pro templo nostro sunt parata. Instaurata praeterea omnia tecta, quae collapsa fuerant monasterii S. Michaelis, quod una cum villa fuerat Patribus nostris attributum, locus perquam commodus et amoenus amplissimo etiam collegio.

Cum hoc eodem anno Turca bellum indixisset christianis in Hungaria,<sup>55</sup> Serenissimus pro sua pietate, voluit Suam Sanctitatem<sup>56</sup> consulere, quanam ratione se deberet gerere hac in parte, nihil enim aliud magis in votis bonus princeps habebat, quam ut christianos proprio etiam sanguine iuvaret. Unde ad hanc rem perficiendam, unum ex nostris ablegavit ad S. Pontificem,<sup>57</sup> a quo etiam idem Pater coactus fuit Roma Pragam, de eisdem rebus acturus cum Sacra Caesarea Regiaque Maiestate<sup>58</sup> venire. Deus pro sua bonitate efficiat, ut res tandem eum eventum sortiatur, quem universa Christianitas potest exoptare. Opera denique nostrorum in tribus parochiis, in quibus catholici non fuerunt pastores, catholici constituti sunt.

SYSTRI  
Sedes Vratislauiensis, &c  
Transilvania.

In Transylvania quoque diligenter elaboratum est, & jatis copiosus fructus ex sylvestris illa regione percipitus. Aliae Iulie dno è nostris, non modo conciones ad Principem, ac populum habuerunt; sed etiam in summa Catholicorum sacerdotum penuria, omnia Prochorum munera obierunt, amplius quadragesima ad auitam religionem reduxerunt, ad Angelos loci Präsidii sacram, ubi conueniuntur, Catholici excitarunt. Ad ornatum aræ presertim alia sex candelabra argentea præclare facienda curarunt. Tecta item Cœnobij S. Michaëlis (quod cœnobium vnde cum rure per ameno societatis fuerat attributum) restituerunt. Cum Turce bellum in Ungaria Christianis indexisset, Princeps super ea re sacerdotem unum à nostris Romanum ad Pontificem, inde ad Cæsum allegavit, ut aduersus communem hostem communi consilio res gereretur Peresini. (Transilvania id oppidum est) unus sacerdos à nostris quinq; & triginta ad fidem Catholicam deduxit. Mulier heretica cum sacra concioni interesset, interpretantibus omnibus à diabolis è medio abrepta, per saxa, rupes ac flumina, ab eo loco tria passuum millia, in montis

mondis iugo derelicta est cum illa crucis signo  
voluas illas abegisset. Itaque sub vespe-  
ram domus reuersa ab hereticis ac diabolis  
ad Catholicos configuit nec eam sacra confes-  
sione expiatam. Diaboli amplius attigerunt.  
Civis Agnum Dei a sacerdote nostro impera-  
tum, cum in ignem, quo domus eius conflag-  
rabat, iniecisset. Statim restinxit incendium.  
comptures pueratque adolescentuli etiam vi-  
cenorum annorum baptismo lustrati sunt, in  
his mater vnde cum filiis quinque. Porro v d  
varalie a sacerdote nostra ducenti quinqua-  
ginta ad Catholicam fidem aggregati. Plurimi  
baptizati denum, vicenum, ac pene tricennum  
annorum. Ibidem aperso ludo litterario facile  
centum adolescenti ad nostram disciplinam  
se conulerant, qui ad Catholicam religionem  
cum negotio traducuntur.

### Missio Fenesiensis.

**F**ENESINI 35 haeresi abiurata ad fidem catholicam redierunt. Accidit autem semel magna omnium admiratione, ut quaedam mulier haeretica dum interesset concioni Patris nostri, opere daemonum, omnibus spectantibus, e media hominum corona, qui concessionem audiebant rapta fuerit, per rupes, saxa et flumina trium Italicorum miliarium spatio vecta, in cuiusdam montis iugo tandem derelicta a daemonе fuit virtute S. Crucis, cuius signo memor catholicorum doctrinae, seipsam tunc muniverat, ex quo quidem loco aegre admodum ad vesperum remeans (quod quidem iter prius confecerat uno fere momento) confessionem instituit, nostra fide suscepta sincere, atque ab eo tempore nihil daemon amplius contra illam potuit. Agni Dei virtute, quem civis Patris consilio maximo opposuit igni, quo domus tota conflagrabat, extinctus prorsus fuit ignis. Complures dissidentes ad concordiam perducti sunt. Ad extremum complures baptismō ab eodem Patre donati, e quorum numero octo fuerunt annorum unius et viginti; mater quoque una cum quinque filiis.

### Residentia Udvārheiliensis.

**H**OC anno labore nostri sacerdotis, Dei bonitate 250 nostram fidem susceperunt, ecclesiaeque catholicae fuerunt aggregati. Ad centum totius vitae confessiones aliorum hominum exceptae. In variis haereticorum locis conciones et sacra sunt administrata. Baptisati plurimi annorum 10, 20 et 25. Studiosi iam in schola catholica sub cura nostri Patris ad centum numerantur. Contulit se Pater noster, institutis publicis supplicationibus cum frequenti populo ad quaedam loca sancta, olim miraculis illustria, neque tamen hoc tempore defuerunt infirmi, qui Dei benignitate a suis languoribus liberati fuerunt. Utinam Deus concedat, ut in posterum ubiores fructus colligamus cum gaudio.<sup>59</sup>

ANNUS 1594.

### Missio Transylvanica.

**N**OSTRI quatuor, qui in Transylvania habitant, variis in locis diligenter in animarum salutem incumbunt atque partim plerosque ad gremium ecclesiae errantes reduxerunt, partim concessionibus et sacramentorum

usu catholicos in fide confirmarunt, quorum singulares historias percensere difficile est, quod P. Alphonsus Carrilius toto fere anno 1594 gravioribus et pluribus negotiis fuit impeditus, quominus res privatas annotare potuerit. Illud tamen memoria dignum videtur, principem Transylvaniae pro singulari sua pietate et in religionem catholicam amore, maximis difficultatibus et periculis domi ereptum, foedum Turcici tyranni excussisse iugum. Ille enim maluit ditionibus omnibus atque adeo vita ipsa orbari potius, quam cum suo magno commodo christianis bellum inferre atque in hoc divinae Maiestatis dextera eluxit. Nam cum immanes Turcae multis promissis urgerent, ne ab avito foedere descisceret et optimates sui copiosa et potenti manu urgerent, ne se christianis coniungeret, alioqui de eius vita vel exilio ageretur, ille cum iam insidias optimatum devitans e principatu excederet, ecce consilium subministratur, ut omnino in finibus provinciarum suarum subsistat atque ad plurimos tum proceres, tum nobiles et civitatum primores scribat se inique exditionibus exturbari. His litteris lectis communi voce contra optimatum voluntatem princeps revocatus, atque provinciis restitutis dignum de coniuratis supplicium sumpsit. Atque inde ad harum provinciarum solatium ipse princeps sacrum foedus cum imperatore iniit, atque ex domo Austriaca Mariam Christiernam desponsavit,<sup>60</sup> quae quidem, etsi clarissima sint haec trophya, tamen multis et praeclaris victoriis contra Turcas et Tartaros habitis ad omnium consolacionem nobilitata abunde videntur.

### Residentia Albensis.

**P**ATRES duo Albae in eisdem ministeriis similique fructu versati atque annis elapsis. Catholicorum numerus quadraginta haereticis auctus, qui haeresi relicta catholicam religionem amplexati fuerunt. Unus praeterea minister haeresim publice abiuravit, qui opera nostrorum in quadam parochia prius quidem haeretica collocatus, eam ab erroribus ad veritatem traduxit.

Pater, quem elapso anno Ser<sup>muin</sup> principem scripsi ad Summum Pontificem et a Sua Sanctitate ad imperatorem allegatum, perfecta legatione sua ita revenit,<sup>61</sup> ut Serenis-

simus princeps et omnes regni senatores maxime probaverint consilia et monita Summi Pontificis, instituendum videlicet foedus Transylvaniae cum imperatore christiano adversus Turcam, christiani nominis hostem. Quare eundem Patrem senatores omnes ad unum, qui aderant (aderant autem fere omnes) censuerunt remittendum ad Caesarem una cum capitibus et conditionibus foederis.<sup>62</sup> Is igitur secunda vice Pragam repetens et inde rediens in Transylvaniam, retulit decretum Caesaris authenticum, in quo propositis capitibus ordine respondebatur et petebatur, ut a Sua Serenitate et ab ordinibus Transylvaniae decretum reciperetur. Ob rei enim gravitatem Pater, quamvis sibi facta fuerit facultas et potestas a Serenissimo de illis capitibus concludendi, noluit tamen tantam rem in se recipere, sed totam conclusionem ac receptionem decreti in Ser<sup>mum</sup> principem ordinesque totius regni reiecit, ne de illo ullus posset unquam conqueri. Tota Caesaris responsio exposita et in decreto ostensa Ser<sup>mo</sup> principi admodum placuit. Unde in comitiis generalibus mense Maio Tordae<sup>63</sup> statim ac Pater revenit celebratis, laboravit strenue bonus princeps, ut ordines regni Caesaris responsum confirmarent reciperentque: statim contra Turcam arma sumerent, mitterenturque aliquot praecipui domini legati, qui agerent cum Caesare de firmando tandem foedere. Ita tamen fuerant iam animi aliquot praecipuorum senatorum praeter expectationem mutati, ut frustra laboraverit princeps, uti et duobus etiam aliis conventibus Albae coactis in eundem finem intra spatum duorum mensium: adeo animi aliquot procerum fuerant obfirmati, ut viderentur a partibus Turcarum unquam posse abduci.<sup>64</sup> Non destitit tamen idcirco pius princeps. Tertio enim conventu Albae congregato, adeo serio rem tractavit, ut nullus ausus fuerit non probare bellum contra Turcas et foedus cum christianis<sup>65</sup> 10. et 11. die Iulii, qua pro gratiarum actione Serenissimus cum tota nobilitate ad nostrum venit templum, et in eo vespertinae preces una cum *Te Deum laudamus* decantatae. Assignati quindecim dies, quibus nobilitas suas repetens domus re bene ad bellum instructa reverteretur, castra Ser<sup>mi</sup> principis secutura.<sup>66</sup>

Paucis autem post diebus, cum per angustias Husztenses in confiniis Transylvaniae atque Poloniae Tartari

in Hungariam ad 80 millia (ut communiter fama ferebatur) penetrassent,\* consciis, ut creditur nonnullis ex illis senatoribus, palam coeperunt Albensia acta refigere, ac contra Ser<sup>mi</sup> principis dignitatem et vitam, quod nolle Turcis adhaerere, ita moliri, ut prius illo Patre nostro, in cuius necem etiam conspiraverant tanquam instigatorem foederis christiani, quam paratissimus fuerat pro christianis sustinere, ex itinere abducto in arcem Bethlehem<sup>67</sup> tamquam in carcerem;<sup>68</sup> Ser<sup>mum</sup> principem coegerint in arcem Kővár fuga sibi consulere.\*\* Proditores Suae Serenitatis Claudiopolis mox convocatis comitiis generalibus<sup>69</sup> de alio principe eligendo egerunt serio, voti tamen iniusti et iniqui compotes effecti non fuerunt. Contra illos enim magna fidelitate tres nationes: Saxonica, Siculica et Hungarica, tota militia clamarunt constanter, se superstite legitimo suo principe Sigismundo Bathoreo alium habere principem nolle. Quare instituta a regnolis honorifica legatione ex arce Kővár Claudiopolim Serenissimus revocatur, ubi noluit in eisdem comitiis pergere, perrexitque ita feliciter, ut secunda vice etiam fuerit communi consensu decretum bellum contra Turcas et constituti quinque praecipui domini, qui Pragam, ubi iam idem Pater e carcere Bethlehemitico miro consilio eliberatus rem eandem cum Sua Maiestate

\* Ex libro excusso: Neque abest suspicio, dolo eorum, qui factioni Turcicæ favebant et christiano foederi adversabantur, invitatos.

\*\* Inde princeps Sigismundus ad proceres et nobilissimos quoque civitatum litteras dedit, quibus consilii sui rationem reddidit. Se christianum principem Christianorum fines velle, et posse suorum armis et auxiliorum, si et viri esse, et in fide velint permanere, a durissima impiorum servitute vindicare. Iniuste se suo imperio exturbari, qui nihil unquam nisi suorum procerum ac suae gentis commoda spectavit. Proinde etiam atque etiam videant, quo progrediantur. Si pellendis principibus assuescant, nunquam defore materiam seditionum, nunquam caedium. Ipsos prius quam alienos, qui de imperio certabunt, consumptum iri. Sibi quoque ad eos, quorum opibus ista moliuntur, receptum patere. Neque sibi aliorum arma defutura, a quibus ipsi quantumvis supplices non recipientur. Ac si imperium ferendum sit (non enim tot gentes superbiam, et avaritiam seditionorum patientur: quin antiquam reipublicae formam, suaque civitatis rectorem requirent) praestare suae gentis legitimo principi, optimo iure et omnium consensu ac iureiurando constituto parere, quam cuilibet per factiones seditionorum, adversis plurimorum voluntatibus, repentina libidine, ac paucorum potentia ambitioneque ad summum imperium subito evecto. Qui si quando iisdem, quorum est opibus imperium adeptus, displicere coepit, ad alios, atque ad alios, nullo mutationum sine summa rerum devolvenda sit: donec continentibus bellis exhausti, a gravi aliqua potentia omnes eadem ruina opprimantur. His litteris in conventu recitatis, animos boni sustulerunt. (Ibidem.) Similia scribit Sigismundus princeps (ex arce Kővár, 27. Iulii 1594) cardinali Andreae Báthory. (Szamosközy vol. IV. pag. 32—34.)

mandato Ser<sup>mi</sup> principis agebat, irent, foedusque pro tutela christianorum firmarent.<sup>70</sup>

Caeterum advertens Serenissimus princeps proditores minime quiescere,<sup>71</sup> sed iterum similia pro Turcis et contra suam personam moliri, eos omnes Claudiopoli curavit comprehendendi in mense Augusto, e quorum numero amplissimis eorum facultatibus fisco traditis, novem vel decem fuerunt extremo affecti suppicio.<sup>72</sup> Horum numero non pauci, miro Dei iudicio fuerant (superioribus annis) praecipui authores proscriptionis nostrorum Patrum.

### Residentia Fenesiensis.

**I**N HAC residentia maximo fructu spirituali, non minori modestia et aedificatione versatus fuit P. Marcus Merclerus,<sup>73</sup> filius profecto sincerus obedientiae ac vir singularis pietatis, qui paucis mensibus post anni initium sequentis, morbo aliquo detentus diu, fuerat ex hac vita calamitosa eliberatus, ad meliorem ac feliciorem, magno sui apud omnes desiderio relicto, pervenit; cuius quidem mors cum accidisset, superiore omnium residentiarum Transylvanicarum<sup>74</sup> Pragae agente ac caeteris Patribus absentibus, nihil potuit annotari de fructu per optimum Patrem percepto, nisi quod ecclesia ibi optime culta fructum ingentem et agricolam impigrum fuisse non obscure testatur.\*

### Residentia Udvarheliensis.

**A**FINE anni 1592 ita Deus rem catholicam Udvarheliae promovit concionante Patre nostro in arcis templo, ut deficientibus haereticis facilis negotio occupaverit Pater noster templum parochiale extra arcem, ab haereticis a 35 annis possessum, in quo ministri habebant suum, ut vocant archidiaconum, qui coactus fuit abscedere, non vi, sed fructu, quem vidit se haud posse iam impedire. Duo millia et eo amplius tam ex oppido, quam ex adiacentibus pagis, ad quos Pater excurrebat, ad nostram fidem accesserunt. Sex item ministri ac concionatores haereticorum,

---

\* Ex libro excusso: Sed apud Deum humanarum litterarum memoria nulla opus est. Fructum certe maximum ab ipso profectum esse certum est, quoniam impiger vineae Domini cultor semper fuit.

inter eos non mediocris existimationis, conversi. Uxor et domini capitanei arcis<sup>75</sup> cum matronis eiusdem civitatis non paucis catholicis annumerata. Baptisati plurimi 16, 20, 25 et 30 fere annorum. Aqua lustrali statim atque in nomine Domini quidam se intinxisset, ex gravissimo morbo liberatus fuit.

ANNUS 1595.

### Missio Transylvanica.

**V**ERSATI sunt primis huius anni mensibus in Transylvania ex nostris sacerdotes tres, duo Albae Juliae, Udvarheliae unus.<sup>76</sup> Ubi vero omnium totius regni procerum consensione ac publico decreto, in generalibus comitiis ad 16-tum Maii congregatis, Societas reuocata est, nihil sibi pientissimus Princeps aequa curandum duxit, quam ut nostris, eodem mense per suos delegatos et senatores Claudiopolitanos, sollemni diplomate collegii, ibidem ac abbatiae Monostoriensis possessio redderetur.<sup>77</sup> Convocati igitur ex variis locis sacerdotes octo, magister unus et duo coadiutores, qui in excolenda hac vinea studium suum collocabunt.

### Collegium Claudiopolitanum.

**R**ESTITUTUM est Societati hoc collegium, ut supra diximus, mense Maio. Collocatus in eo sacerdos, qui et concionatorem, et superiorem ageret, apertae statim tres scholae grammatices, humanitatis una,<sup>78</sup> in quibus externorum opera usi sumus, quo ad alii ex nostris submitterentur. Accesserunt diversis temporibus sacerdotes octo, quorum aliqui concionibus, aliqui docendis humanioribus litteris incumbunt. His unus magister adiunctus est et duo coadiutores, alii aliis Societatis officiis occupantur. Coptae iam haberi Dominicis et festis diebus conciones quaternae: duae in templo nostro Hungarica et Germanica; duae in Monostor, utraque Hungarica; quorum sane initia, ut in diserta iam pridem solo, fuerunt non infructuosa. Nonnulli ab haeresi absoluti, alii a superstitionibus abducti, nutantes in fide confirmati, redditи a quodam 50 aurei, sacerdos unus a vaga ac militari vita,

alius a concubinatu abstractus. Multi confessione generali expiati, inter quos iam annum agens centesimum, alter nonagesimum, nunquam recte conscientiam sacerdoti detexerant. Baptisati in civitate 40, foris in excursione quadam 32, et inter hos plerique adulti, adeo vero populus audita nostri Patris concione de veteri eaque Romana et Catholica fide complectenda commotus fuit, ut haereticam rabulam mox electuri fuerint, nisi dominorum, quibus subiecti sunt, metus obstitisset, nihilominus obnixe a nobis petierunt, ut apud dominos eorum causam agamus, ut a praedonibus animarum, qui ipsis et maxime invisi sunt, tandem aliquando liberentur.

Duo infirmi exclusis per nos haereticis saluti animae consuluerunt. Cum Serenissimus princeps ad festum Omnia Sanctorum Claudiopolim venisset, magna pietatis significatione, cum tota sua aula in templo nostro communicavit, ac sequentibus aliquot diebus, in quibus hic commorata est, pluribus sacris audiendis, catholicorum animos plurimum erexit. Auditae etiam circa idem tempus nonnullae confessiones diu intermissae. Iuventus in quatuor scholas distributa paulatim crescit. Speramus amplum numerum, ubi seminarium fuerit restitutum. Aluntur interim corrogatis piorum eleemosynis 20 pauperes, quorum studia confidimus his partibus suo tempore non modicum profutura.

### Residentia Albensis.

**F**RUCTUOSA omnino fuit, pro paucitate nostrorum in concionibus aliisque officiis Societatis hic opera, reducti ab haeresi 66, a Turcica superstitione erepti 4; fuere inter eos, qui haeresim eiurarunt, duo filii cuiusdam insignis dynastae et tres primariae nobilitatis aulici, item aliquot Calvinistici evangelii declamatores, quorum conversione magna speratur ad fidem catholicam accessio. Dominabitur in concionibus prae caeteris unus, qui et humanitate, et eruditione reliquos facile anteibat. Huius a Calvino defectio, ut reliquis haereticis molesta, ita catholicis fuit admodum grata. Provisum est eidem de parochia oppidi non vulgaris, in quo cum Calvinismus omnia prius occupasset, sic huius industria hominum animi permoti sunt,

ut iam omnes praeter duos ad nostram ecclesiam transierint. Eiecti similiter ex aliis oppidis et nonnullis pagis et arcibus plures dogmatis Calvinistici buccinatores, et eorum loco catholici substituti, quorum opera ubique tam utilis fuit, ut difficile sit eorum numerum inire, qui haeresim reliquerunt. Operabantur duo passim sacris et nusquam consecrati facta variis locis sacramenta administrabant, uterque per nostros a tanto sacrilegio resipuit.

Restitutum est catholicis hoc anno ipsa Dominica Laetare,<sup>79</sup> templum Albae celeberrimum, quod Ariani et Calvinistae iam 40 annis tenuerant,<sup>80</sup> in huius reconciliatione, mira Serenissimi eluxit pietas, cum reconcilianti sacerdoti ipsem aquam lustralem argenteo vase praferret, ac sacro Missae officio magna omnium admiratione ac devotionis significatione inserviret. Evenit autem singulari Dei providentia, ut hoc ipso die Graetii<sup>81</sup> sponsalibus cum Ser<sup>ma</sup> ac pientissima archiduce Maria Christierna per legatum sollemniter celebratis Deus bonum principem geminato gaudio cumulaverit.<sup>82</sup>

Porro foederis inter imperatorem ac Ser<sup>mum</sup> principem is fuit hoc anno fructus, ut princeps Sinanum Bassam supremum belliductorem, plusquam ducentis milibus Valachiam ingressurum, ingenti clade affecerit, ac omnibus fere impedimentis exutum in turpissimam fugam coniecerit; tribus praecipuis arcibus, quas Turcae firmissimo praesidio munierant, in suam potestatem redactis et beegis aliquot, qui dynastae sunt inter eos, et uno bassa captis.<sup>83</sup> Adfuit principi unus ex nostris concionator,<sup>84</sup> cuius labor multis in exercitu salutaris fuit.<sup>85</sup>

Non minus felix altera principi visa est expeditio, quam per suos duces alibi suscepit, profligatis enim bassae Temesvariensis copiis, ac duobus etiam in pugna beegis comprehensis, Lippa, munitissima civitas, cum duodecim aliis arcibus ditioni christiana est adiecta.<sup>86</sup> Redeuntem Claudiopolim ex bello principem et pro agendis Deo gratiis primum in aedem nostram divertentem, quidam ex nostris Patribus luculenta oratione latina exceptit, idem officii genus etiam praestitum est, cum sexto Augusti in eodem templo nuptiae sollemni apparatu fuerunt celebratae, quas nostri quoque variis et exquisite pictis emblematis et aliis carminibus exornarunt.



PRO CHRISTO ET  
PATERIA.

### Residentia Udvarheliensis.

**U**BEREM hic sacerdos laboris sui retulit fructum, cuius opera cum in collegii Claudiopolitani restitutione esset necessaria, mense Maio revocatus est ac eius loci cura alteri parocho saeculari commissa: obstitit enim personarum inopia, quominus alias ex nostris restitui posset.  
Haec de primitiis nostri reditus in Transylvaniam.<sup>87</sup>

ANNUS 1596.

### Collegium Claudiopolitanum.

**S**UNT e nostris in Transylvania unus et viginti in duo domicilia distributi: sexdecim Claudiopoli; ex iis decem sunt sacerdotes, e quorum numero duo, tribus adjunctis fratribus, scholis praesunt; tres alii sunt coadiutores. Albae Juliae resident quinque: sacerdotes quatuor, unus coadiutor.

De Claudiopolitanis prius. Hi in tanto bellorum motu atque haeresum colluvione, nunquam cessarunt de hominum salute benemereri; sed in tam vasta tamque multiplici errorum sylva divini verbi sementis est admodum exigua. Danda in primis opera, ut errorum squalore deterso, religio ad pristinum nitorem reducatur; laboratur vehementer, neque sentes solum passim enascentes extirpanda, sed annosae etiam et multo cortice duratae quercus succiduae: tum si quid emolliti soli reperitur, multa diligentia excolendum, neque ex tam parvulis areolis non idonei fructus colliguntur; etsi speramus in dies meliora.\*

Ipsa resurgentis Christi die<sup>88</sup> ducenti et quadraginta in nostro templo divinam mensam iniverunt, reliquis diebus pauciores quidem, magno tamen rerum divinarum

\* Omissum: De quibus sane omnibus illud in universum dici potest, in tanta rerum perturbatione ac bellorum tumultibus in tam foeda haeresum fere omnium colluvione, quibus haec tota mirum in modum squaleat atque afflictatur provincia, nullam eis defuisse materiam vel meriti, vel laboris. Singuli vero Societatis memores instituti, ita se gesserunt, ut et Societas dignitatem retineret suam, et animos ac voluntates omnium eidem, quam maxime fieri posset conciliarent. Neque in tam multis procellis sterilis hic omnino agellus fuit; imo vero eos ad Dei immortalis gloriam edidit fructus, qui reliquis Societatis Patribus et fratribus non exiguum voluptatem laetitiaeque afferre possint.

studio succensi, hos ad propagandam sementem pietatis, dum subinde obsita humus expurgatur, speramus non inutiles futuros. Neque in spinis evel lendis inutilique materia amputanda colonorum iam cessat industria; et, ut tempora se dant, non sine fructu. Conciones Hungarica et Germanica, pro loci natura, sunt admodum frequentes; ad quas multi etiam ventitant nondum catholici, qui tamen ad fidem catholicam ostendunt se satis propensos. Ab uno e nostris sex, ab alio duodecim, ab alio quatuordecim, ab alio plus triginta e variis et maximis erroribus extracti, ad ecclesiam catholicam sunt aggregati. Inter hos ministri duo pestilentissimi Calvini dogmatis inani verborum pompa disseminandis, magnum sibi nomen compararant. Hi multis cum uno e nostris disputationibus habitis, sua cognita nequitia, acquievere tandem veritati. Aliqui eo impietatis progressi erant, ut (qui terminus tandem est haereseon, et meta extrema) ne Deum quidem esse ullum existimarent. Hi quoque a tam immani errore ad verum Deum sancte colendum revocati. Non desunt multa quotidie, tum in Societatem nostram, tum in pusillum hunc catholicorum gregem divinae benevolentiae argumenta.

Sub verni temporis initium funesta quaedam febris urbem universam pervadens, tantam haereticorum edidit stragem, ut singulis fere diebus duodeni, quindeni, interdum etiam duodecimi sepulturae mandarentur, cum e catholicis paucos admodum, et eos omnino leviter attigisset. Qui statim atque divina sacramentorum pharmaca adhibuissent, in pristinam restituebantur valetudinem. Has aliasque, quibus post invectas haereses haec gens calamitatibus afflita est, multi viri graves animo reputantes, palam faterentur, aut regnum hoc universum collapsurum, aut divina bene iuvante providentia collapsam religionem in veterem dignitatem reddituram.

Serenissimus princeps cum Pragam rediisset, ipso dominico palmarum die,<sup>89</sup> in templo et rei sacrae, et concioni, magna tum haereticorum, tum catholicorum caterva stipatus interfuit; oleae etiam ramum cum aliis, qui adherant, de manu sacerdotis accepit. Idem a Ser<sup>ma</sup> coniuge, quoties in urbe fuit, magna cum pietatis significatione factitatum. Sunt et ex peregrinationibus manipuli aliqui non inanes reportati.

Sacerdos cum comite uno per intermissiones studiorum Albam Julianam peregrinabatur; cum Tordam venissent (ea civitas est in itinere quindecim circiter miliariis<sup>90</sup> a Claudiopoli) linguae ignari quaerunt per interpretem ex iis, quos tum forte in foro habuere obvios, ecquod esset hospitium, quo diverterent; benigne admodum se, suamque domum unus ex eodem numero iis defert, ad se divertant, rogant. Ducti domum excipiuntur humanissime, cumque se ex itineris labore aliquantum recreassent, accedit hospes, sermonem cum iis orditur magna comitate et quod eius linguam nostri minime tenerent, Latine, ut poterat, loquebatur. Deo gratias agit immortales, quod intra sua tecta tales hospites diversarentur: homines sibi coelo demissos credere; nihil sibi ad sua vota accidere potuisse opportunius. Nostri primo mirari in tanta Arianorum barbarie tantam in homine hospitalitatem; scatet enim hac haeresi omnis illa ora:<sup>91</sup> baptismo abstinent, et externorum contagionem, tamquam pestilentiam devitant, ita ut fere sunt homines vafro ingenio et calido, initio nostri non ei facile se credere, sed aliquid insidiarum subvereri, quorsum tandem evaderet expectare. Delebitur ille sensim in impiarum sectarum detestationem et turbulentorum concionatorum reprehensionem; eos veteratores, fraudulentos, impostores appellare, omnium rerum divinarum humanarumque ignaros asserere, nihil in eorum concionibus esse, praeter historias Romanorum et fictas fabulas, commentaque poetarum, nullam se posse habere cum hac hominum labe, seu vomica potius, consuetudinem; eorum doctrinam, fucatasque conciones exsecrari. Nostri, qui ab homine hoc ignoto se facile circumveniri posse suspicabantur, quo magis eum in suorum reprehensionem invehi animadvertunt, eo magis exitum rei explorabant, itaque caute ac pedetentim sermonem excipiunt, universe tantum modesteque haereses damnare; illud tamen potissimum urgere, quo fere arguento haeretici tenentur, unam illam, veram certamque religionem esse, quam olim in Ungaria cum ipsa opibus, et gloria maxime floreret, reges potentissimi, iidemque viri, sanctissimi coluissent. Adiecit sermoni hospes, natam sibi esse filiam haereticam trium annorum, nondum sacro baptisme renatam: rogat enixe, ne eam tam salutaris beneficii diutius expertem esse patientur: cupere se tantam

sibi coelitus delatam occasionem non amittere. Hospita interim pestifero Arii veneno ab incunabulis imbuta, sagaciter rem odorata, per speciem rei domesticae quaerendae, conclave illud, in quo sermones isti habebantur, saepius ingreditur: arculas magna dissimulatione perscrutatur, ut interim, quid tam longo sermone ageretur hauriret; demum quasi id, quod quaerebat, reperisset, puellam ob adversam valetudinem prope cubantem furibunda corripit, indeque magno impetu asportat. Eam perturbatus maritus, nostris relictis, insequitur, et ut erat validior, infantem ex eius arctissimo complexu avellit, sacerdotique laetus sacro baptis- mate tingendam defert. Ita magna cum ipsius nostrorumque voluptate puella Christo aggregatur. Victa mater fletus, et querelarum plena in proximum se cubiculum inclusit.

Nostri postquam rem agi serio intellexerunt, animosiores facti, liberius in Calvinum, Lutherum, aliaque sathanica portenta invecti, copiose multa de catholicae religionis veritate disserere coeperunt; quibus permotus hospes, ingemens unum illud sibi ad perfectum laetitiae cumulum deesse queritur: coniugem suam id aetatis foeminam, nullius unquam neque baptismi, neque alias sacramenti factam esse compotem: id se rescisse postquam eam in matrimonium duxisset. Quare cum neque hanc unam ob causam ei posset nuntium remittere, neque eam monitionibus aut verberibus ad baptismum petendum adducere, vitam se plane ducere miserrimam. Proinde eos orare, si quid possent, sua aut hortatione, aut ad Deum prectione, darent operam, ut a praepotenti Deo tam expediti voti compos fieret. Iubetur homo bono esse animo; et rem licet difficilem, a divina tamen bonitate expectare. Tentatur mulieris animus a marito primum: nihil proficitur; advocatur mater eadem et ipsa infecta labe, sed ad sana consilia facilius. Cum matre, quae facile postmodum salutaribus monitis assenserat, et familiares alii convenerant, et quidam praecipue trium linguarum Germanicae, Ungaricae, Italicae peritus, qui et ipse forte ex itinere eo die diverterat ad annum. Mater cum lacrymis filiam obtestatur, ne in re tanti momenti se velit esse pertinacem; hortationes adhibentur amicorum: per interpretem illa disputantur, quae praesens tempus postularet. Quid multa? Amicorum contentione et rationum, hortationumque nostro-

rum efficacia expugnatur muliebris pertinacia: spectantibusque omnibus, hospita ad sacerdotis pedes provoluta, incredibili cum mariti voluptate, baptismum petiit, mysteriaque religionis, quantum brevitas temporis permisit edocta, una cum matre baptismo lustrata, et ecclesiae Christi aggregatur\* et cum marito, a quo religione dissidebat, arctiore quam antea amoris vinculo coniungitur. Ita pio catholici hominis studio, plusquam ille optare ausus esset, abunde satisfactum. Ea dies omnium, quas viderat in vita, laetissima marito fuit. Sic saepe solet divina miseratio, unde minime expectatur, eiusmodi fructus colligere. At quanto plura in eo genere quotidie contingent, si ea nobis operarum copia suppeteret, quae messis multitudini par esset? Sed hoc in privata familia, et tenui fortasse; illud in magno viro ac perillustri, atque in oculis clarissimae civitatis contigit.

Andreas Concrevius fuit in Scotia loco natus honestissimo. Is Transylvaniae principis opinione permotus, cum delecta Scotorum equitum manu ad eum se contulit.\*\* Paucis diebus quam venerat, de repente trepidus nuntius Albae perfertur Lippam urbem, quam superiore anno Transylvanus magna cum gloria de Turcarum tyrannide receperat, praesidiumque ibi relictum, in magno discrimine versari: ita verendum esse, ni mature subveniatur, ne maximo cum damno tot parta decora corrumpantur. Subsidio mittitur Andreas cum expedita manu; pugna cum hoste committitur tanta virtute ac felicitate, ut urbs obsidione liberaretur. In eo proelio egregiam operam navavit Scotus, ut illius diei Victoria et firmissimi praesidii defensio uni illius virtuti tribueretur. Interim Transylvanus serio de Temesvariensi obsidione cogitare coepit; militem, arma et apparatus reliquum, quae ad urbem illam obsidendam necessaria fore videbantur, comparare: Andream Lippa accersit, secumque in eam expeditionem ire iubet. Obsidetur urbs, moenia quatuntur, murorum parte deiecta, christiani urbem adoriuntur: a propugnato-

\* Omissum: coelesti tum abluitur unda, inclytum Annae nomen sibi deligit imponendum, atque ita uno eodemque tempore singulari quadam Dei providentia, praeter omnem expectationem, mater et filia miserrime errantes, ad reliquum Christi gregem aggregatae... fuere.

\*\* Omissum: et exceptus fuit a Serenissimo uti par erat, humanissime.

ribus animose defenditur: atrox utrinque concitur proelium. Scotus gloria incensus, atque in primis ferox, qui principem invictum virtutis singulorum spectatorem esse cerneret; neque ullum paulo fortius factum eum fallere, in eam murorum partem, qua iam fere in urbem pugnantibus aditum dabat, per innumera hostium tela molitur ascensum; ac dum adversus infinitam sagittarum et glandium procellam, quae ab hostibus accidebant, fortissimis quibusve cadentibus, ipse fortissime dimicando contendit; glande illi alterum brachium traicitur; quo ex vulnere defectus viribus, proelio excedit; crescenteque in dies vulneris acerbitate, curru Claudiopolim devehitur.

Tanti viri casu cognito, perditus nefariae impietatis quidam Arianorum minister, ob veteris amicitiae coniunctionem, ultiro hominem ad se invitat, excipitque humaniter hospitio. Verum vi morbi crescente, ut nulla, aut perexigua spes esset, coepit serio vir clarissimus de animi salute cogitare. In ea cogitatione tum anteactae vitae errata hominem torquebant, tum una illa cura angore maximo animum sollicitabat, quod a prima aetate in pestiferis Lutheri, Calvinique fallaciis enutritus, ad eam diem tanta socordia ac religionis negligentia vixisset, ut nunquam ex foedo illo ceno emergere laborarit: nunc se in eum statum devenisse, ut nullus segnitiei, aut ne tantulae quidem morae locus sit: magistrum igitur dari sibi cupiebat, cuius opera, discussis errorum tenebris saltem ante obitum veritatis lucem aspiceret; hospitem autem, apud quem diversaretur, qui se sat bonum religionis magistrum esse diceret, impostorem nequissimum esse intelligebat. In hoc curarum aestu placuit sacerdotem nostrum, qui ad Saxones Claudiopoli tum conciones Germanicas habebat, per secretum internuncium acciri; ei omnia animi sui sensa detegit, quid sibi in tali re, ac tempore facto opus sit, exquirit. Proponit noster, quae et tempus, et praesens rerum status postulare videbantur. Hic vesanus Verbi Dei proclamator, qui sibi cum Jesuita homine ad disserendum prompto rem futuram cerneret, non satis ipse, neque a doctrina instrutus, neque veritate suffultus, certamen veritus, tutius esse duxit hostem aliena manu arcere, quam suo cum dedecore tali cum adversario contendere. Ita divinae gloriae velamine obtectus, persona procaciter assumpta pietatis, per

summam simulationem, urbis praefectum adit; indignum facinus exclamat: audere Papistam sacerdotem, hominem idolatram (sic enim nos per contumeliam appellant) intra puri Verbi Dei concionatoris aedes, pedem ponere; ibi in ipsius oculis sanctissima dogmata acumine verborum confutare; hominem iam iam moriturum a recto salutis itinere seducere; proinde per Deum etiam atque etiam videat, ne si tanta petulantium hominum audacia non severe vindicetur, paulatim universa concidat religio. Praefectus recognita, se deliberaturum esse respondit. Paulo post importuno simulatori renunciari iubet, ius esse cuique, in eo praesertim vitae statu, quamcunque velit doctrinam sequi, quoscunque velit sacerdotes adhibere. Nostri tamen, ut inanes vitarent altercationes, et ne Sacrosanctum Christi Corpus in tetricam domum inferre cogerentur, aegroto suaserunt, ut inde emigraret. Itaque commodius nactus hospitium, pestilente hospite relicto, ad catholicum hominem divertit. Ibi liberius salutaribus Christi praeceptis eruditus, vero cum pietatis sensu veteres errores detestatus, ecclesiae catholicae restitutus: gliscente postmodum vi morbi sacramentis omnibus munitus inter sacerdotis nostri manus magna cum tranquillitate animam Deo reddidit.<sup>92</sup> Maritum ac parentem optimum imitatae uxor et filia, a pravis haereticorum corruptelis, ad verum se Christi cultum transtulerunt. Tam strenui ducis iactura, ut omnium animos moerore, sic mors tanta cum pietate obita, catholicos pia quadam iucundaque voluptate incredibiliter affecit.

Scholas habemus quinque, Grammaticae tres, quartam humanitatis, quintam Rhetoricae; eae frequentia florent; multoque felicius florerent, nisi eos parentum metus nostrorum consuetudine prohiberet. Speramus tamen eorum numerum auctum iri in dies. Sed multum est operae in hoc novali proscindendo. Iam pridem enim catholica religio in his terris exolevit, ita ut vix surculi pauci reliqui sint; in quibus quidem excolendis non labor ingens est; sed ager undequaque variis haeresibus sylvescit; quem damus operam, ut ad veterem cultum nitoremque reducamus. Et nunc his paucis annis primam quodammodo fidei sementem facere coepimus; cuius magna pars in scholis et puerorum eruditione sita est; quotidieque, quae Dei bonitas est, seges augetur. Auditores magna ex parte

ex variarum haeresum colluvione confluunt Ariani, Lutherani, Calviniani, Anabaptistae, aliarumque infernarum pestium, quibus una cum lacte litterarum, studemus succum et sanguinem verae religionis infundere. Omnes enim Patris Canisii *Catechismum* magna addiscunt animi alacritate, libenterque sermonibus intersunt, qui ea de re festis diebus illorum causa habentur. Et iam ex eorum discipulorum numero quatuor Ariana insania relicta, aquis vitalibus abluti sunt, quod sane ad gymnasii nostri decus et gloriam non exigui momenti esse ducimus, praesertim cum haud infimae sortis adolescentes, sed Claudiopolitani cives essent. Horum unius baptismus apparatu solito maiore in templo publice celebratus est, cui Serenissimus Princeps<sup>93</sup> interfuit. Secundum eum baptismum Alphonsus Vicecomes episcopus Cerviensis, per id tempus in hoc regno nuncius Apostolicus, non contemnendum numerum virorum ac mulierum sacro confirmationis chrismate signavit. Res ob desuetudinem prope nova in hac ora. Sed modo divina bonitas coepitis aspiret, ea paucis annis fore speramus incrementa, quae nos ad immortales Deo gratias agendas excitabunt.\*

### Residentia Albensis.

**A**D hanc residentiam pertinent sacerdotes quatuor, de quibus unus in negotiis gravissimis totum annum peregrinatus est, alter vero in aestate cum Ser<sup>mo</sup> principe ad Temesvarum oppugnandum profectus, conciones in castris habuit et militum confessiones exceptit; sacerdotem schismaticum reduxit; ad Agriensem cladem<sup>94</sup> proficiscens febri correptus substitit Varadini, ubi viros iuxta ac mulieres sacramento poenitentiae et Eucharistiae utiliter refecit.

In Paschate confessi sunt Albae 300. Ex his haeretici, qui nunquam confessi 50. Alias item haeresim abiurarunt septem, Mahometanam superstitionem duo. Due familliae, quae intestino odio laborarant multos annos, reconciliatae. In duobus pagis, quos iam novendecim annis Ariani tenebant, baptisati sunt plurimi; in quibus fuere

---

\* Omissum: Non desunt alia quamplurima cum in Societatem, tum in universum hunc catholicorum coetum benevolentiae divini numinis argumenta.

duae foeminae nobiles, et una quidem partus doloribus acerbe cruciabatur, quae baptisata statim sine ullo cruciatu peperit; alterius exemplo venerunt ad baptismum sexdecim viri et mulieres adultae, parvuli vero plurimi. A vaga libidine duae foeminae ad matrimonium traductae. Foemina haeresi repudiata et concubino schismatico, nupsit catholicu et vitam feliciter finivit.

ANNUS 1597.

### Missio Transylvanica.

**N**ON possunt iam sine moerore Transylvanicae res commemorari, cum tam laeta rerum initia tanti motus postea sequuti sint, nec quem adhuc extum res habitura sit, satis appareat. Non est tamen optimi principis Bathorei tanta in nos benevolentia silentio praetereunda; et est quacumque ratione in praesens adversarum rerum molestia voranda et coquenda tristitia.<sup>95</sup> Qui e Societate igitur in Transylvania praepotenti hoc anno, in agro ab eo nobis commisso excolendo, operam et studium navarunt suum, unus et viginti fuerunt; pauci quidem in tanta veprium ac spinarum ubique succrescentium copia, bona tamen omnium valetudo, animorumque alacritas, ad ea onera, quae cum instituti nostri ratio, tum miserrimus rerum praesentium status, quotidie nobis imponunt, perferenda, hanc, quam dixi, nostrorum paucitatem egregie compensarunt. Appulerunt tamen superioribus hisce diebus ad hanc provinciam e nostris alii quinque, quorum opportunus sane adventus et hostibus maiorem incussit timorem, et reliquos socios ingenti quadam laetitia ac voluptate perfudit. Qui sit hic rerum nostrarum status, Patres fratresque charissimi, quae conditio: quid spei ad rem catholicam iam fere collapsam instaurandam affulgeat, his quam paucissimis accipite.

Demetrius Napragius, quem anno superiori Antistitem, summa cum catholicorum omnium approbatione atque consensu, in his locis creatum audistis,<sup>96</sup> in hanc provinciam sibi a Deo datam, recte administrandam vigilantissime incumbit; nihil enim eorum omittit, quae ad eam fidem, quam profitemur, vel conservandam, vel propagandam,

in rem esse cognovit. Cum dioecesim cognoscendi et corrigendi causa de more obiret, ex quinque oppidis omnium nimirum, quotquot in ea sunt, amplissimis ac nobilissimis, rabulas pestilentes exegit, in eorumque locum totidem sacerdotes, quibus ea, quae furiae illae, nobis absentibus contaminaverant, expiarentur, restituit. Quod mirum profecto est, quanta cum celeritate et facilitate confecerit. De illo coepit exemplum Stephanus Jósika, totius regni cancellarius, et ex iisdem tres pari studio, pari plane felicitate eiecit. Nec defuit archiduci Serenissimo in re simili ardor mentis ac studium adversus Deum pietatis; nam impium quandam impiae Lutheranorum sectae alumnū, e navi exturbavit; cuius ipse clavum, diis, quod aiunt, hominibusque invitis invaserat, in quo et si plus fuerit difficultatis, plus tamen etiam adhibitum diligentiae, vehementius laboratum: quare, et res tota ex animi sententia, Deo bene iuvante perfecta. Idem quoque alios facturos esse quamplurimos non dubitamus, si armorum strepitus ac bellorum tumultus, quibus omnia misceri necesse est, pace tandem aliquando resederint.

Quanto vero amore ac benevolentia princeps ipse rempublicam christianam atque adeo Societatem nostram complectatur universam, non modo plenis humanitatis dictis, verum etiam praeclaris atque illustribus factis, ubi res tulit, ostendit. Urbs est Varadinum in Transylvania, cum primis nobilis et magnificentissimo Ladislai regis Sanctissimi<sup>97</sup> sepulchro quondam celeberrima. In ea quamplurimi adhuc degunt catholici, qui priscae avitaeque pietatis memores, neque minis, neque blanditiis adduci unquam potuerunt, ut ab antiqua maiorum suorum virtute ac pietate degenerarent. His omnibus illud imprimis grave erat ac molestum, quod in ea urbe, in qua olim religio sedem ac domicilium habuisset, nullum superesset iam templum, nullus locus, in quo ipsi et sacra facerent, et preces, cum opus foret, ad Deum funderent. Delecti igitur nonnulli, qui ad principem adirent atque isthuc ipsum ab eo, quod omnibus videbatur aequissimum, impetrarent. Neque patitur princeps multis se in causa tam honesta verbis rogari: ultiro itaque eis, quicquid postulant defert, litterasque ad urbis praefectum scribit; quibus domum saltem aliquam, in ipsa urbe, honestam, catholicis assignari imperat, in

qua et concionari si lubeat, et ritu catholico sacrificium facere liceat. Hoc male habuit virum, quod omnino praeter spem, opinionemque accidisset: senatum tamen invitus convocat, publice legit litteras; quid facto opus sit, exquirit. Succensere, indignum facinus exclamare omnes, neque ferendum, ut iterum tempa illa ac domicilia, inani idolatriae superstitione profana fierent, quae Calvinistae atque Ariani, veris iam, si Diis placet, caeremoniis ac religiose sacrassent. Advolant confestim ex his quatuor de totius consilii sententia, ad principem, cum eo iniuriam, quam se accepisse existimabant, expostulant insolentiam hominum ac contumaciam, qui sibi nequaquam, uti par erat, auscultassent, miratur princeps; eosque quamprimum e conspectu iubet abire, ubi videt abiisse, apparitoribus mandat illico, uti homines comprehendant, eosque in vinculis colligatos, in carcerem coniiciant; atque eos ibi diligenter asservent. Mandat praeterea, ne quid interim ab ullo, praeter panem et aquam intro ad illos feratur; ratus, opinor, ad illos curandos, quippe qui non satis sani viderentur, medicamentum nullum reperiri potuisse praestantius. Posteaquam vero tridui diaeta hoc pacto curati essent, quo maturius convalescerent, reliquum etiam curationis adhibendum esse existimavit. E custodia igitur derepente producuntur in publicum, duoque ex illis, qui nefarii illius consilii, non tam impulsores, quam auctores exstiterant, ad locum supplicii tracti, prosternuntur; iacentibusque et misericordiam nequicquam implorantibus, impolito ac nodoso stipite, in omnium, qui aderant (aderant autem frequentissimi) oculis ac conspectu, validissime latera tunduntur. Atque his demum ornati muneribus, legationeque, si non ex sua, at certe ex bonorum omnium sententia, confecta, domum ex templo iubentur redire.

Habita sunt AlbaeJuliae, superioribus diebus et cum res postulat, haberi solent, comitia;<sup>98</sup> ad quae cum undique viri primarii, plerique et nobiles, omnes variis, ut fit, de causis confluxissent, confluxit inter alios quidam non obscuro genere, locoque satis honesto natus. Fuerat hic luctuosae illius, nostris aeque ac catholicis omnibus cladis, quam ab hinc octo annos Societas accepit: dum ex hac provincia, per vim ac scelus, ut tenetis, electa fuit, suasor acerrimus. Bona igitur, ut sibi a principe, nescio quae, con-

cederentur, vehementer instabat; qua in re, cum diu multumque laborasset, nihil tamen promoverat. Submittit igitur amicos quosdam ad principem, qui cum illo agant diligentissime, ut id, quod diu iam orat, si qua ratione fieri possit, exorent. Respondet tandem princeps se adhuc optime in memoria habere, quid olim in comitiis Mediensibus in Patres, (sic enim nos ipse appellat) cum de illis in exilium eiiciendis ageretur, debacchatus esset; quippe qui omnibus audientibus, ipse primus petulantissime exclamasset: «Non esse in regno iam amplius ferendos Jesuitas.» Quare si pergit molestus esse in postulando, faciat id, in proclivi, quod esse videt, *παλενφδία* ut aiunt, quae te impudenter quondam, temereque effutierat, revocet. Quid faceret miser, cum bona ea non modo inhiaret, sed quoque iam prope spe devorasset. Albae Juliae, in maximo ac celeberrimo totius Transylvaniae conventu, qui olim in Jesuitarum miseras petulanter insultarat, quanta potest maxima vi vocis, publice vociferatur: «Restituantur Jesuitae.» Surgere primo omnes et mirari, sanusne esset, qui id fecisset; deinde re intellecta cachinnari, risu emori. Ergo pretium, ob temeritatem ac petulantiam, condignum tulit. Accidit fere per idem tempus, ut vir quidam magnis opibus, magnaque praeditus potestate, quaedam, quae collegii erant Claudiopolitani, eripere nostris ac per vim occupare moliretur. Id ubi rescivit princeps, monet hominem per litteras, eique graviter interminatur, ni a vescana illa mente desistat, fore, ut fortunarum, pariter et vitae iacturam illico faciat. Nobis absentibus, coloni Societatis nonnulli, quos ut opinor, ruris iam odium perceperat, rastris, falcibusque abiectis, collegii Claudiopolitani villas, quas incolebant, deserentes, manuque eos nemine mittente, se in urbem per nefas receperant. Admonitus a reliquis ea de re, qui domi rem familiarem administrat, ad urbis praefectum adit, rusticos repetit: ille vero se eadem de re cum senatu diligenter acturum respondet. Redit, quem dixi, administrator postridie, ut quid actum sit cognoscat, et ita ab illis discedit, ut qui se restituros denegent. Res denique tota, quod cum integra civitate diutius altercari, opere pretium non videretur, preferenda fuit ad principem; qua intellecta, agrestium hominum sive ambitionem, sive perfidiam, non ferendam ratus, in pagos, unde in

urbem commigrarant, contra civium voluntatem, iubet omnes redire quamprimum.

His igitur aliisque huiusmodi quamplurimis minimeque obscuris argumentis optimus ac clementissimus princeps, quantopere nos charos habeat, ametque abunde testatur. Quotiescumque enim aliquam sibi offerre occasionem videt, dignitatis nostrae vel propugnandae, vel etiam augendae, ita Societatem, auctoritate sua, favore ac studio tuetur, ut nihil fieri possit amantius.

De re bellica, hoc anno non est, quod plura scribamus, cum neque princeps, neque is e nostris, qui principem comitari solet, ad bellum profecti fuerint. Haec autem, quod sint notissima, non modo provinciam istam, sed alias quoque multo remotiores, pervasisse existimamus: proeliis nimirum aliquot feliciter factis, arces non-nullas, neque sane ignobiles, in nostrorum potestatem venisse. Sub Temesvár acerrime a nostris dimicatum, a diuturniori vero obsidione, cum frigore, cuius cum esset vis plane incredibilis, omnia riguerant, tum fluminis imprimis Temes; quod quia urbem alluit, alio derivandum magno labore ac sudore fuit, maximas frequentesque inundationes perhibuisse. Neque hostem omnino, ab obsessione liberatum, quod e proximis arcibus, quas occupatas fuisse iam diximus, excurratur frequenter, et ne quid frumenti, commeatusve in urbem importetur, facile impediatur.

### Collegium Claudiopolitanum.

**E**x sex et viginti, quos e Societate in Transylvaniam commorari diximus, viginti sunt in collegio Claudiopolitano: sacerdotes decem, magistri quatuor, adiutores quinque; unus denique, qui cum non ita pridem in Societatem fuerit cooptatus, pietatis fundamenta iacit. Auctus scholarum numerus: ludum enim hoc anno aperuimus, in quo ea traduntur pracepta, quibus adolescentes ad eloquentiam informari solent, quin et philosophiam docendi initium facturos esse propediem, Deo haec nobis, quae coepimus, fortunante, speramus. Frequens discipulorum numerus: multo tamen esset frequentior, ni omnis quantulacunque est haec provincia, bellis arderet; quae causa etiam fuit, cur hucusque nulla hic dari; quod ma-

xime tamen cupiebamus, potuerit fabula; neque enim decere videbatur, ut nos domi, communis quasi doloris expertes, spectaculis, scenicisque apparatibus oblectaremur: cum interea foris, armorum strepitu, tubarumque clangore, cuncta personarent, et civitas ipsaque adeo provincia tota terrore afflita, ac sumptibus pene exhausta, lachrymas profundere facilius, quam videre posset. Neque vero in iis excolendis mali posuimus operam: maiores enim in dies singulos, tum in litteris, tum etiam in pietate progressus fecere. Triginta ex iis e prima nobilitate adolescentes, quorum alios Arii, alios Lutheri, alios vero Calvini pestilentissima dogmata, in fraudem illexerant, virus, quod imprudenter hauserant, per confessionem evomentes, in gratiam rediere cum Ecclesia: quorum tam salutare consilium, eo nobis maiorem attulit voluptatem, quo cum plerique sint genere ac nobilitate illustres, pluribus aliis, ad respiciendum adiumento futurum esse, confidimus.

Taceri tamen neque potest, neque debet insignis planeque divina adolescentuli cuiusdam, honestissimo loco nati, in arrepto proposito, animi firmitas et constantia. Hunc enim cum pater, qui Bistricii in Saxonia domicilium habebat (distat autem haec urbs Claudiopoli novem bene longis miliaribus) a nefaria Lutheranorum secta defecisse inaudisset, currum repente concidit et furore incensus, quam citissime potest, ad seminarium advolat. Filius interim, nescio quo pacto, patris adventum odoratus, abdiderat sese, percunctatur adolescentes quosdam, quos in ipso seminarii vestibulo, colloquentes forte repererat, de filio, ac si nihil eorum, quae acciderant rescivisset: satisne recte; rogit deinde, ut si lubet, illum accerseant. Unus e nostris, qui seminario praeerat, ubi illum adesse cognovit, confessim accurrit, hominemque, ut fit, salvare in primis comiter iubet: dextra deinde leviter praetensa, sciscitatur, num ingredi, scholasque et seminarium velit invisere. Ego vero, inquit ille, ac lubentissime: ingreditur, attente omnia circumspectat, miratur, laudat; ubi vero filium inter alios nusquam adesse animadvertisit, verba sibi dari arbitratus, iracundiam ac furem, quibus intus ardebat, diutius celare non potuit: itaque natum sibi charissimum, per vim ac fraudem ereptum exclamat, servos advocat, lectulum, libros et reliquam suppellectilem exportari imperat. Quid

multis moror, ne plane insaniret, nobisque omnibus aliquid inde oriretur mali. Adolescens e tenebris, in quibus delitescebat, clanculum evocandus fuit, quem, ut in conspectum suum venisse vidit, continuo apprehendit, et nescio quid secum murmurans, frustra renitentem, suum Bistricum fremebundus abripuit; ibique cum magistello cuidam, impia Lutheri doctrina apprime imbuto, in disciplinam tradidit. Sed praeclarae indolis filius, tanto patre sapientior, quanto vera in Deum pietas, cateraeque animi virtutes, canis rugisque dignitate antecellunt, paternae ferocitatis oblitus, occulte sese in viam dat et longissimo difficillimoque, Christo duce, confecto itinere, Claudiopolim rursus, praeter omnium expectationem ad priorem institutionem reddit. Nec mora, ut ei nihil deesset ad gloriam, et qui patris minas, terroresque felicissime superasset, de matris quoque lachrymis et blanditiis, pari cum laude triumpharet, abeuntem, quam diximus, insequitur mater: quid autem ibi lachrymarum profuderit, quibus precibus, quibus egerit artificiis, ut tenellum adhuc adolescentis animum ad misericordiam reduceret, libentissime commorarem, nisi quae a mulierculis, filiorum amantissimis, si quid accidat eiusmodi, fieri consuevere, omnibus notissima essent. Perfecit igitur, sicuti cooperat fortissime, hocque tam illustri facto et vicit ipse gloriose et aliis, quanam ratione vincendum esset, ostendit.

Domi praeter eas, quae foris, in pagis duae ad populum de virtutum splendore ac pulchritudine, de vitiorum foeditate, deque aliis huiuscemodi rebus conciones habentur; quas ei gratas, uti cupimus, ac iucundas esse testatur civium tam Ungarorum, quam Saxonum, qui ad eas, indies maior fieri concursus solet: si tamen, quod multo magis optandum est, quam utiles eaedem fuerint ac fructuosae, iis, quae mox enarrabo, facile planum faciam. Quinque et quadraginta, qua Lutherum, qua Calvinum, qua alios id genus consceleratos diversarum haeresum architectos execrantes, ex variisque errorum fluctibus, quibus miserrimi iactati fuerant, emergentes, in tutissimum ecclesiae portum tandem venerunt. Totidem fere, qui solo catholici nomine contenti, in peccatorum coeno hucusque delituerant, ad sacerdotem adiere, eiusque opera, totius anteactae vitae sordes, ex animis deleverunt suis. Alii

vero nec pauci, quos confiteri pudebat, quae patrare nequaquam, uti oportebat puduerat, veterum delictorum conscientia stimulante, dirissimi daemonis iugum, quo diutissime oppressi fuerant, sincera integraque erratorum omnium confessione excusserunt. Reconciliati in gratiam quamplurimi. Neque defuere, qui dum graviter aegrotarent et sacramenta rite accepta, et cereas coelestis Agni effigies, admotus corporibus aegris, plurimum sibi ad pristinam recuperandam valetudinem profuisse assererent. Excurrit sacerdos unus paucis abhinc diebus in pagum quendam, ut eorum, qui in eo degebant animos, alto sopitos somno excitaret, brevique aliqua cohortatione, a rebus fluxis et caducis, ad coelestium bonorum contemplationem traduceret: exiguo labori fructus respondit uberrimus, nam centum et triginta tres, illius oratione commoti delictis, quibus se obstrinxerant, expiatis, numen sibi reddidere propitium.

Sed dum omnia strictim breviterque percurro, unum me fere praetervolaverat, quod quia ad fidei catholicae praestantiam excellentiamque demonstrandam plurimum valet, paulo fusius recensendum videtur. Artifex est quidam Claudiopoli, natione Saxo, religione Arianus, antea quidem ignotus, ob artis quam exercet humilitatem, nunc autem ob arduam luctationem, quae sibi cum deterrimo humani generis hoste fuit, notior; is non ita pridem Deo ita statuente, ut vel hoc horrifico supplicii genere, tamquam remedio quodam, hominem gravissimo Arii morbo laborantem sanaret, a daemone vexari, afflisque coepit. Interdum enim, cum instrumenta, ut assueverat, in manus ad aliquid opus efficiendum sumeret, licet alioquin valens ac robustus esset, ita se tamen viribus omnibus destituisentiebat, ut non tam viribus, quam vita ipsa defectum iri, existimaret. Interdum vero in eam subito impelli videbatur mentem, ut se in aquam proxime profluentem, praecipitem daret atque ita una eademque opera et molestias illas perferendi, et vitam adeo miseram longius perducendi, finem aliquando facheret. Verum cum hisce cuniculis ac dolis voti se compotem nequaquam fieri posse, vidisset daemon, aperte congregendum, maioresque machinas sibi adhibendas putavit, cum ecce tibi ex improviso, horribilium spectrorum agmine, se undique circumvallatum

videt, domum tamen se, quae non multum aberat, ut potest, proripit, sed eo cum venit, ab iisdem illam quoque circum circa obsessam teneri advertit, statimque omnia simul, tamquam signo dato, impetum in homulum miserrium violentissime faciunt: haerere primum ille et stupere in huiusmodi proeliorum genere, rudis plane ac tyro, deinde p[re]a timoris magnitudine, de sanitate ac mente disturbatus, furore ipse quoque, ultiro citroque cursare, brachia nequidquam vibrare, modo cedere, modo acriter instare. Ex vicinis quidam, qui haec spectabant, miseratio[n]e permoti, accurrunt, hominemque iam multo madentem sudore, a funesta pugna inhibent, vinculisque constrictum, in cubiculum ferunt. Accitus ex templo Arianorum coryphaeus, qui dum haec scriberem, infelicem efflaverat animam, aegrotum invisit. Exspectabant mulierculae, infimaeque sortis homines, quos hic tunc temporis frequentes ob rei novitatem accurrisse diximus, ut illum e lectulo liberum, vel unico verbo iuberet exurgere; sed frustra, nam, postquam bis terve barbam sibi permulsiisset, paucula contracto supercilio locutus, e plebeculæ conspectu protinus excessit. Accersitur secundo alter eiusdem sectae, maioris tamen audaciae rabula, adest meditatus, ut videbatur, totius praeterea oris habitu ad severitatem conformato, hominem salutat, bonum habere animum iubet, multa gravibus, magnificisque verbis pollicetur: verum cum parum, aut ne parum quidem procedere animadvertisit, rubore suffusus discedit. Quare cum se iam amplius quo verterent, nescirent, extrema, quaelibet tentare et ad Jesuitas tandem, quos ipsi sacerdotes Papistos per ludibrium appellant, confugere coguntur; adit ergo unus e nostris, in idem et ipse descensurus certamen, cum pervenit, horret aegrotum impense, ut animum tam dira calamitate perculsum erigat, inque Praepotenti Deo, quem non modo in foeda huiusmodi monstra, verum etiam in alias res omnes, imperium habere intelligat, spem omnem collocet suam, et Christum Dominum illis potissimum verbis «Jesu filii David miserere mei» compellet identidem. Illud tandem iis, qui aderant omnibus, magnam movebat admirationem, quod, cum oratiunculam illam, quam Dominicam appellamus, pronunciare iuberetur, cum ad extrema illius verba, quibus omnibus liberari malis obsecramus, perven-

tus esset, ita haerebat lingua, ut ea vix aut interdum etiam ne vix quidem, licet quantum maxime posset conaretur, exprimere valeret. Attulerat secum noster exiguum cerae particulam, in qua coelestis Agni figura, ab astantibus visebatur impressa; hanc igitur aegrotanti, nescio quid aliud interim agenti, occultissime admovit: candentem carbonem nudo corpori admotum dixisses, adeo vim sacrae cerae repente sentit, os sibi distorquere, oculis torve circumspectare, nervos omnes intendere, ut ceram excuteret. Perrexit sacerdos, uti cooperat fidenter: et aqua lustrali adhibita, semel iterumque ac saepius, una cum his, qui aderant, precibus ad Deum fusis, tandem post diuturnam cum ferocissimo daemone dimicationem, ad Dei immortalis gloriam, expeditam reportavit victoriam.\*

### Collegium Albense.

**D**E GUNT Albae Juliae ex nostris quinque: sacerdotes quatuor, ex quibus duo ad centum et viginti adolescentes, in duas pariter distributos classes, erudiant. Adiutor unus. Multa quoque in hoc collegio gesta, digna plane, quae litteris consignentur, e quibus tamen omnibus, haec tam pauca, quam brevissime persequemur. Confessi diversarum nationum, quae in ea urbe commorari solent, quamplurimi; quorum tamen quinquaginta fuere, qui partim variis ac sociis irretiti tenebantur erroribus, partim vero e peccatorum sordibus, per confessionem antea nunquam emerserant. Liberata ibidem a nostris mulier quoque, quam usque adeo vexabat daemon, ut in templum equis tantummodo pertrahi potuerit. In praecipuo collegii pago, concionatori Calviniano silentio imposito, qui et nostrorum facile paruit imperio, et ad catholicam religionem animum quotidie, magis videatur adiicere.<sup>99</sup>

\* Ex libro excusso: Videtur ad ipsius, aliorumque salutem hanc homini calamitatem divina providentia permisisse, ut perspecta pravorum dogmatum inanitate, catholicaeque ecclesiae virtute, ad vota meliora se converterent.

ANNUS 1598.

## Collegium Claudiopolitanum.


**C**LAUDIOPOLI varie trepidatum est, Transylvaniaque tota, nempe bellum ingruere a Moldavia. Formidatum, deinde gestum fuit ad Lippam, Lugosinum, Csanadinum, denique Varadinum, ubi Turcarum vis furibunda cecidit.

Obsidio Varadiensis tenuit sex hebdomadas,<sup>100</sup> civibus in vindictam, uti palam ipsi confitentur: etenim paulo ante furore Calviniano perciti, catholicum templum funditus everterant, omni instrumento turpiter perdit, disiecta materia et viris catholicis emissis,<sup>101</sup> ministro buccinante nullam a Turca cladem fore urbi, id si auderent. Pro-pugnata est tamen Dei praesidio, qui causam publicam christianorum misericorditer respexit. Serenissimus Maximilianus pro Caesare tenebat summam in exercitu christiano, cum quo duo de nostris fuerunt. Neque Transylvani, de quorum fortunis agebatur, rei bene gerendae defuerunt; occuparunt Moldavam arcem in ripa Danubii munitam,<sup>102</sup> caesis ad Lugosinum octo hominum millibus, et ducum praecipuorum capitibus domum relatis.

Interea Michael Vaivoda Valachiae percurrit totam Misiam, principes urbes diripuit, incendit Nicopolim, Dorostorum, Ternavam,<sup>103</sup> fusis duobus bassis, cum iusto exercitu. Ser<sup>mō</sup> principi Sigismundo misit vexillum regium, sub quo, aiunt, triginta millia hominum militare, quod hic visum est Claudiopoli eo pondere, ut duo viri bene torosi, vexillo illo ferendo vix sint pares. Reliquus miles captus a christianis, et pluviis, abiit nullo facto memorabili.

Haec causa trepidationis: imminente periculo dimissae fuerunt scholae, quae revocatae non fuerunt frequentes amplius ducentis quinquaginta auditoribus; ante bellum multo frequentiores. Additae sunt tres lectiones: Philosophiae una, duae aliae de sacerdotis institutione et controversiis, quas etiam haeretici attente et libenter audiunt.

Conciones tum Germanicae, tum Hungaricae vere sunt utiles. Triginta hic et quinque Claudiopoli ab haeresi absoluti, et novemdecim foris in excursionibus, quatuor



WARDEIN deto VARADINO

1. la Fortezza 2. la Citta 3. Borghi & Chiusura ouero Keres fiume

adulti Ariani sacro baptismate tincti, et duae Turcae mulieres. Duo viri nobiles ad bonam pacem diu, graviterque turbatam, item coniuges eodem reducti. Quidam morbo daemoneque conflictatus, tentatis omnibus praedicantium allophylorum remediis, interrogatus a nostro Patre, num vellet esse catholicus, annuit, et aqua lustrali aspersus, malum utrumque expulit; quae res dedit multum ruborem haereticis, qui multa tete comminiscuntur, sed profecto solum commenta, ut deterreant iuventutem et plebem a nostro commercio; sed turris fortissima nomen Domini. Acceptum est hic in re familiari detrimentum et emolumentum.

Turris cum omnibus templi tectis Monostorii, quod collegii est oppidum, de coelo tacta exarsit;<sup>104</sup> ad quae restituenda amici et legati Caesareae Maiestatis dedere trecentos quinquaginta florenos, quae summa est ducendorum nummorum Pannorum. Serenissimus princeps pro innata beneficentia redditibus collegii adiecit mille florenos annuos: quo postulante ante cladem Turcicam quadraginta horarum preces instituae.

### Collegium Albense.

**H**OC anno, dum nostri Alba migrare coguntur, P. Franciscus Gilius ob sedecim annorum, quos in Societate pertulit labores, ad praemium immortalitatis, uti pie credimus, emigravit. Scholae, quae Grammaticae erant, cum nostrorum migratione cessarunt. Conclaves in templo summo in dominicis habitae frequentes et gratae: octo Mahometricam eiurantes perfidiam baptisati, conversi haeretici diversis<sup>105</sup> in locis quadraginta. In pago collegii praecipuo buccinatori Calviniano, catholicus suffecitus sacerdos: reliqui Graeca Ruthenicaque imbuti secta, mordicus suas tenent caeremonias, festa et ieunia, eoque ad fidem difficiliores: pane Angelorum pasti sunt, post confessionem vel nunquam factam, vel diu intermissam, ducenti quinquaginta. Supplicationi, Corporis Christi solemnitatem addidit Serenissima et legati Caesarei: quorum episcopus Vaciensis<sup>106</sup> sacro, et ad populum concionem eandem illustravit. Nobilibus per excusiones praestita opera.

Siculis item, magno cum fructu, pagis aliis petentiibus, sacerdotes catholici dati; aliqui ad honestam vitam reducti; templa restaurata; plurimi in fide confirmati, ut sunt Siculi fere catholici, sed apud eos abusus multi, quos tamen et tolli patiuntur, et longum saepe iter pro conacione conficiunt. Addo poenam ob malum in catholicos animum. Iudex erat in pago Bocsárd, distante non longo ab Alba itinere. Is orthodoxis infestus, multa in eos evomebat temere; sed non impune: instrumentum enim suum author sceleris daemon occupavit et vexavit crudelissime. Hunc sacerdos externus et catholicus varie tentavit: dum nihil proficeret, adstantes alium e Societate Alba Julia affore minati sunt. Daemon novisse<sup>107</sup> se hominem ait, quem dicerent, sed non expectaturum dum veniat factum. Eodem tempore, dum noster his vocibus (ego ibo) se venturum promittit, spiritus nequam, quasi ludibundus, absentis Patris repetens verba «Ego ibo, ego ibo» — effracta cervice, ore inverso, exsectis, quod est horrendum dictu, virilibus, miserum hominem suffocat et relicto foetore maximo abscedit. Audita sub idem momentum a filio extra domum vox miseranda, Vae, vae et clara, quae causa fuit, cur aliqui opera Patris advenientis ad sanam mentem et fidem redirent. Hi successus impediti, sub redditum Ser<sup>mi</sup> principis in Transylvaniam: turbari enim incolae et nostrorum electionem pertinaciter efflagitare. Et quidem Alba cedendum erat ad tempus, uti speramus, tribus voluntate principis relictis, et uno in pagis, qui Societatis bona administret. Caeteri Claudiopolim sese contulerunt.

### Missio Darócziensis.

**F**RANCISCUS Daróczius, vir genere et virtute nobilis, olim studiosus Viennae apud nostros, de haeretico catholicus, palam nunc facit, quanti sit proba inventutis institutio. Daróczii est huic domicilium, vico haeresibus infami. Daróczium autem est regni Hungarici trans amnem Tibiscum ad Daciae et Russiae fines, in radicibus montis Carpathi.<sup>108</sup> Hic alicubi meditatur nostris sedem parare, etiam Turóczio, hoc est a ducentis millibus passuum, habet sacerdotem, qui paucis mensibus magnam fert trepidationem Calvinianis. Horum minister Daróczio se in fugam coniecit,

domino Francisco pellente, cuius quinquaginta duo clientes, tum coloni, tum nobiles, ad fidem, quam ignorabant ve- nerunt, publica doctrina nostri Patris et privata congres- sione exciti. Pluribus longe iniectus est scrupulus et dubitatio de Calvini dogmate, qui fluitantes adhaerescunt adhuc ad opinionem: multi refecti sacramentis, quibus aut perperam usi, aut multos annos abstinuerunt. Dominus Fran- ciscus, gravis decreti diplomate, a Caesarea Maiestate ar- matus, perrexit longius nostrum Patrem ducere. Hic in alio pago, quem deseruerat minister haereticus, fecit rem sacram quadraginta annos intermissam, atque habuit con- cionem frequente populo et approbante. Magna spes affulget rei bene gerendae, si erunt operarii, orandus Dominus est messis.

ANNUS 1599.

**Collegium Claudiopolitanum.**

**H**ERRORI nobis fuit, simul et dolori, primum Ser<sup>mæ</sup> Mariae Christierna abitus e Transylvania<sup>109</sup> catho- licis, haereticisque luctuosus; deinde trium prin- cipum, quos hoc anno habuimus, incertus dominatus,<sup>110</sup> quibus perturbationibus Societas quidem afflita est, sed non deiecta. Nam cum Serenissimus Sigismundus Ill<sup>mo</sup> Cardinali Andreae Bathoreo principatum traderet, collegium nostrum Albae Juliae anno superiore haereti- corum factionibus dissolutum, summo omnium ordinum consensu, magna Societatis commendatione restitutum est: septem omnino mensibus, a quo fuerat decretum, ut disturbaretur. Schismaticus vero princeps Michael vaivoda, ubi nomine Caesareae Maiestatis Transylvaniam occupas- set, nec esset aliquis, qui non formidaret, Societatem tamen nostram benebole complexus est, et superiori col- legii dixit palam se nostros contra omnes adversarios protecturum.

In hac vaivodae irruptione Ill<sup>mus</sup> Cardinalis 28. Octo- bris primum victus, post 31. eiusdem a rusticis in sylvis, Moldaviam petens, imperfectus, postremo 24. Novembris in comitiis eo, quo per tempus licebat, honore sepulturae datus est. Sacrum missae officium peregit R<sup>mus</sup> episcopus

electus Napragius, ipse III<sup>mus</sup> Michael vaivoda et facem more catholico praetulit, et officio interfuit.

Valetudo nostrorum tentata est varie, unum tamen Patrem Ioannem Laymberer, virum obedientiae virtute insignem, strenuum Societatis operarium vis morbi abstulit; reliqui, quorum Claudiopoli sunt 28, AlbaeJuliae 5, munia Societatis alacres obeunt, non sine multorum salute.

Sacrae conciones in populi frequentia habentur duae, Hungarica et Germanica; docetur catechismus. Centum sexaginta duo veram pro perfidia acceperunt fidem. Adulti sacro fonte abluti sunt quinquaginta novem, ex quibus Turcae quinque.\* Confessiones frequentiores quam alias: totius vitae ducentae. Uni foeminae periculosa laboranti febre confessio remedium attulit. Duo studiosi confessione et agno cereo spectris et daemonum terriculamentis liberati. Quidam Arianae haeresi valedixerat, sed haereditatis amore Ariani fratris opera ad ingenium et perfidiam reversus, sensit illico divini numinis iram. Nam in gravissimam aegritudinem incidens, humano destitutus remedio, non prius a morbo recreatus est, quam ad ecclesiam animum adiecisset: quod ubi fecit, metu mortis liberatus, ad pristinam valetudinem rediit.

Excursiones praecipuae factae sunt duae. Altera ad Magnificum dominum Christophorum Kereszturi, singulare non Societatis modo, sed catholicorum omnium praesidium, qui post aliquot mensium afflictam valetudinem, aequo animo toleratam moriens, et animam, et cum coniuge<sup>111</sup> filiam Societati commendavit, ut quandoquidem (ita fatebatur) filiam Societatis precibus a Deo accepisset, eadem Societatis consiliis educaretur. Clausit pie diem extremum 28-vo Maii, cui Societas concione, et studiosi sua praesentia iusta honorifice persolverunt. Altera ad virum nobilis, catholicum et Societatis amicum, cuius coniux, frustra obnitente matre Calviniana, veritatem religionis catholicae agnovit et accepit: cum ea vero 25 de familia vel conversi, vel in fide debiles confirmati.

Varadinenses plerique ob cladem et obsidionem Turcam profugi, divina hic officia devote et pie frequentant, rogantque supplices, ut Varadinum Patres revertantur:

---

\* Omissum: Miles antequam ad bellum proficeretur baptismum petivit et obtinuit.

facturi, Deo propitio, propediem, cum et a capitaneo arcis catholico, et ab episcopo Varadinensi<sup>112</sup> civibusque cathollicis invitentur.

Exercitationes scholasticae, quamvis nunquam intermissae, numerus tamen auditorum tot afflictionibus immunitus est, ut e trecentis quinquaginta, vix interdum numerentur ducenti. Praeter humaniores classes et philosophiae una, casuum et controversiarum duae, omnium in litteris et pietate progressus spem nobis addit non exigua. Unus coadiutor iuvenis bonus Societati additus: plurimorum, qui expectant voto, aliquando fiet satis.

### Collegium Albense.

**C**OLLEGIUM hoc magis tumultus intestinos et varias Transylvaniae vicissitudines sensit, quam Claudiopolitanum, ut maior fuerit occasio patientiae, quam in animarum lucro laboris. Nam cum in dominatu vaivodae communis res esset, omnis tam sacra, quam domestica supplex in pago collegii a militibus direpta, cum vino, tritico et aliis rebus necessariis periit: ex bonis vero in fundatione collegio assignatis quaedam adempta sunt, quae speramus, ut brevi restituantur. Factum nihilominus aliquid ad animarum salutem. In pago quidem nostro 40 haeresim Calvinianam deseruerunt, inter quos oppidi fuit minister; in alio vero sex haeretici reducti, adulti duo baptisati. Nobilis foemina multis annis in haeresi pertinax, quamvis virum haberet catholicum, tandem ecclesiae nomen dedit, et in frequentandis sacramentis est assidua. Bis hoc anno 40. horarum preces in collegio habitae ob tumultus provinciae.\*

### Missio Darócziensis.

**I**N hac missione modo duo nostri sacerdotes agunt: quorum alter solus biennio fere priore ibidem Calviniano furori expositus fuit, cuius vel hoc fuerit argumentum. Invitatus ab aegro catholico sacerdos per hominem Calvi-

---

\* Omissum: Dixit vaivoda se non passurum in hac provincia nisi tres religiones: Catholicam seu Romanam, Graecam seu Constantinopolitanam et Lutheranam; et iam Claudiopolitanis significatum est, ut omnino Arium deserant, idem et Sabathariis seu Iudaeis, qui tamen sunt pauciores, dictum est. Quem exitum sit res habitura sequenti anno perscribemus.

nisticae haereticum, qui litteras habebat ab uno buccinatore ad alium, per cuius oppidum eundum erat, perferendas: quid litterae voluerint probavit eventus. Nam ubi ventum ad oppidum est, comes haereticus Patrem praecedere iubet, dum litteras concionatori tradat. Iis perfectis: Evangelii praeco sollicitare hominem ad trucidandum sacerdotem, ille vero resistere et se hominis innocentis interfectorum esse nolle: tantum valuit pia per iter sermocinatio, dum noster comiti suo inter reliqua Decalogum et huius quartum, quintumve praeceptum efficacius inculcaret. Assecutus deinceps Patrem odium buccinatorum non sine aversione exposuit. Tentata caedes et per alium nobilem, a quo duo famuli strictis gladiis ad nostrum eodem tempore divinas horas in hortulo persolventem missi, sed ab ingressu horti, qui patebat, divina virtute absterriti contumeliis inieictis recesserunt. Similes tamen conatus capitaneus Caesareae Maiestatis, vir catholicus nonnihil compescuit.

Utilitas quacumque est, peregre in decursu posita est: ieunia, festa, confessiones mirum quantum populus hic Calvinisticus horreat, adeo libertati carnis assuetus a puero. Matrimonia praedicantes vaenum exponunt: nullum tam ratum est, quod accepta pecunia non dirimant; nullum tam irritum, quod non confirment, quod malum praecludit viam plerisque ad Ecclesiam. Rerum divinarum mira ignorantia, ut abolitis per hos Iconoclastas imaginibus, si pendentis e cruce Christi ostendas iconem, alii, quid rei sit, ignorent, alii ligneum Papistarum Deum esse dicant. Redierunt tamen ad Ecclesiam inter tot praedicantium maledicta, quae in catholicos circumsonant octoginta, quorum duae mulieres: altera iam agens animam confessa est, altera desertrix tori ad honestatem traducta. Tres item senes: primus iam plures dies derelictus, tandem nostro infirmos quaerenti, extremo cum morte luctamine oblatus, cum peccatorum venia catholice discessit. Alter actus desperatione, quamvis morbus inhiberet, fugit tamen in agrum, ut sacerdotis vitaret conspectum; sed reductus deposita perfidia et gravi in proximum odio, tranquillitatem recepit. Tertius demum cum post latrocinia, caedesque malle se mortem aeternam diceret, quam confessionem, acceptis sacramentis cum corporis incolumitate sanam mentem induit. In exequiis comitis cuiusdam catholici habita

concio magna procerum frequentia, in ea Divi Ioannis verba: «Beati mortui, qui in Domino moriuntur», qua catholicis spes addita, haereticis metus. Res ad magnatem eius provinciae insigniter haereticum delata, adeo eius animum exacerbavit, ut diceret neminem ex eo numero fuisse virum, qui catholici sacerdotis dicendi libertatem, aut voce, aut ferro repressisset.

ANNUS 1600.

### Missio Transylvanica.

**S**I QUANDO Transylvaniae status non perturbatus modo, verum etiam afflictus et variis calamitatibus oppressus fuit, hoc certe 1600. anno maxime. Cuius ingentia mola ad exeuntem usque Septembrem duraverunt. Communis cladis et nos participes fuimus, utpote, qui collegiorum nostrorum redditus magna ex parte amiseramus: qui tamen tyranno<sup>113</sup> profligato, omnium ordinum consensu confirmati sunt, et nostrorum in regnum cum fides, tum mortis adita pericula honorificis verbis laudata. Quia de tyranno profligato et nostris gravibus periculis defuncti locuti sumus, non abs re futurum erit sequentia<sup>114</sup> breviter adnotasse.

Anno Virginei partus 1599 mensis Octobris 28. Michael Transalpinae vaivoda insperatus ingenti copiorum apparatu in Transylvaniam sese infudit, cuius exercitum, etsi bis victus,<sup>115</sup> Marte secundo fudit, fugavitque Serenissimus princeps Andreas Cardinalis Bathorius. Idem cum ducentis et pluribus nobilibus, dum in Moldaviam fugere conaretur, ut exercitum repararet, intra angustias Alpium a Siculis rusticis inclusus 31. eiusdem mensis caesus est. Caput Albam allatum et in nostro templo asservatum, eosque dum reliquum corpus iussu vaivodae advehheretur, quod 24. Novembris capiti aptatum, subcollantibus regni senatoribus, in maius templum delatum et terrae mandatum est. Prosecutus etiam funus vaivoda facem accensam gestans, et iustis (quae Reverendissimus electus episcopus Demetrius Napragii, octo ex nostris sacerdotibus praesentibus peregit) interfuit. Pompa fuit pro illo tempore magnifica, quae Hungaris maxime lachrymas excivit.<sup>116</sup>

Secundum hanc victoriam et funus, varii provinciam casus excepere. Primum enim vaivodae sese iureiurando obstrinxit, iure se cum omnibus acturum, bona nemini adempturum, nisi merito et a iudicibus damnato. Deinde legationem ad Sacram Caesaream Maiestatem misit, ab illius nutu et arbitrio velle se pendere dictitans, nec se, nisi pro locum tenente agnoscere. Quae res spe magna cunctos erexerat, futurum, ut omnia tranquille pacificeque transigerentur. Sed ab ineunte Maio 1600 repente mutari omnia, ruereque in peius. Nobiles aliquot viri contra fas et ius non contrucidari modo, sed etiam bona diripi, metu et trepidatione animi omnium emori. Ruentis statui reipublicae, aliud remedium inveniebatur nullum, quam ut a nobilibus, quos in castra prope Tordam coegerat Michael, ad Ill<sup>mum</sup> dominum Georgium Basta mitteretur, Sacrae Caesareae Maiestatis Cassoviae generalem, auxilium contra tyrannum petitum, qui Suae Maiestatis voluntatem secutus venit et 14. Septembris Claudiopolim ingressus, dum ut ad hospitium diverteret, rogaretur, prius templum adire, sacramque audire et R. P. Rectorem illo tempore aegrum invisere voluit. Salutatus carminibus a nostris studiosis, comestum ad hospitium, et illo adhuc vespere ad castra se se recepit.<sup>117</sup> Die 16. cum Germanis Hungarisque movit castra versus Albam contra vaivodam et 18. Septembris in medio fere itinere, vere commissum proelium:<sup>118</sup> quo virtute stratagemateque maxime Ill<sup>mi</sup> domini Bastae vaivodae exercitus fusus fugatusque est; cum Caesareanorum exercitus vix ad viginti millia hominum pervenerit, hostium quadraginta quinque millia superaverit. Desiderati eo proelio ex Valachis, Cosachis, Rascianis, Siculis ad quindecim millia; ex Caesarianis vix trecenti. Fugientem vaivodam victor exercitus insecutus est, et e tota Transylvania exegit: qui in Valachia a Polonis semel, iterumque a Turcis profligatus, ad clementiam Sacrae Caesareae Maiestatis confugit. Ab eo tempore provincia respiravit et est tranquille ad hodiernum usque diem, qui est 28. Decembris.

Desudarunt nostri diversis in locis 32: Claudiopoli in universum 24, quinque Albae, duo Varadini, duo Szakmarii et Daróczii, qui iam degunt Claudiopoli; ex his fuerunt sacerdotes octodecim, fratres scholastici septem, coadiutores totidem.

### Collegium Claudiopolitanum.

**L**ICET multi variis tentati sint morbis, et inter caeteros R. P. Rector medium ferme annum,\* tamen functiones nostrae constantem non sine multorum admiratione cursum tenuere. Diebus festis ternae conciones habitae: duae Hungarice, (domi altera, altera in Monostor) tertia Germanice. His accessit in templo nostro post prandium doctrina christiana et in funeribus praecipuorum catholicorum aliae etiam conciones; etiam haereticis admirantibus et laudantibus.

Processio huius anni in festo Corporis Christi superavit et frequentia et pompa, superiorum annorum supplicationes. Magistri fuerunt octo, qui casus conscientiae, capita fidei hac tempestate in controversia posita, philosophiam, rhetoricam, humanitatem tradiderunt, et grammaticam, auditoribus hoc statu rerum frequentibus, etiam nobilibus. Ab honestissimorum civium filiis scholae nostrae visitari coptae, quorum parentes nullis adduci possunt vexationibus, ut illos avocent, quia videlicet liquido deprehendunt operam apud nos minime ludi, ut in Arianorum scholis. Respexit Deus nostrorum pios conatus, et qui gementes semina terrae mandarunt, cum exultatione viderunt laborum fructus suorum. In Paschate plures (quod miraculo non caret) quam unquam antea poenitentiae sacramento iratum numen placarunt; quorum fervor et in divinis alacritas, haud dubie vires non mediocres addidit precibus quadraginta horarum, quae pro communi provinciae salute fusae sunt. Tres bonae indolis iuvenes Romam ad novitiatum missi.<sup>119</sup> In urbe varia haeresum portenta execrati, sacraque facta exomologesi in album Ecclesiae Catholicae relati nonagintaquatuor: inter quos tres magni nominis et nobilitatis foeminae, illo tempore, dum ob metum desperatorum militum intra moenia Claudiopolitana sese continerent, et subinde nostrum adirent templum; duo item nobiles et genere, et virtute bellica iuvenes: quorum exemplum matrem etiam provectae aetas ad fidem attraxit. In cuiusdam senatoris\*\* arce,<sup>120</sup> dua-

\* Omissum: nec adhuc usque diem hunc vires recuperavit.

\*\* Omissum: cui nomen Stephanus Bodoni.

bus vicibus 28 potiore ex parte milites strenui, et uxor ipsiusmet senatoris,<sup>121</sup> cum suis pedissequis et familia tota; qui omnes et alii plures confessi sunt et coelesti pane refecti.

Haereticus minister exactus est ex Mákó, cuius pagi media pars dumtaxat est nostra,<sup>122</sup> licet multi reclamaverint.\* Sacro baptismatis fonte abluti octodecim adulti.\*\* Sacrilegas confessiones repetiverunt aliquot. Iuvenis studiosus virtutis suae specimen non vulgare dedit, dum saepius invitatus atque illectus blandimentis mulieribus, illa partim fuga, partim gravibus verbis magnifice vicit. Mulier, quae gravissimo capitis dolore torquebatur, ab omni molestia liberata, statim atque sacerdos imposta capiti illius manu pronunciavit illa sacra verba: *Super aegros manus imponent et bene habebunt.* Mulier, quae graviter dubitabat, an in Sanctissimo Eucharistiae sacramento, eo prorsus modo, quo a nostris acceperat, totus Christus, una cum divinitate et humanitate contineretur, bis vidit supra hostiam, dum populo spectanda in altum attolleretur, columbam nitidam. Alia ex gravi aegritudine appenso agno Dei convaluit. Alia cum pridie salutiferi Nativitatis Christi diei ad pauculas prunas operitur, tempus matutinarum precum, quae noctu decantatae fuere et in globulis precariis salutationem ab Angelo Deiparae factam identidem repeteret: comparuit ante illius ora iuvenis honesta et liberali forma, quindecim rosaria manu tenens, gemmis et lapidibus pretiosis affabre exornata, splendoreque mirabili totam illustrans aedem: quae rosaria cum numerasset mulier, iuvenis subito ex oculis evanuit. Illa mox votum nuncupat se in honorem Reginae Coeli quindecim coronas recitaturam; iussa est a confessario dum promissum exsolveret, orare, cui rem totam hoc, quo narrata est, ordine candide retulit.

Frequentant hominis Calviniani duo filii scholas nostras: alter annorum septem circiter, quinque alter; quorum maior, ubi a magistro esum carnium interdictum intellexisset ab Ecclesia, nullis minis, etiam colapho accepto, adduci potuit, ut iis Sabbatinis diebus vesceretur. Mater

\* Omissum: Matrimonium in crimine contractum, iam prole ter germina faecundum, novo consensu in legitimum abiit.

\*\* Omissum: aliqui annorum 27, duodecim aliqui.

illorum, cum gravi morbo periclitaretur, suasu paedagogi, votum nuncupavit se nunquam carnes feria sexta et Sabato manducaturam: et convaluit.

Hisce diebus argumentis duobus ostendit Deus, quam Arianorum pestis illi displiceret. Nam in ludo Arianorum adolescens quidam, Petrus nomine, collegae, ut ipsi vocant, scholae illius frater, in extrema cum morte luctu, convocatis omnibus, qui forte tunc aderant suis commilitonibus, fratrem graviter incusavit: «Ecce, inquit, frater, me precibus importunis eo reluctantem perduxisti, ut catholica fide abiurata Arii<sup>123</sup> tui stipendia sequerer: videsne iam ob hoc meum scelus, omnem domum malis repletam daemonibus, qui non aliud, quam animae meae praestolantur egressum, ut illam in perpetuos inferorum cruciatus deferant?» Cui cum ter miserandus frater acclamaret, Angelos illos esse bonos, quos ille videret, quare animum ne despoderet; omni spe salutis abiecta, clamore ingenti edito infelicem animam reddidit.

Superintendens etiam Arianus,<sup>124</sup> in die Nativitatis Christi, cum multa in recens editum infantem blasphema, multa in Societatem nostram seditiosa evomuisset, ut et nos exemplo Varadinensium et Gyaluensium,<sup>125</sup> qui et ipsi catholicos sacerdotes solum vertere coegerunt, et quidem impune, Claudiopoli exturbaremur; secundum concionem in aegritudinem incidit et postquam triduum vel quadratum sine voce, lecto affixus, graviter tortus esset, ex summis corporis doloribus ad graviores animi cruciatus translatus est, lugentibus haereticis, et necdum irati numinis vindictam agnoscentibus; orthodoxis vero miserantibus quidem infortunatum, illius interitum, sed tamen ob gloriam Christi demonstratam et nostram propugnatam innocentiam, maiorem in modum laetantibus.

Pater noster excurrerat comite parocho pagi nostri, ad quendam vicum nobilibus refertum; ubi finita concione et familiari colloquio, conclamatum ab omnibus, ut ad antiquam religionem post tot adversos tum vitae, tum fortunarum casus redeatur: et, quod Deus bene vertat, adeatur R. P. Collegii Claudiopolitani Rector, a quo impetretur, ut sacerdos ille, saltem tertia quaque hebdomada, ad ipsos excurrat, erigatur e vestigio templum, si non magnificum, propter caementi et materiae inopiam, certe

ex ligno, ne ad vicina loca ad haereticos ire cogantur: se enim ex una hac plus didicisse, quam triginta et amplius annos ex Calvinianorum ministrorum frequentibus concionibus. Unicus repertus est inter alios opibus et fortuna potentior, qui intercessit, probe sibi papisticam religionem esse perspectam, nec e re loci illius futuram sacrorum innovationem. Quare se auctore catholicum sacerdotem non advocatum iri. Iussus est ad breve tempus e triclinio excedere, ut illo absente, quod opus esset facto, diligentius inter se discuterent. Tandem consentientibus animis et voluntatibus conclusum, ut prius consilium ratum fixumque maneret: cui si unus ille calculum adicere nollet, sub poena decem talerorum a puteo communi arceretur: si domus forte illius vel ignem conciperet, vel a latronibus invaderetur, nemo sub eadem mulcta suppetias illi ferret.

Haec ubi concluserunt, advocant illum refractarium, quid in commune decreverint, aperiunt, ideoque mature, ni sententiam mutet, executuros. Excusare ille se territus, ratione in consilium non adhibita, se paulo ante locutum dicere, idem se, quod alii sentire velleque. Templum ergo iam aedificatur.

### Collegium Albense.

**T**O<sup>T</sup>US hic annus, si exteriora aspiciamus, gravis et molestus nostris extitit, utpote in medio et ante truculentorum ora hostium; quae res effecit, ut scholae aliquamdiu intermissae fuerint.

Episcopalis cathedra hoc anno nobis data, ut ordinarie ex illa ad populum verba faciamus; quod et praestitum non sine fructu, etsi non absque summa difficultate, eo, quod homines barbari linguae Hungaricae ignari, ceteratim ad monumenta priscorum ducum intuenda convolaverunt et inconditis clamoribus concionatorem interturbarunt. Centum circiter, ut ex fide dignis accepimus, ad Ecclesiae caulas redierunt, quorum quidem circiter sexdecim nostris confessi, reliqui canonicis. Plures sexdecim, qui nunquam coram sacerdote exomologesim fecerant, et interea mensam adire dominicam non perhorruerant, ad sinceram scelerum expiationem adducti. Ad sacra et conciones diebus

festis, quae iam omnino in neglectum venerant, eo praesertim die, quo inferebantur efferebanturque merces (qui quot hebdomadis unus erat) populus assuefactus; ut quandoque non minus frequentes comparuerint, quam alias diebus dominicis: quibus, ut animum adderet R<sup>mus</sup> dominus Demetrius Napragii, cancellarius Transylvaniae, electus episcopus, semper fere, nisi a vaivoda distineretur, una cum aula sua interfuit, aliquot non raro ex proceribus haereticis secum adductis.

In Paschate tanta fuit eorum multitudo, qui se de criminibus patratis accusarent, quo digni essent epulis Angelicis, ut ad dies aliquot duo sacerdotes vix suffecerint. Quod hoc turbulentissimo rerum statu, armis undique strepentibus et domi nefariis militibus omnia diripientibus mirum videri vel maxime debet. Quo tempore personae aliquot a nefariis superstitionibus abductae et inter duas coniuges, qui capitali odio dissidebant, pax conciliata. Ab iniusto coniugio deterritae duae.\* Tres mulieres, ut primum animi vulnera ecclesiae medico curanda aperuerunt, e gravibus morbis incolumes evaserunt. Una iam biduo

\* Omissum: Res in hoc genere accidit mira, quae Calvinistae superintendentis insignem insitiam luculenter ostendit. In servitutem erat raptus a Turcis miles non nemo, cuius uxor testes, ut hac in re haberi possunt, luculentos ad superintendentem Calvinistam adducit et inter caeteros, captivi fratrem, qui omnes affirmabant illum secundum praelium fatis cessisse. Frater autem acceperat a Turca captivo, qui dixerat se suis illum manibus terrae mandasse; quare se etiam atque etiam rogare, ut ad secundas nuptias transiendi facultas concedatur. Impetravit enim difficulter et iuveni cuidam, qui post alias hebdomas celebratis nuptiis, Calvinianis dogmatibus valefaciens, catholicus factus est, nubit. Tribus exactis mensibus ecce tibi, reddit mulieris prior maritus, secundus ergo iam catholicus, rem ad nos et nostro suasu ad R-mum episcopum catholicum refert, quid opus facto sit, a quo, ut antea a nobis responsum fert, priori uxorem reddendam, se quia sine crimenie et bona fide contraxerat, ut et mulierem omni culpa carere. Sed quia prior maritus mulierem recipere nolebat, et vero etiam mulier secundo adhaerere volebat, ad superintendentem haereticum itur, quid ille hoc in negotio sentiat, interrogatur, qui suis ministris sociis advocatis, et multis aliis, quos prudentia et rerum experientia peritos harum rerum apud vulgus effecerat, hanc fert sententiam: Priorem maritum uxori mortuum fecisse, postquam legitimos testes habuit, et sua autoritate secundo marito nupsit, quare illam manere cum secundo debere, priorem vero pro arbitratu aliam ducere posse. Catholicus iam a iurisdictione Calviniani exemptus, sententiae stare noluit, sed nostram amplexus est, et uxorem licet iam factam, deseruit. Audita est in confessione quaedam mulier honesto nata loco, quae ante triennium onera conscientiae, postquam ante pedes sacerdotis deposuisset, et SS<sup>m</sup> Eucharistiae sacramentum in ore haberet, tanto terrore correpta fuit, ut extemplo sacram hostiam ex ore eximeret et intra vestem et indusium internum coniceret; domi in eodem loco, in quem abdiderat, summa diligentia quaesivit, sed invenire (disparuerat enim) nequivit.

facultatem loquendi amiserat; sed viso sacerdote et recreari coepit, et ita commode loqui, ut occulta delicta pandere potuerit, ac post triduum lectum reliquerit. Quaedam ne suspendio gulam sibi frangeret (cui mantile quoque circumvoluerat, et ad haec etiam alienata mente e clavo pendebat) prohibita. Causam in se saeviendi filia nupta dederat, quam absente marito, vir miles schismaticus abduxerat, sed non sine praesenti numinis divini vindicta. Nam paucis post diebus, dum exercitus lustratur, socii plumbea glande casu triectus, interiit.

Quidam aegrotus in haeresi educatus, dum in extremis esset, et in eodem morbo tres ante quatuorve dies conversus, moreque catholico ad illud periculosem iter instructus, de animae salute desperavit: ita, ut nulli, ne uxori quidem aliud loqueretur, quam de se actum esse, ac in tabulatum dumtaxat oculos figeret, et toto corpore ruberet, arderetque uxor, quae modis omnibus illius conversionem tentaverat et iam in extremum animae periculum acerbius ferebat, accurrit ad nostrum sacerdotem, quem etiam atque etiam rogat et obsecrat, ne maritum animam agentem, et de misericordia Dei diffidentem deserat; ad quem cum advolasset et dicto modo invenisset, multis precibus monet et urget, ut verbum aliquod edat, spem concipiat optimam: Deum enim indulgentissimum esse, dummodo novi post confessionem admissi sceleris poeniteat, et ex integro confiteatur. Ad extremum vix multis clamoribus impetrat, ut se et dolere dicat, et confiteri paratissimum esse. Post triduum circiter, ubi melius habere coepit, iuratus asseruit, ignem se vidisse infernalem et ideo praeteritae vitae criminibus exanimatum.<sup>126</sup> Convaluit paulo post et in fide suscepta etiamnum perseverat. Vexabat virum haereticum muliebri modo forma,<sup>127</sup> modo iuvenis, modo muscae, modo alia quapiam diabolus, quem nunc in manibus, aliquando in pectore, nonnunquam in capite et aliis membris sentiebat: a quo, ut ab uxore profugeret, sollicitabatur. Quare, ut ab hac vexatione liberaretur, accessit Calvinianos ministros, eosque rogavit, ut sibi suppetias ferrent. Responderunt illi se hac in re nihil posse: quare si liber esse vellet, Albam ad Jesuitas pro auxilio petendo proficisceretur. Fecit, et postquam instructus totius anteaactae vitae scelera recensuit sacerdoti, et insuper Eucha-

ristiae sacramento, post agnoque Dei munitus est, omnia daemonis terriculamenta diffugerunt.

In festo Corporis Christi supplicatio sollemnis habita, tubis tympanisque concrepantibus.

### Residentia Varadinensis.

**V**ARADINI nostri, qui duo fuerunt, magnis in initio difficultatibus exagitati. Nam invidia et potentia quorundam procerum, nec exercitia Societati consueta in arce libera fuere, nec aeris campani pulsus; adeo, ut catholicis denuntiatum sit, futurum, ut ex ponte in fossam deturbarentur, si in arcem rei divinae audiendae causa ingressi fuissent. Exhausta tamen difficultas et iam capitanei haeretici non modo comes se exhibent, sed etiam alter illorum affirmavit, sua se concionatorem interemptum manu, si contra Patres aliquid dixerit feceritve. Tempa duo catholicis attributa: Hungaris alterum, alterum Germanis. Aliquot pellices suasu nostrorum vel ex munitione expulsae, vel ad legitimum matrimonium compulsae. Ad Pascha, sicut in agro hac tempestate admodum sterili, accusarunt se in sacra confessione de peccatis Hungari circiter quinquaginta: ex quibus tres haeretici, alii vel nunquam omnino exomologesin fecerant, vel a decem sedecimve annis divinis epulis abstinuerant.

Ad Natalem Domini diem Hungari viginti, unus haereticus, caeteri prioribus similes, Germani vigintiquinque. Dissidentes praeterea aliqui sunt reconciliati. Sacro fonte abluti infantes sedecim. Matrimonii sacramentum catholicis<sup>128</sup> administratum.<sup>129</sup>

### Missio Daróciensis et Szatmáriensis.

**I**N Darócz undecim mensibus tres sacerdotes et unus frater diversis temporibus commorati sunt. Qui repudiatis contra fidem erroribus, expiatisque totius vitae peccatis et epulis pasti divinis, gremio Ecclesiae Catholicae recepti sunt, sexaginta septem fuerunt. Ex quorum numero duae magnae nobilitatis personae extiterunt: quarum conversione, sicut orthodoxi multum gaudent, ita Calvinianae haeresis ministri acerbe torquentur, videlicet magnis suis defensoribus ac patronis amissis.

In festo Corporis Christi supplicatio sollemnis instituta,

quae hoc in loco a memoria hominum exoleverat, magna catholicorum laetitia et admiratione haereticorum.

Foemina catholica cuiusdam ludimoderatoris uxor, cum ab amicis et sanguine iunctis diu multumque vexata fuisse, eo nomine, quod fidem deserere noluisset, maritum haereticum etiam atque etiam obsecravit, ut sincere diceret, quidnam de religione Romana sentiret: se, Scripturae Sacrae ignaram, eam, quam ipse laudaret fidem, in pretio ac professione habituram. Accepta prius fide silentii maritus, bona fide respondit, inter omnes, quae hac tempestate vigerent religiones, catholicam optimam verissimamque esse; proinde, se auctore, usque ad ultimum spiritum eam retineret. Interrogatus ab eadem, cur quam inter caeteras ab omni remotiorem errore iudicaret, non amplecteretur; respondit famam et proventus impedimento esse, quae statim atque catholicus fieret, amitteret: quibus in fide confirmata mulier etiamnum perseverat.

Szakmárii fides sacrosancta, iam olim deleta est; tamen tribus mensibus, quibus e nostris sacerdotibus unus ibi moratus est, dedit operam diligentissimam, ut incolas ab errore revocaret: nec nihil profecisset, nisi Calviniani feroces summa vi pro suggestu magistratus, ac populum ab audienda doctrina catholica deterruissent. Nam extemplo duos cives ob haeresim abiectam senatu excluserunt, alios aliis poenis absterruerunt. Reperti nihilominus aliqui, qui praeteritae vitae crimina poenitentiae sacramento deleverunt. Idem sacerdos accersitus a quibusdam nobilibus in aliud castellum,\* cum ibi concionator haereticus publice ex loco superiori idolatriam catholicis inureret; sine mora eodem in loco respondit, falseque obiecta diluit. Qua re confirmati catholici, haeretici vero de sua secta, ut dubitarent, adducti.

ANNUS 1603.

### Collegium Albense.

 ROVINCIAM cum Turcis et Tartaris ingrediens Székely Moyses, recta Albam Julianam petiit, civitatemque non solum obsedit, sed etiam facto assaltu acriter oppugnavit. Et licet non expugnarit, Ger-

\* Omissum: Székelyhid nomine.

manum tamen militem propugnatorem eo adegit, ut facta deditio civitatem redderet; ipse vero incolmis abiret, quo tempore in collegio unus e nostris cum domestica familia versabatur. Duo enim Patres in proximam arcem se contulerant, ut pluribus prodessent, quorum alter paulo post rediit. Hic frater tempore obsidionis, multa incommoda passus est, non solum in rebus, quas milites praesidiarii, qui fere soli in civitate manserant, quotidie rapiebant, sed etiam in vita, cum enim semel haereticus homo eum detulisset, quod Hungaros in collegio ex consilio abscondisset, ut dum hostes civitatem aggredierentur foris, hi intus Germanos trucidarent; Germani repente in collegium irruperunt et pugnis fratrem verberarunt. Verum cum omnia diligentissime lustrassent, delatorem haereticorum more mentitum esse cognoverunt.

Est civitas Albensis ita constituta, ut interior pars moeniis circumdata, exterior vero, interiore multo maior, sine muro sit aperta. Cum ergo Germani interiorem tantum defendere constituisserint, exteriorem incenderunt, ne si hostis illam occuparet, ipsis facile detrimentum inferret. Ex altera vero parte Tartari tantum ignis imbrem in interiorem, telis ignitis immiserunt, ut civitas statim conflagraret universa. Collegium fere solum in mediis flammis integrum conservatum fuit. Nam licet uno die sexies ignem variis in locis conceperit, domesticorum tamen diligentia semper extinctus fuit.

Eo vero tempore, quo civitas in Hungarorum manus devenerat, nova pericula, novasque molestias ab irruentibus militibus nostri perpessi essent, nisi a capitaneo quodam milites, qui eos tuerentur, impetrassent. Illi ergo, qui ut omnia praedarentur venerant, cibo et potu contenti abierunt.

Post trimestre spatium, profligato Moyse, cum Caesareanum exercitum adesse audirent, reliquosque omnes, tum cives, tum nobiles fugam parare viderent, nostri, ne soli manerent et primo impetu opprimerentur, ad aliquem tutionem locum se recipere decreverunt. Verum cum e civitate egrederentur, moniti sunt in vicino loco illis insidias esse paratas a quibusdam, qui illos omnino spoliare et occidere constituisserint. Illi igitur in oppositam partem iter vertentes, ad montes altissimos et praeruptis viis a periculis militum tutos, una cum rusticis, praesertim Vala-

chis, se receperunt: ubi per aliquot dies cum Valachis ipsis lacte caprino tantisper victarunt, donec rebus iam pacatis, cum aliis Patribus Claudiopoli sese coniungerent. Interim Germani, qui in aliis praesidiis erant, Albanam civitatem vacuam esse intelligentes, eorum octoginta circiter, illam occuparunt. Excurrentes illi quotidie, ut Moysis milites palantes fugientesque interciperent, in tantum aliquando hostium numerum inciderunt, ut viribus impares, non solum pedem referre, sed etiam arrepta fuga, sese conferre in civitatem cogerentur. Cum eam ingredi non possent, quin hostes quoque cum ipsis ingrederentur, tamdiu et tam acriter, cum in porta, tum in principis aula pugnatum, donec Germani omnes ad unum ceciderunt.<sup>130</sup> Sed neque victores hi diu fuerunt. Nam Caesareanis adventantibus illico abeuntes, magna accepta clade, maiori ex parte interierunt. Iterum ergo civitas sanguine et cadaveribus redundans, tam diu vacua remansit, dum receptis in gratiam a Basta Hungaris, cives aliquae redierunt, civitatem purgarunt, eamque incolere coeperunt.

Recuperata Alba a Caesareanis post Moysem interemptum, ex nostris missus est illuc sacerdos unus, qui non inutiliter laboravit.

In concione enim plures, quam antea auditores fuerunt: siquidem electis haereticorum ministris, cives catholicum templum frequentarunt: quorum etiam nonnulli veram lucem agnoverunt. Procuratum, ut dies festi observarentur: neve iisdem diebus, antequam concio absolveretur, res ullaे venales exponerentur. Dissensiones etiam inter nobiles quosdam sedatae. In schola defectum nostrum supplevit iuvenis quidam saecularis, qui semper in scholis nostris educatus, docendi rationem optime tendebat.<sup>131</sup> Ab eo discipuli cum bonis litteris, piis fidei christianaе institutiones didicerunt.

### Missio Siculica.

**I**N SICULIA quoque nostrorum desudavit industria. Est autem Siculia pars Transylvaniae, adeo a reliquo corpore separata, ut quasi distinctam provinciam efficiat. Regiminis quoque formam a caeteris partibus valde diversam habet. Dividitur in septem sedes, ut ipsi vocant: quarum una est catholica, haeretica altera, reliquae mixtae.

Catholici sacerdotes sunt 40 circiter et totidem vel paulo plures paraeciae. Ex Siculis autem duplo plures creduntur<sup>132</sup> esse haeretici, quam catholici. Illuc e nostris tres ex arce Görgényensi missi sunt tunc temporis, cum Claudiopoli exturbati in exilio degerent, quibus sane non defuit ampla de proximo bene merendi occasio. Nam pagos illos catholicos visitantes et multorum inter se dissidentium animos conciliarunt, et concionibus populos ad pietatem et in primis ad confessionem excitarunt; qui iam a multo tempore coelestia pascua neglexerant. Nimirum hoc tempore auxilium illud opportunius fuit, quia cum pestis ibi saeviret: multi post purgatam conscientiam novamque vivendi formam sive re, sive proposito institutam, animam Creatori suo reddiderunt. Inter hos ducenti quinquaginta numerati, qui partim totius vitae, partim multorum annorum confessionem instituerant.

Dum autem nostri, toti in proximorum salute intenti, pericula nulla timent, sed sine discrimine, infectos<sup>133</sup> aequo ac sanos visitant, solantur, eorum confessiones audiunt et mortuos etiam magno pietatis zelo sepeliunt, alter eorum P. Stephanus Kabos eadem lue correptus est, qui tamen non propterea charitatis officiis nuntium remisit, sed nihilominus et conciones habuit, et alia munia obivit. Et cum iam invalescente morbo, lectulo affigi cogeretur, adventantium confessionibus, usque ad penultimum vitae suae diem, utilissimam operam navavit. Obiit die 12. Augusti 1603 in pago, cui nomen est Szárhegy, in ea sedis Csikiensis parte, quae Gyirgyó appellatur. Mors ipsius et illos populos, quibus indefessa viri charitas innotuerat, magno dolore affecit, et Societati nostrae valde incommode accidit. Nam cum esset Transylvanus nobilis et rerum Hungaricarum multum peritus, in tanta sacerdotum Hungarorum penuria, videbatur omnino necessarius.

### Missio Husztensis.

**S**EQUITUR, ut quae circa missiones duas memoratu digna occurrunt, breviter explicemus. Impetravit P. Maiorius Viceprovincialis a R. P. Generali, ut praeter auxilium, quod ex Italia et Austria subministrabatur, aliae quoque provinciae ad Transylvanicam messem mitterent operarios.

Ex Belgio igitur tres ex consilio sunt destinati, ut et militem Vallonem iuvarent et in scholis laborarent. Duo alii ex Germania, ut per eos civibus Saxonibus, genere, lingua et moribus Germanis, Claudiopoli panis frange-retur. Hi omnes cum eodem Patre Maiorio Roma rede-unte, provinciam ingredi debuere. Verum cum tardius Viennam attigissent, praecessit ille, hi subsecuti sunt cum Ioanne Leonardo ab Jell Germano nobili, Societatis amantis-simo et arcis Husztensis praefecto, qui ante multos annos, Parisiis nostrorum opera, a Beza<sup>134</sup> ad Christum fuerat tra-ductus. Iste nostros, toto itinere, humaniter aequa liberaliter habuit. Qui ubi Cassoviam pervenerunt et Trans-sylvaniam ab hoste Moyse occupatam esse intellexerunt, eosdem secum ad arcem suam duxit. Quo statim atque venit, ab episcopo, in cuius dioecesi arx illa sita est,<sup>135</sup> sa-cerdotes, qui ministris Calvinianis sufficientur, petiit. Verum ne, quod petebat, obtineret, paucitas sacerdotum effecit. Ipse igitur, ne, quod in se erat desideraretur, moribus prorsus christianis, omnibus exemplo esse coepit. Quotidie sacrum audiebat, frequenter orabat, pios libros lectitabat et quotiescumque occasio dabatur (dabatur autem saepissime) primores e nobilitate ad avitam religionem ample-ctendam hortabatur. At vero cum Basta, qui tunc Szakmári cum exercitu morabatur, ex Belgio Patres advenisse intelle-xisset, illos ad se vocavit. Verum cum paucis post diebus castra in Transylvaniam contra Moysen esset moturus, eorum uno, pro se et Vallone milite retento, reliquos duos Varadinum dimisit. Quorum alter P. Petrus Petitius, quasi cursus sui finem praesagiret, eorum instar, quae natura, non vi moventur, animi sui conatus in Deum vehementius, quam unquam antea, intendere coepit. Nam etsi semper rerum spiritualium amans fuit, extremo tamen illo tem-pore, seipsum in amando Deo superare videbatur. Duos menses Varadini vixit, quo tempore libellum exercitiorum e manibus nunquam dimisit. Multas singulis diebus ora-tioni et meditationi horas tribuit, nulla nisi de rebus divinis colloquia habuit. Itaque prius vehementi capitis dolore correptus, tum defluxione quadam, quae partes vitales occupavit, triduo consumptus, obiit Varadini 2. Septembris anni 1603. Socius ipsius paulo post Claudio-polim concessit.

Iam ad illos, qui cum Huszensi praefecto remanserunt, veniamus. Quinque ibi menses morati sunt, nec otiose: diebus enim festis conciones habuerunt, quibus semper praefectus ipse, et eius iussu atque exemplo, reliqua familia cum praesidiario milite interesse consuevit; capita amplius sexaginta elutis animi sordibus, divinum celebrare convivium, quod diu neglexerant alii, alii tota vita, ut qui tunc posita contumacia, suavi ecclesiae iugo cervices suas subiiciebant. Quos, ut magis praefectus ipse confirmaret, saepe domestico convivio excipiebat, ad pietatem excitabat, ut constantes essent, hortabatur. Nec solum pietati seminandae, sed impictati etiam extirpandae operam dedit. Nam blasphemias, perpotationes, illicitos lusus, aliqua vitia, quibus male feriatus miles nimium occupari solet, extra fines suos amandavit.


ANNI 1603--1604.

### Viceprovincia Transylvanica.

**D**E NOSTRIS in Transylvania viceprovincia Austriae socii primum undeviginti, post vero duodecim, tum Claudiopoli, tum AlbaeJuliae commorari solitis sacerdotes 12, scholarum professores 3, rei domesticae adiutores 4 fuerunt numerati. Mortui sunt quatuor, unus per latrocinium a militibus vita exutus.<sup>136</sup>

Postquam in autumno anni supra Millesimum sexcentesimum tertii Claudiopolitana civitas, quae collegium nostrum cum templo ab ipsis everterat fundamentis,<sup>137</sup> nobis parochiale templum, aedes scholasque iubentibus Caesareanis commissariis attribuit,<sup>138</sup> solius catholicae religionis exercitia obiri coepta sunt.<sup>139</sup> Ministri enim Ariani fuga sibi consuluerant, utpote qui direptioni ac calamitatibus innocentii Societati illatis, non modo interfuerint, verum etiam praefuerint.<sup>140</sup>

Itaque festa Natalitia non mediocri confitentium communicantiumque frequentia et magno ad conciones, qua Hungaricas, qua Saxonicas concursu, nostris celebrantibus, sub Idus Ianuarias P. Provincialis Austriae<sup>141</sup> Claudiopolim duobus comitatus sacerdotibus pervenit: quo collegium de more visitante, Pater quoque Ioannes Argentus ex Polonia



Ecclesia cum Collegio vicino Societatis Jesu Claudiopoli.

(Collegium anno 1603. destructum est.)

Templum, quod in latere dextro imaginis depictum est, in extrema platea Luporum, intra Orientem et Meridiem, haud procul ab antiquis moenibus civitatis et a turri angulari Tribus Sartorum, usque ad hodiernum diem exstat. Senatus civitatis, exeunte anno 1486 — Matthia Corvino regnante — fundum templi fratribus S. Francisci Minorum Conventualium contulit, qui ipsi templo exaedificando multum operae dedisse videntur. Quo anno templum et monasterium vicinum aedificata sint, nullo documento testari possumus: aedes quidem Ordinis inventarium anni 1509. exhibit, necnon verisimile est ambas domus sanctas eodem tempore iam extrectas fuisse. Patres Jesuitae vere anni 1581. templum receperunt, eorumque laborem et gustum aedificium Collegii contigui demonstrat. Notum est hoc Collegium ab innovatoribus Colosvariensibus 9. Iunii 1603. solo aequatum, templumque ab iisdem admodum conturbatum fuisse. In locum templi diruti Patribus, anno sequenti, ecclesia parochialis in foro maximo attributa est, templum antiquum autem Reformatis condonatum, princeps Georgius Rákóczy I. ea, qua nunc exstat forma, anno 1644. per magistros Italicos restaurari iussit. Templum 111 pedes longum, 48 latum et 60 altum, B. Mariae Virginis consecratum, quamvis simplex et modestum, neque eo secius notabile artis monumentum civitatis Kolozsvár est.



praesto adfuit. Caeterum, quia is tum in discessu e Transylvania per Moldaviam, tum in reditu per Hungariam multa sibi sociisque memoratu digna consignavit,<sup>142</sup> hic qua fieri poterit brevitate, intexanda censuimus. Neque enim hactenus per continuos Transylvaniae motus prescribi potuere.

Cum nostri mense Iunio proxime superioris anni a Claudiopolitanis exturbati in variis certisque versarentur periculis, decreverunt Patres, ut eorum pars maneret, pars in Poloniam iret. Hac enim ratione Societas nec provinciam deserebat, nec homines amittebat: utpote quorum tam multorum opera Transylvaniae non esset necessaria et vero inibi felicioribus temporibus in animarum salute procuranda Deo deservire cum fructu olim posset.

Pater itaque Argentus cum sociis septem iter ingressus est, quod fuit longum, difficile et periculosum. Longum quidem, quia ut pericula vitarent, magnos circuitus fecerunt. Nam cum propositum haberent occasum, ad ortum recta perrexiserunt et cum 12. Iulii discessissent, 12. Augusti Cracoviam pervenerunt. Difficile vero, quia cum rebus necessariis minime abundarent, interdum pluribus diebus et noctibus continuis fuerunt in montibus altissimis et densissimis sylvis, quae etsi undique Transylvaniam cingunt, ex ea tamen parte magnae in primis et horridae censemur. Et licet in Sicilia equos a rusticis Valachis, qui eo triticum detulerant, in Moldaviam usque conduxissent, magna tamen itineris pars, ob difficultatem viarum arduosque ac difficillimos ascensus, pedibus conficienda fuit. Periculosum denique, ut indicabant plura hominum capita et cadavera, quae recens in illis sylvarum saltibus miserabiliter vel a latronibus mactata, vel a feris discerpta conspiciebantur. Passus etiam, quibus transeundum erat, adhuc a latronibus obsideri dicebantur. In Sicilia porro in eo pago, ubi triduum posuerunt, plures quotidie peste confecti efferebantur. Sed illi populi, sicut et reliqui, tam Hungari, quam Transylvani, non solum pestis contagionem non fugiunt, sed etiam pro magno scelere habent, si quis timore pestis vel solum vertat, vel hominum ea lue correptorum familiaritatem devitet. Aiunt enim, pestem esse poenam a Deo inflictam: quare qui illam fugiat, Deum ipsum cum Iona fugere velle videatur.

Hinc coniici potest, cur interdum tam multi ex nostris perierint in Transylvania. Etenim patriae morem secutine haereticis ansam darent querelae, quod veluti illegitimi pastores, oves in periculo desererent, nullam grassante peste salutis suae curam habuerunt. Sed, ut ad itineris pericula redeamus, ductores ipsi viarum barbari, quibus parum credi possit, quod quidem satis declarat praeclera fides eorum, qui in hoc itinere per sylvas illas maiores duces fuerunt, ut enim pecunias e Patrum manibus extorquerent, saepius minas intentarunt: parumque abfuit, quin nocte quadam in mediis sylvis eos desererent. Deus tamen, qui bonus est sperantibus in eum, illos ita custodivit, ut sine ullo detimento Transylvaniae finibus superatis Moldaviam ingrederentur. Iam civitatem Nemcz<sup>143</sup> dictam attigerant, ubi eorum ductor accusatur, quod ex regionibus propter bella suspectis homines prorsus ignotos in regnum introducat. Respondet ille se duxisse sacerdotes Romanos, in quibus nihil mali advertisset. Civitatis gubernator ad se Patrem Rectorem accersit, ex eoque multa sciscitatus, quis sit, unde veniat, quo tendat, inquirit. Ad haec ille: Italum esse et religiosum, ex Transylvania ad vaivodam proficisci. Opportune accidit, ut gubernator filium haberet, qui biduo ante domum ex Italia redierat et Venetiis cum Patre Possevino, aliisque Patribus familiariter egerat. Hic fuit interpres parentis, qui Italice quidem intelligebat, sed non loquebatur. Is cum alia quaedam rogasset, honestis verbis Patrem dimisit, cui paulo post nunciavit, ut quam primum inde discederet ad vaivodam, uti se facturum dixerat, quo cum sibi quoque profiscendum esset, operam ibi suam et auxilium promittebat. Hoc autem eo faciebat, ut Pater discessum maturaret. Uno tamen die manendum fuit ob adversam unius e sociis valetudinem, qui propter incommoda, quae in sylvis, ubi aliquando nec aqua suppetebat, perpessus fuerat, ex stomacho graviter laborabat. Hoc eodem in loco fuit commoditas celebrandi, erat enim sacerdos catholicus, qui duorum curam habebat templorum. Catholici tamen pauci erant iisque natione Germani.

Nam etsi provincia tota cum suo principe a schismate Graeco occupatur,<sup>144</sup> non excludit tamen fidem Romanam: imo habet catholicum episcopum, qui huic provinciae et Valachiae praesidet.<sup>145</sup> Ex hoc loco Socza-

vam,<sup>146</sup> in qua civitate erat tunc vaivoda Hieremias, sese Patres contulerunt, qui cum ad publicam audientiam magno totius nobilitatis concursu Patres admisisset, illi per interpretem P. Rector exposuit, cum Societati in collegio suo Claudiopolitano per Arianos, in reliqua vero Transylvania per armorum strepitus in tanto, quo erat numero, esse non liceret, se coactum fuisse, relictis in Transylvania nonnullis, alios ducere in Poloniam, ubi Societas sub tutissimo religiosissimi regis<sup>147</sup> patrocinio ministeria sua, ad Dei optimi maximi gloriam, libere exercere potest. Iter autem per provinciam ipsius suscepisse non ea solum ratione, quia tutius, sed multo magis, quia speraverat in ipsius ditione sibi non defuturum praesidium illud, quod christiano principe suo quasi iure expectare possunt viri religiosi, Christi obsequio mancipati; nullo autem modo praeterire voluisse, quin illum debita cum reverentia salutaret, eaque obsequia offerret, quae in Dei honorem et ipsius commodum proficisci possent a servis Christi, qui et patria, et domibus propriis relictis, in illas partes nulla alia de causa venissent, quam ut ad aeternam salutem consequendam iuvarent animas, Christi sanguine pretiosissimo redemptas.

Hic primum vaivoda gratias humaniter agere, quod illum Patres invisissent, tum eorum casum multis commiserari, demum patrocinium suum amplissimis verbis polliceri; addidit Arianorum peccatum omnem malitiae mensuram excessisse, neque Turcas ipsos unquam tam impios futuros, ut templa Deo dicata labefactarent. Idcirco Patres bono animo esse debere, quia de hostibus cito Deus vindictam sumpturus, eosque in pristinum restituturus esset. Etsi Moyses (nomine hoc utebatur quidam Transylvanus) delicti particeps fuisset, fore, ut propediem debitas poenas lueret. «Nescio, inquit, unde tanta tempestas originem habeat. At, dato etiam vestra culpa ortam esse, vobis quidem aequo animo poenitentia de manu Dei accipienda est: attamen scelus adeo grave est, ut quodcumque peccatum, quod a vobis committi potuerit superet et divinam iustitiam excitet, ut quam citissime acerbissimas quidem, sed iustissimas de illius auctoribus poenas sumat.» Tum P. Rector ad ea, quae de Moyse dicebantur, respondit se nihil posse affirmare, cum ex una parte mali impediendi

potestas penes illum fuisset; ex altera vero Societatem in suis castris protexisset. Quod vero spectabat ad causam, quae Arianos ad facinus impulisset, aliam non posse feri, quam illam eandem, quam ipsi attulissent: nimirum venerationem Sanctissimae Eucharistiae et Sanctorum sacramrumque imaginum cultum, quas — inquit — Deo sit laus et gloria, video tam frequentes in tuo regno. Narravit hic, quae ipsomet oculato teste fecerant Ariani in templo, in contemptum Sanctissimi Corporis Domini, eius Matris gloriosissimae, caeterorumque Sanctorum, propter quorum venerationem Patres idololatras appellare, eiicere et crudelissime persecuti consuevissent. Quod ad vindictam autem, quae a Deo expectanda esset, affirmavit se et socios, utpote christianos et religiosos, orare Deum pro suis persecutoribus; semperque data facultate fore paratos redire, ut vitam etiam pro eorum salute profunderent.

Vix audierat Hieremias, quae acciderant circa venerabile Sacramentum et imagines Sanctorum, cum subito totus commoveri et lachrymis intumescere eius cooperunt oculi. Cum principe tota aula infremuit indignabunda. Est enim haec natio valde ad venerationem imaginum inclinata: apud quam praecipuum illius civitatis templum intus forisque omni ex parte Sanctorum imaginibus depictum est atque ornatum. Supra caput etiam vaivodae duae parvae imagines auratae de more pendebant affixa. Ad illud de oratione pro persecutoribus animique praeparatione ad eorum commoda procuranda: «Haec, inquit, est perfecta charitas religiosis hominibus digna. Verum credite mihi, cito videbitis Dei vindictam.» Et ad hoc propositum retulit recens exemplum quorundam, qui ob rerum divinarum contemptum severissime a Deo castigati fuerant. Multa deinde sciscitatus de itinere aliquis de rebus, nostros dimisit, cum prius illi gratias egisset Pater, non solum nomine suo et sociorum, qui aderant, sed etiam Societatis universae, quae toto terrarum orbe sparsa, pro illo ad Deum preces oblatura esset, cum eius erga nos charitatem cognovisset.

Dimisis iam Patribus interrogavit secretarium Hungarum Petrum Nápoli, virum bonum et catholicum, qui Patres introduxerat et fuerat interpres: quare illi essent in vestitu tam tenui? Cui cum respondisset, eos Claudiopoli

iectos esse seminudos, statim pannum emi et omnibus vestes parari iussit. Sed pro maiori Patrum merito pannus niger in tota civitate non est inventus, licet multi adessent mercatores, nam apud illos populos color niger in usu non est. Iussit praeterea illis dari sumptus dum ibi morarentur et viaticum pro itinere et comites, qui cum curribus per totam ditionem suam eos deducerent.

Est princeps ille fide Graeca imbutus, caeterum natura ad pietatem propensus, quotidie divinis officiis interest in templo, domi prolixo orat; est mitis solaque Romana communio illi deesse videtur, neque a catholicis abhorret; eorum enim templa nonnumquam adit et in altero eorum pulcherrimum altare cum egregiis picturis et ornamentis extruxit. Sunt enim in Soczavana civitate duo catholicorum templa et sacerdos unus. Catholici autem fere nulli, exceptis mercatoribus et militibus Polonis. Schismatici porro plura templa pluresque monachos et sacerdotes habent.

Hic dum moram per octriduum<sup>148</sup> trahunt Patres, ex Transylvania venerunt nuncii certissimi, qui universum Moysis exercitum ab Radilio Valachiae vaivoda profligatum ipsumque Moysen cum tota fere nobilitate trucidatum esse retulerunt.<sup>149</sup> Fuit communis sensus in aula hanc fuisse poenam a Deo Moysi inflictam propter scelus admissum in Societatem. Nullus enim ipsum sacrilegii illius vel authorem, vel participem fuisse non credebat.

Principis ergo Hieremiae liberalitate ac nobilis Poloni, praetorianae cohortis militibus praefecti, aliorum item Polonorum mercatorum benigna largitate, Soczava dicensi Kamenecium triduo pervenerunt. Est ea civitas prima regis Poloniae et metropolis Podoliae una leuca a finibus Moldaviae, arcemque habet celebrem natura et manu valde munitam. Ibi invenerunt eiusdem civitatis episcopum,<sup>150</sup> summa pietate virum et Societatis amantissimum; qui sicuti Patrum religionisque catholicae vicem doluit, sic illos tanquam parens filios incredibili amoris significatione complexus est. Postridie eos ad quandam arcem suam duxit et deinde cum et pecuniam et alia, quibus egebant, humanissimus pastor illis dedisset, dedit etiam currus et equos et viae ducem ac comitem nobilem, affinem suum, qui eiusdem praesulim

sumptibus eos Leopolim usque, ubi Societas domicilium habet, deduceret.

Illuc pervenerunt die quarto, atque in civitate, quae archiepiscopalis est et Russiae prima, a sociis, qui ibi degabant, accepti sunt ea prorsus charitate, quae Societatis propria est. Inde post integri diei quietem, quidam e sociis, qui in itinere graviter aegrotare cooperat, cum sacerdote relicto Jaroslaviam, ubi est collegium Societatis, ac tandem Cracoviam attigerunt, ubi Beati Stanislai, regni patroni, templum pie visitarunt, eiusdemque venerandum caput, sacratissimum clavum, quo Christus cruci affixus est, aliasque multas et insignes reliquias, quae in episcopal templi sacristia nobilissimis, iisdemque argento, auro et gemmis pretiosissimis thecis asservantur, rite sunt venerati.

Rex autem cum adventus eorum causam cognovisset, sibi a lachrymis non potuit temperare.<sup>151</sup> Est enim summae pietatis princeps et cum religionis catholicae, tum Societatis patronus et propugnator acerrimus. Die Beatissimae Virginis Assumptae sacro, Patrem Rectorem ad suum conspectum admisit, facti narrationem audivit, indoluit, tutelam suam humanissime promisit. Pecuniam etiam pro itinere eorum, quibus in Germaniam eundem erat, misit.

A patre rege ad principem filium salutandum ductus est Pater. Erat puer octo annos natus,<sup>152</sup> aspectu nobilissimus, generosus, prorsusque regiae indolis proles.

Interea dum P. Argentus Cracoviae a Nuncio apostolico<sup>153</sup> rogatus conciones cum summa ipsius approbatione et frequentia, qua Italorum, qua aliorum linguae Italicae peritorum habet, monetur a R. P. Generali, ut in Transylvaniam redeat. Itaque Legato, licet invito, per Hungariam Claudiopolim rediens, a Patre Provinciali ibidem adhuc commorante et Viceprovincialis Transylvaniae, et rector collegii pro Patre Maiorio constituitur; cum quibus aliisque collegii Patribus P. Provincialis multa ad statum Societatis in hac provincia pertinentia ubi deliberavit, dissessurus, Patrem Maiorium cum uno sacerdote alioque fratre secum abduxit. Qui quidem P. Maiorius Cassoviensis missionis tunc institui cooptae superior factus, tertio post mense, dierum et operum fere bonorum plenus ultimum diem sancte pieque obiit. Vir fuit religiosae disci-

plinae amantissimus: quippe, qui a teneris usque annis in Societatem a Beato Nostro Patre Ignatio admissus, in ea semper laudabiliter vixit et in Gallia, ubi multos annos moratus est, multa quoque difficilissimis temporibus perpessus est. In Transylvania autem Gallicis meritis cumulus ingens accessit; quamvis autem in omnibus sanctitas eius eluceret, tanta tamen ipsius fuit, tum in adversis omnibus fiducia, ut de eo affirmare possimus: Non fuit similis illi, qui conservaret legem Excelsi.<sup>154</sup> Mansuetudo vero ac patientia eluxit in eo singularis, cuius vel illud e multis argumento est, cum enim in direptione collegii Claudiopolitani luculentum in capite vulnus accepisset, nunquam tamen illius auctorem, licet probe cognitum, manifestare voluit.

Sub idem tempus, quo Cassoviae mortuus est P. Maiorius, Claudiopoli obiit P. Balthasar Ferochi,<sup>155</sup> qui ex nostris in Transylvania antiquissimus erat. Fuit enim tum ex illis, qui primum Societatem in provincia fundarunt, tum ex aliis, qui in eiusdem Societatis revocatione ibidem eam instaurarunt. Vir simplex fuit et rectus, et magna cum domesticorum externorumque aedificatione et fructu, religiosa ministeria semper exercuit. Sigismundum etiam principem dum adhuc puer esset, bonis litterarum disciplinis instituit. Cum vero in laboribus consenuisset, diuturno hydropisis morbo laboravit, quo toto tempore magnum et patientiae, et pietatis exemplum omnibus praebuit. Et tandem morbo confectus et Sanctissimis Sacramentis munitus ex hac ad meliorem vitam, ut speramus, emigravit.

Iam vero, ut coeptum rerum Transylvanicarum ordinem prosequamur, hic attingemus ea, quae ad animarum salutem, atque proximorum aedificationem spectant. Ut autem a templo incipiamus, uterque concionator Hungarus et Germanus, strenue munere suo functus est. Et licet Hungarica concio frequentior esset, non tamen pauciores erant Saxones ex iis, qui ex haeresis caligine ad evangelicam lucem venientes sacra confessione animas suas expiarunt.<sup>156</sup>

Hoc anno quadraginta circiter in civitate ex utraque natione ad veritatem reducti. Omnia fere primus fuit civis honestus ex numero centumvirorum,<sup>157</sup> qui posteaquam de religione serio cum sacerdote egisset graviter aegrotare coepit. Quare illum eundem sacerdotem, ut

ecclesiae reconciliaretur peccataque sua confiteretur vocari iussit. Verum, quando Pater accessit, infirmus iam animam agere videbatur, vixque verba formare poterat: cum vero se catholicum esse catholiceque mori velle profiteretur confessionemque eo, quo poterat, modo institueret, extemplo vox facilior reddita pectusque multa egesta materia relevatum. Ille ergo divinum beneficium agnoscens exclamavit: «Deus bone, ecce etiam corpore iam melius habeo.» Absoluta confessione magna cum animi laetitia aliis praesentibus conscientiam suam antea plurimum aestuasse modo quietissimam esse testatus est. Hic in suscepta veritate tamdiu mansit, quamdiu vixit; vixit autem duos circiter menses, quibus e lecto nunquam surrexit. Eo autem tempore nihil libentius, quam pios sermones audiebat; et Patres quotiescumque ad illum venissent, gratissimo animo excipiebat atque cum illis de rebus divinis conferebat. Quare cum infirmitatem aequo animo ferret, eiusque voluntas cum divina consentiret et Deo pro erratis satisfecit et omnibus, qui illum inviserent bonus semper odor fuit. Cum ultimus vitae dies instaret sacro viatico sacraque unctione munitus ad Patremfamilias quasi unus ex illis, qui undecima hora vocati sunt mercedem suam recepturus abivit.

Alter Lucas Trausnerus, qui et civis Claudiopolitanus et nobilis Transylvanus, vir omni disciplinarum genere et multarum linguarum cognitione peritissimus, tanta autem rerum agendarum patriaeque legum peritia eruditus, ut in tota provincia neminem parem, nedum superiorem habere censeatur. Hic in arce, cui Déva nomen est, captivus detinebatur,<sup>158</sup> non tam quod singulariter in re ulla deliquisse convinceretur, quam ne cum esset haereticorum omnium doctissimus et in errore obfirmatissimus, quidpiam, si non in politicis, certe in rebus ad religionem spectantibus, moliretur. Omnium fere haeresum castra perlustraverat Trausnerus et cum nullibi constantiae firmitatisque vires reperisset, tandem ex Arianismo, in quo primum ab ipso Blandrata,<sup>159</sup> qui primus pestem illam in Transylvaniam invexerat et apud quem multos ipse iuventutis suae annos consumpserat, fuerat institutus, tum ut magis in impietate proficeret, Francisci Davidis, eiusdem dogmatis non promulgatoris solum, sed etiam promotoris et in deterius

corruptoris, filiam sibi in uxorem desponsaverat; tandem, inquam, ex Arianismo in atheismum praeceps actus, tantum profecerat, ut in mundi fabrica et gubernatione Aristoteli potius, quam Moysi credendum esse existimaret. Hinc cum aliquando philosophi Ethicam percurrisset, ea de re ad amicum scribens: «Etiamsi, inquit, libri omnes sacri amitterentur, nihilominus tamen homo suae saluti consulere posset, si vel Ethicas ab Aristotele traditas praeceptiones observaret». Licet autem privatim de Deo, uti atheistus sentiret, religionemque nihil aliud esse, quam populare frenum a sapientioribus excogitatum arbitraretur; publice tamen Arianismum, in quo consenuerat, profitebatur. Cum ergo captivus per otium libros, quos baro ab Hoffkirchen,<sup>160</sup> natione Germanus et religione catholicus, tunc autem Devensis arcis praefectus illi suppeditabat, attentius legeret et Granatensis<sup>161</sup> in primis ad Symbolum Apostolorum introductione delectaretur, tunc primum ex eorum lectione et lucem veram aspicere incepit, et praesentem carceris calamitatem divinam esse punitionem agnovit. Itaque divina cum eo mirabiliter operante misericordia, religionem catholicam, quam solam solidam et sibi constantem cognoscebat, amplexus, hac de re litteras ad novum Societatis superiorem dedit. Quae, quia ingenium hominis satis declarant, idcirco non ingratum fore iudicavimus, si earum hic partem adiungeremus. Sic igitur scribit: «Quod fidenter ad Reverentiam Vestram meas dirigam epistolas, sine dubio non mirabitur, si summa sua prudentia, qua ob aetatem pollet, et maturo iudicio, quod et sacrae litterae et longus in religione christiana usus eidem contulerunt, factum meum examinabit. Nam cum considero dictum Christi Domini (quod omnes ad conversionem et veram poenitentiam invitare debet) gaudium nimirum esse in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis: dubitare non licet me apud Reverentiam V<sup>ram</sup> in simili fore gradu, quem tot errorum procellis hactenus agitatum, Sanctissima mater Ecclesia in gremium suum, velut ovem aberrantem pastor ad ovile suum suscipit. Et quemadmodum Paulus zelo defensionis avitae religionis ingenti cum ferretur fervore contra Christum, ad Christum tractus fuit, ita non longe dissimili ratione (si collatione uti licet) istis calamitatibus, quibus

hactenus exercitus sum et adhuc molestor, a zelo ignorantiae me retractum puto, qui dum Deum unum Israëlitis propositum solitarium esse existimarem et plus rationi, quam fidei tribuerem, contra omnia sane Theologiae fundamenta, erigere ausus sum. Cum itaque Deus infinita sua bonitate, in hac iam decrepita pene senectute mea, ita mei sit misertus, ut per eas afflictiones, tamquam clementissimus pater me ad sui cognitionem et verae religionis amplexum pervenire voluerit, non absque causa mihi persuadere debo, Reverentiam V<sup>ram</sup> mē tamquam posthumum cum caeteris, qui mane in vineam profecti sunt, complexurum. Licet autem ex omnibus captivitatis meae molestiis nihil mihi gravius accidat (etsi parum non est diu noctuque compedibus vinctum, dulcissimo suorum solatio privari), quam cibo carere spirituali, hoc maxime principio, quo ductore et magistro mihi opus foret; tamen longe gravissimum erit, si sacra illa communione corporis et sanguinis Domini, cui tamquam capiti membrum uniri cupio, privabor. Quare cum tempus instet, quo pii omnes, per confessionem et veram cordis contritionem sese ad Christum recipiendum parare debeant: nonne summo desiderio, ut his solvar vinculis, et sim in domo Domini, exoptare debo? Nemo itaque miretur, si importunius hoc tempore, quam alias, pro mea liberatione insto. Cum vero mea innocentia eatenus constet, ut non debeat quispiam vir bonus et pius meam defensionem reformidare, Paternitati V<sup>rae</sup> causam meam non sum veritus commendare, praesertim cum sciam, quantum ipsius cum apud commissarios, tum apud Excell<sup>mum</sup> Generalem valeat authoritas».

Haec ille aliaque quamplurima et in his, et in aliis ad Patrem datis litteris commemorans, fidem suam pariter et a prodictionis crimine innocentiam egregie testatam fecit. Quibus Pater ipse permotus, Excell<sup>mum</sup> Dominum Generalem Bastam adit, cum eo agit peragisque rem omnem: ab eodem enim Generali, licet haerente ac stupente, Trausneri commutatum animum, impetrat tamen hominem. Domum igitur Trausnerus revenit suam ante Dominicam Passionis, ipso die Christi resurgentis sacro in cubiculo Patris Viceprovincialis, praesentibus aliquibus, tum magnatibus, tum civibus praecipuis, suos errores abiuravit et professionem fidei iuxta formam a concilio Tridentino

praescriptam, fecit. Inde in templo summa populi frequentia referto, omnibus spectantibus atque admirantibus, magno pietatis sensu divinum percepit epulum, ut brevi nulli de sinceritate sua dubitandi locum reliquerit. Filium quoque duodeviginti annos natum sacro baptismi lavacro publice in templo spectator ipse lustrari curavit.<sup>162</sup>

Neque viri solum, foeminae etiam suam in suscepta religione constantiam declararunt: quarum una, cum post agnitam veritatem cuidam nobili nupsisset, qui eam, quod catholica esset, argueret, utque a templo nostro abstineret, importunius sollicitaret; ne me, inquit, illa in religione turbes: te enim accepi, ut coniux mihi essem, non Deus.

Per ferias Paschales fuit sacerdoti nostro negotium sane non otiosum cum Vallonibus; erant horum binae ternaevē centuriae, quos fere omnes pro concione prius incitatos, confessioneque diligenti expiatos, ad sacrum admisit epulum. Idem Pater paulo post in castris multos menses, universo Vallonum exercitui utilissimam navavit operam; multos saepe in summa illa peccandi licentia, ne peccarent, compescuit; aliis, ut male ablata restituerent, persuasit; odia multa restinxit; non paucis, ut meliorem vivendi rationem inirent, auctor fuit: nonnullis etiam, qui propter delicta plectendi erant, vitam impetravit. Quibus rebus consecutus est, ut tam Generali, quam militi charissimus esset. Verum, ut ad Paschalem sollemnitatem redeamus, praecipui fere omnes nobiles catholici, ex variis regni partibus collecti, per eos dies coeleste convivium celebrarunt. Hos inter Balthasar Kornis, vir tunc in provincia genere, opibus et gratia, apud Caesarem nulli secundus, per totos illos dies sanctos domi nostrae fuit, exercitiaque spiritualia, victu nostro simpliciore contentus, fructuosissime peregit. Quin etiam aula Generalis universa, cum praecipuis quibusque capitaneis, qui tunc Claudiopoli erant, magna cum pietatis significatione, communicavit. Et licet Generalis communio nem, ob podagrae impedimentum, quae tunc illum valde cruciabat, in aliud tempus differre coactus sit, omnino tamen sacro sollemni interesse voluit. Ad templum igitur in sede, non quidem sine magna difficultate, at magno bonorum exemplo se deferri curavit. Post festa Paschalia cum idem ex provincia ad comitatum Hustensem, illi a Caesare nuper collatum, proficiseretur,<sup>163</sup> praeter ordina-

rium sacerdotem duos alios aegrotos e nostris magna cum charitate secum deduxit, omniaque illis necessaria se quam diligentissime curaturum promisit. Sed Deo sic disponente alter illorum duorum P. Ruchardus, qui anno superiore cum exercitu Caesareano provinciam ingressus, hectica febri in castris laborare cooperat, ibidem paucis post diebus est mortuus; alter vero nihilo sanior factus, ab eodem Generali Cassoviam ad nostros, inde Turocium et tandem Viennam transmissus fuit.<sup>164</sup>

Templo nostro, ut de illo dicamus aliquid, nova facies a nobis inducta. Olim fuit templum summum.<sup>165</sup> Haeretici illud nefarie invadentes more suo totum deformarant: altaria solo aequaverant, loco arae principis erexerant sepulchrum e terra emens Petrovicsio<sup>166</sup> cuidam, qui ex eodem templo sacerdotes iam olim eiecerat et in reliqua provincia verum fidei lumen extinxerat; supra illud magnis aureorum caracterum encomiis ornatum vexillum collocarant. Nostri sicuti sacrilego destructo sepulchro sacrum altare ex lapide magnifice instauravere: sic deiecto profano vexillo vicitria triumphantis Christi crucifixi insignia a perito pictore expressa eidem arae gaudentibus catholicis, dolentibus haereticis imposuere. Aliud altare civis quidam ex lapide in honorem Beatae Virginis et Sanctorum Hungariae regum opere egregio exstruxit. Pavimenti pars illa, quae ante summum altare sita est decore strata, sacristiae fornix ruinosis refectus et tectum templi pluviis ubique pervium reparatum. Agnoverunt rudes etiam indoctique homines quantum catholici ab haereticis differant, quanta in templis aedificandis ornandisque sit haereticorum negligentia. Neque caetero cultui defuit optima cum vocum, tum instrumentorum musica, qua diebus festis magno cum decoro divina condiebantur officia, nam praeter studiosos adolescentes, quos Societas alebat, ipsius Generalis symphoniaci aliique iuvenes Germani libenter aequa ac diligenter operam suam praestabant.

In sollemnitate Corporis Domini instituta est sollemnis supplicatio iam ante annos ferme quinquaginta intermissa, erecta quatuor altaria in celebrioribus civitatis locis, ubi de more quatuor Evangelia sunt decantata. Praecepdebant discipuli nostri plus quam ducenti pulchro ordine dispositi, quorum pars magna more Angelorum induta

erat. Parentes enim etiam haeretici, filios suos certatim ornaverant. Hi autem rosis aliisque florum generibus, quos toto itinere ante Sanctissimum Sacramentum spargerent, erant onusti. Umbellam semper ferre voluit comes Thomas Capreolus, qui absentis Generalis<sup>167</sup> vicarius provinciam gubernabat. Tum iuverunt nobilissimi viri Transylvani, iisque Sacrae Caesareae Maiestatis in Transylvania consiliarii, magno totius civitatis concursu: populus enim cum pietate, tum rei novitate permotus undique confluebat. Nam, quamvis nostri collegio adhuc incolumi has easdem caeremonias anniversario ritu peragerent, numquam tamen collegii et seminarii fines excedebat. Quare catholici soli et videre, et interesse consueverant. Non defuerunt utriusque sexus senes, qui in ipsam supplicatione se antea huiusmodi caerimoniam in eadem civitate vidisse alii narrabant, illudque addebant cum haec fierent neque Transylvaniam a Turcis infestatam fuisse, neque Transylvanos fame sicuti modo periisse. Cum ad castra comes Capreolus ea loco Bastae recturus in Septembri proficiseretur firmissimis prius sacrae confessionis et communionis armis se munivit atque vexillum Imperiale praetorianae cohortis rite benedictum de manu sacerdotis accepit.

ANNUS 1604.

### Viceprovincia Transylvanica.

**H**OC anno multi, inter quos foeminae aliquot nobiles, adultique adolescentes, virgines etiam nonnullae sub parentum Arianorum potestate constitutae, iuvantibus vel fratribus, vel aliis cognatis catholicis sacro lavacro sunt ablutae. Quod idem factum est cum pueris quibusdam, quorum parentes filios leprosos potius, quam mundos volebant habere.

Iam vero, ut ex templo in forum prodeamus, vix credi potest, quam saepe civitas ad Patres opem petitura et charitatis officia confugeret. Quotidie fere senatus ad Patrem Viceprovincialem certos ablegare homines illum unicum suarum calamitatum refugium appellare, patriaeque parentem amantissimum pro palam profiteri. Quod ipsum praestiterunt prolixe cives captivi maxime, qui et multi,

et praecipui erant, ipsi ad nostrum superiorem miserunt rogatum, ut eorum patrocinium susciperet apud Generalem.

Quod quidem Pater eo libentius se facturum promisit, quia pro certo habebat eorum nonnullos iniuste detineri, licet quidam magni criminis collegii scilicet destructi rei essent. Egit Pater cum Basta diligenter pro omnibus, multisque precibus obtinuit omnes, illum etiam, qui fratrem nostrum interfecerat:<sup>168</sup> cum enim facinus negare non posset (siquidem de eo saepius gloriatus fuerat) et propterea in extremo vitae periculo versaretur a Patribus tamen defensus fuit et a Generali impetratum, ne illi molestia ulla inferretur.

Eadem ac multo maior nostrorum fuit industria in amicis a periculo, quod ob prodigionis suspicionem adierant liberandis. Erant illi Gregorius Bornemisza,<sup>169</sup> Melchior Bogáthi, Stephanus Kendius, Sigismundus Sarmasagius; magni viri omnes, omnes Societatis nostrae studiosissimi, pro quibus Societas ita laboravit, ut non alienam, sed propriam causam agere videretur. Res tota, opitulante Deo, ex animi sententia cessit. Cum enim Basta natura clemens sit atque Societatis observandissimus, libentissime quicquid nostri, quibus cum quotidie agebat, illi dixissent, audiebat: et multa ab iis monitus sive charitate, sive iustitia postulante praestabat. Laboratum est etiam cum ultimo suppicio afficiendis. Iuvenis Lutheranus haeresi abiurata confessione expiatus, cum ad locum supplicii iret et magno animi sensu Deo se commendabat et summa pietatis significatione Christum in Cruce pendentem exosculabatur. Cuius aliam effigiem nactus, eam in sinum itineris comitem habiturus pie collocavit; illud in morte ipsius insolitum accidit, ut praeeunte sacerdote universa spectantium multitudo in ipso civitatis foro genibus humi fixis orationem Dominicam Angelicamque salutationem pro rei salute recitarit. Insolitum dixi, quia ministri haeretici eos, qui civili sententia plectendi sunt, Dei quoque sententia damnatos esse asserunt. Septem etiam Valachos Graeca fide imbutos, pridie sacerdos noster adiit, et, ut Romanae fidei adhaerentes, catholice morerentur persuasit.

Hoc item anno tanta rerum omnium penuria fuit tanquam frigoris acerbitas ad reliquas miserias accessit, ut tam acerbae hyemis ne senes quidem meminissent. Iam

pauperes passim fame et frigore confecti emoriebantur. Cum autem nostri omnibus succurrere non possent, ex omnibus suis pagis utriusque sexus orphanis aliisque ex locis undique collectis toto eo tempore, quo fames ursit, eos numero fere centum aluerunt, in alios pauperes distributis eleemosynis, prout vires ferebant. Familia interim in dies augebatur: quia in dies occurrabant pueri ab omnibus destituti, quibus omnibus alendis liberalitas Generalis eximia plurimum attulit adiumenti, cum in summa annonae caritate, tantum tritici collegio de suo attribuit, quantum Pater ipse Viceprovincialis censuisset.

Quanta porro rerum omnium penuria fuerit, breviter commemorabimus. Enimvero tantopere in plerosque desaeviit, ut foeminae lingere sanguinem seu potius putredinem mortuorum foetidorumque equorum et dentibus ipsis carnes sive natura, sive putrefactione teneriores avellere ipse non absque horrore conspexerim. Pueri autem et puellae, ut voraci fami facerent satis, more canum in eorundem cadaverum ventres sese abscondebant. Plerique propriis parentibus relictis sponte ad Tartaros configiebant, seque in miserrimam servitutem redigebant. Hinc conquerentibus Transylvanis apud Tartaros, quod cum eos tanquam fratres et amicos in auxilium vocassent, iam in captivitate suorum hostes experientur, illud responsum a Tartaris retulerunt: se coactos nullos, spontaneos omnes habere captivos. Enyedini (oppidum est) illud accidit mirum. Homo omni humanitate famis atrocitate spoliatus, propriam sororem in agrum duxit eamque (Cainum imitatus) mactavit et vel Caino peior carnibus eius coctis, immanem famem satiavit: quod reliquum fuit, tulit in forum et vendidit. Scelus inauditus emptores ex membris deprehendentes, reum detulerunt: qui captus statim confessus est et propterea in partes dissecitus in celebrioribus locis appensus fuit, testis certissimus tanti tamque scelerati fraticidii. Cui non absimile fuit illud, quod commisit voracissima quaedam in humana figura bellua. Cum enim in pago quodam esset homo, qui duos vel tres nepotes haberet, nihil autem suppeteret, quo vel propriam, vel parvulorum famem expleret, tandem ferina quadam crudelitate victus, ut ventrem impleret, nepotes unum post alterum mactatos voravit. Sed facinus non latuit. Itaque accusatus et captus tam diu vivus servabatur donec statue-

retur, quo supplicii genere afficiendum esset tam inauditum tamque execrandum parricidium.

Sigismundus Sarmasagius, vir nobilissimus omniq[ue] fide dignus, narravit se, cum iter faceret, puerum annos octo vel novem circiter natum in pago quodam deserto invenisse sedentem prope cadaver humanum, cuius caput, pedes et manus erant integrae, reliquum corpus exossatum erat et consumptum. Interrogatus puer, cuius caput illud fuisset «Matris, inquit, meae.» Rursus, quis eam devorasset? «Cum ipsa, inquit, fame consumpta obiisset, canes et ego voravimus eam, nam ipse quoque fame conficer.» Puerum nobilis domum suam deduxit optimeque tractavit et tamen vix per aliquot menses figuram aliquam humanam recepit. Denigrata enim erat super carbones facies eius atque ita oculis et reliquo aspectu deformis factus, ut phantasma potius, quam verum corpus videretur. Res eo devenerat, ut si quando latro vel reus aliquis alicubi suspenderetur, vultures praevenirentur a pauperibus, qui cadaver depositum interque se quasi praedam aliquam divisum avidissime devorabant. Canes et equi in summis deliciis erant. Milites ipsos vidimus aliquando, sese, ut aliquid raperent, manifestissimo vitae periculo exposuisse.<sup>170</sup> Quin etiam belluas ipsas in homines haec fames efferavit. Etenim cum Claudiopoli ante portam civitatis casas quasdam sibi pauperes aedificassent, saepius noctu venerunt lupi, qui filios ex ipso parentum sinu rapuerunt et vorarunt, iporumque virorum facies carnibus ibidem a lupis avulsis vidimus depravatas. In pago nostro Monostoriensi domos ingressi sunt et ex lecto, ubi cum parentibus dormiebant, pueros abstulerunt.

Intra civitatis Mediensis moenia inventus est lupus, qui per loca quaedam diruta civitatem ingressus, victimum quaerebat.<sup>171</sup> Quibus igitur cumque fame pressis licuit subvenimus, ordine charitatis observato.

Sed iam a charitatis ad litterarum studia transeamus. Tres ab initio classes apertae. Studiosi sexaginta circiter supra ducentos numerati. Pauci quidem, si numerus spectetur, multi vero, si civitatis et provinciae variis cladibus afflictae ratio habeatur. Magistri autem, etsi litterariis exercitationibus instabant, praecipua tamen eorum cura in eo posita erat, ut pueri primis christianaे religionis rudimentis ritu

catholico imbuerentur. Illi ergo sacris devoti interesse iisque certatim ministrare, salutare, crucis signum crebrius efformare, inter surgendum orare, vesperi orationes repetere, mensae ipso crucis signo, alioqui parentibus inviso benedicere, sacras Christi ac divorum imagines diligenter conquirere et magno sibi invicem pretio divendere, aliaque quampluria pietatis argumenta pro palam quoque prae se ferre illis, ut usitatissimum, ita iucundissimum erat. Et cum in templo altare construeretur, tanta aedificandorum altarium in puerorum animis excitata est cupiditas, ut ille beatior videretur, qui pulchrius erigere posset. Neque hoc solum minores, sed natu grandiores etiam factitabant, si qui vesperi vel in meridie, dum salutationis Angelicae signum dabatur, in plateis fuissent genibus flexis gloriosissimam Virginem de more salutabant, inspectantibus scilicet et irridentibus Arianis. Cum aliquando inter condiscipulos contubernales sermo de rebus catechisticis illis nuper a praceptor explicatis fieret, catholici iuvenem quendam Arianum acriter oppugnatum non ratione duce, sed obstinatione perditionis viam terere ostenderunt: ille, ut ab hac se molestia liberaret aliorumque ora clavo, ut aiunt, trabali obstrueret, conversus ad alium eiusdem farinae socium, eidem manum porrexit et mutua fide — inquit — invicem obligemur nunquam fore, ut nostrum ullus catholicam religionem amplectatur. Dilapsis paulo post ad sua singulis advertit ille cubiculi sui caminum ignem concepisse. Quare cum et alios, ut auxilio essent monuisset et ipse accepto vase superiorem domus partem concendisset, ut inde erumpenteflammam aqua inecta compesceret, dum incautius ambulat, fallente pede ex altissimo pariete in terram praeceps ruit sopitisque omnibus sensibus a sociis ad cubiculum defertur, ubi et anno aetatis suae circiter vigesimo adeo misere exspiravit, ut nec implorandae divinae misericordiae potestas ulla ei facta fuerit. Sociorum nullus fuit, qui miserandum hunc casum divinae iustitiae non attribuerit. Ariana enim mania percitus et contra ecclesiasticam legem cibos vetitos illa ipsa die voraverat et pertinaci errore probe factum asserere conatus fuerat. Ille vero, qui ad perfidam obdurationis impietatem fuerat invitatus, ita animo consternatus est, ut non ante quiescere potuerit, quam catholica religione suscepit et Arianismi sordes

sacra confessione eluerit: eam nimirum manifestam Dei punitionem fuisse cognovit.

In autumno huius anni (sic Deo propter peccata nostra permittente) novae turbae in regno excitatae, novis quoque Societas nostra agitari coepita procellis. Nam cum in Hungaria calamitosae illae defectiones, insurrectiones, persecutio-nes hominumque trucidationes accidissent, rumor ubique sparsus est ea omnia propter religionem fieri et catholicos sacerdotes usque ad unum tam in Hungaria, quam in Transylvania gladio sublatum iri ita, ut iam triumphum canerent haeretici bellumque catholicis indicerent atrocissimum.

Sub initium harum calamitatibus Claudiopoli mortuus est P. Samuel Bányai, qui ineunte anno in provinciam venerat et operam suam optime collocarat. Non solum enim in Marthae ministeriis obeundis sollicitus erat, sed etiam in audiendis confessionibus animisque ad pietatem promovendis miram dexteritatem habebat: nec vero inter concionatores ultimum locum tenebat. Obiit die 8. Octobris 1604. Sed pergamus in instituto.

In his tumultibus tota civitas Claudiopolitana, quae antea Societatem tanta, ut dictum est, observantia prosequebatur, coepit alio idiomate loqui et mala omnia minitari, ita, ut non deessent amici, qui Patres, ut rebus suis tempore prospicerent, serio monerent. Aiebant enim Claudiopolitanos nihilo meliores factos, quid in posterum facturi essent antea ostendisse. Neque vero deerant nobiles, qui nostros ad suas arces invitarent operamque suam in omnibus offerrent. Sed socii ultima expectanda rati suis muniis constanter insistendo, multa terriculamenta solo contemptu vana reddiderunt: quantumvis res semper in deterius ruerent (unde et ipsimet duo Caesarei commissarii Carolus Im Hoff Germanus et Georgius Hoffmannus Hungarus, qui in Transylvania reliqui erant maioris securitatis gratia, Claudiopoli Cibinium cum cancellariae secretario sese re-cepérant) et iam quo civitas inclinaret manifestius appereret.

Missi e nostris tres ad arcem Gerendiensem, ut ibi apud Sigismundum Sarmasagium, magnum Societatis amicum, tuti manerent. Unus fuit sacerdos, alter magister aegrotus, tertius coadiutor. Hi otiosi non fuerunt: nam et domini familiam, et pagum concionibus et familiaribus colloquiis in spiritualibus iuverunt. Et cum alias ibi nidum

CLAVDIOPOLIS  
COLOSWAR vel CLAVSENBURG  
*Transilvaniae ciuitas primaria.*



Serentis, Ferdinand, Achimius, Andrius,  
Straz, Carnitius, Carolus, Etz, "Dives  
Belor, Egidius, Iudor, Ion, Petrus, praeponens  
genomus, Georg, Haynaldius, Andrius,

Vinzenz, Albertus, Transilvania, Cuius  
viro, vino, vire, vire, vire, vire, vire, vire,

habuisset Arianismus, ut Christus, quod suum erat, recuperaret, effecerunt. Fere enim omnes sunt conversi et magister brevi optime convaluit. Domus vero nostrae liberalitate, tres in cancellaria Caesareana scripturam facientes iuvenes cum famulo menses amplius octo adiuti sunt. Vestibus quoque Hungarico more instructi sunt, ne de vita vel in ipsa civitate periclitarentur. Passim namque tota provincia Germanus ad caedem quaerebatur. Coelesti hanc munificentiam nostram Numini gratam extitisse illud argumento est, quod in summa annonae caritate Societati nihil unquam defuerit domi. Armenta enim boum cum Bocskaiani tota provincia impune vagantes, omniaque diripientes abducerent, nostris vel maximas struebant insidias at Deo nos nostrosque protegente, nihil minus incommordorum, quam nobis inferre potuerunt.

Interim exeunte anno Claudiopoli in domo quadam privata conciones Ariani habere coeperunt. Verum cum civis ille (erat iudex regius) qui id curaverat in senatu vehementius obiurgaretur,<sup>172</sup> quod privata authoritate rem maximi momenti aggredi ausus fuisset, ut ab incoepio desisteret illi iniunctum fuit. Aliam tamen communis impellendi desiderii rationem inierunt. Nam cum a Bocskai de ditione sollicitarentur ipsius litteras, in quibus omnem illis libertatem promittebat, Cibinium ad Caesareos commissarios per legatos suos miserunt et per eosdem, ut sibi Arianos concionatores habere liceret, nervos omnes contenderunt. Annuerunt commissarii necessitati cedendum rati et vero in suo ad oblatum supplicem libellum rescripto haec verba addiderunt: Ita tamen, ut Patres Societatis Jesu in negotio templi et exercitio sui ministerii nullo modo impediантur.

### Collegium Albense.

**A**D UNICUM illum sacerdotem accessit secundus. Is fuit P. Michael Alárdi<sup>173</sup> sub exordium anni in Fogaras missus. Est vero Fogaras arx cum oppido, qua hoc tempore provincia forte nec meliorem habet, neque munitiorem. Fuerat inibi aliquot annis ante catholica religio postliminio restituta, Balthasaris Bathorei, nepotis regis Stephani opera, atque a Ser<sup>ma</sup> Maria Christierna conservata eo tempore, quo ipsa Sigismundo principi despensata, illum locum

possedit, eiusque templum sacra supellectili aliisque pretiosis ornamentis instruxit. Huc itaque profectus Pater, ut parochi paulo ante demortui vices obiret, laboris sui haud exiguum fructum retulit: siquidem nonnullos ecclesiae reconciliavit, generaliter confitentes audivit et populum illum concionibus religiosaeque vitae exemplo, in pietate confirmavit. Post bimestre vero spatium, parocho iam novo praesente, Claudiopolim rediit. Hinc Albam mense Martio missus est, ut zelo suo rem catholicam promoveret, quod cum praestare coepisset, casus accidit illi miserabilis: cum enim inter duos praecipuos magnates, Hungarum unum, Germanum alterum, gravem ortam esse simultatem intellexisset timeretque ne deinde scandalum aliquod magnum sequeretur, voluit ipse, qui apud utrumque amicitia et auctoritate plurimum valebat, huic nascenti malo occurtere. Post Pascha igitur, ut illorum alterum, qui Hungarico milliari in arce quadam distabat, conveniret, magistrum scholae iuvenem optimum secum duxit. Transito Marusii ponte, faciebant iter per sylvulam quandam, quae olim vivarium ferarum principum fuit, nunc latronum receptaculum est; ibi observati sunt nonnulli, nomine quidem milites, re autem praedones, qui illos insequebantur. Ab eo autem tempore nusquam Pater aut socius comparuit. Existimant propter equos et spem forte alicuius pecuniae fuisse in flumine suffocatos, simul et sepultos, neque enim ullum eorum vestigium reperiri unquam potuit.

Casus iste acerbus valde Societati fuit, quia neque erat, qui locum ipsius commode suppleret, et ipse ob praeclera talenta, aetatem, vires, linguarum varietatem (nam praeter Hungaricam et Germanicam, quos veluti maternas tenebat, Graecae non ignarus, Italicam, Polonicam et Latinam optime callebat) et singulares virtutes, Societati in animarum salute procuranda poterat quam optime deservire. Mortuus est die 22. Aprilis anni 1604.

Alter tamen eius loco sacerdos, magistri quoque loco suffectus est iuvenis alter, qui tota aestate in nostris ministeriis laborarunt. In autumno novae turbae excitatae fecerunt, ut unus tantum e nostris magister Albae maneret et cum parocho Albensi ita labores divideret, ut hic sacra ministraret, ille vero (quod cum summa laude et aedificatione fecit) conciones haberet.

### Missio Cassoviensis.

**P**OSTQUAM Sacra Caesarea Maiestas a Cassoviensibus haereticis templum parochiale nobilissimum recepit, quod ab annis amplius quinquaginta profanaverant, voluit per Ser<sup>mum</sup> Matthiam archiducem mandare litteris R. P. Provinciali, ut quamprimum ad salutem civitatis illius procurandam, concionatores e Societate Germanos et Hungaros eo mitteret. Directum est illud mandatum ad Ill<sup>mum</sup> comitem Iacobum Barbianum Belgiosam, Suae Maiestatis per Hungariam Superiorem Generalem, ut R. P. Provinciali e Transylvania redeunti, qui ad visitandos illuc socios profectus erat, offerret. Ergo 21. Februarii anni 1604. vix in civitatem ingressum R. P. Provinciale ad se Generalis accersit: aperit et Suae Maiestatis, et Ser<sup>mi</sup> archiducis voluntatem, tradit illorum in scriptis imperium, suo etiam nomine maiorem in modum obsecrat, ut primo quoque tempore sociis cathedrae provideat,<sup>174</sup> et quos alio fine secum e Transylvania eduxerat, ibi relinquat: curaturum se illis omnia, quae ad victum et amictum necessaria forent: parochialem domum satis amplam pro hospitio illis daturum; effecturum denique, ut brevi etiam scholas cum collegio habeamus. Capitulum quoque Agriense, quod ibi residentiam habuit, ubi cognovisset et Suae Maiestatis voluntatem, et nostrorum adventum, tres ex suis ad nostros salutandos misit, rogavitque, ut noster qui aderat concionator statim sequenti die Sacra ad populum e loco superiori verba faceret.<sup>175</sup> Non potuit R. P. Provincialis aliud facere, quam imperio Caesareo et tot bonorum virorum precibus obsecundare. Quare relictis ibi duobus, quos e Transylvania secum eduxerat, tertium quoque Germanicum concionatorem post aliquot hebdomadas misit, duosque magistros ex dispensatione Admodum R. P. Nostri Generalis, qui iuventutem erudirent, cuius magnus brevi numerus sperabatur. Superior primus missionis fuit P. Petrus Maiorius, vir antiquae probitatis, qui ex quadraginta novem annis in Societate magna sanctitatis opinione transactis, quindecim Rheticam, Philosophiam, Theologiam docuit: viginti sociis partim in Gallia, partim in Transylvania nostris praefuit.<sup>176</sup> Praemium labo-

rum accepit, ut speramus, 3. Aprilis, quo insigni patientiae et religiosae pietatis exemplo vitam mortalem in immortalē commutavit.

Nacti nostri bene gerendi opportunitatem strenue laborarunt, qua concione in templo, qua consuetudine in hospitio, ut omnibus prodissent, omnes ad meliora promoverent. Per aliquot menses frequentes de moribus et avita religione disserentes audiverunt. Haeresim abiecerunt 34, inter quos unus magnae nobilitatis capitaneus cum uxore, alter burgravius Suae Maiestatis Cassoviae, cum universa prope familia.\* Catholici saepius exomologesi facta (quod semel in anno duntaxat fieri solitum erat) pane coelesti refecti. Ter multis praesentibus arbitris, diversis in curiis nobilium extra urbem cum haereticis concionatoribus in arenam descensum, et quidem adeo felici successu, ut etiam a suis impii doctores cachinnis exciperentur. Acciderunt aliqua non sine miraculo. Puella Turcica duodennis ad mortem decumbebat amissa iam loquendi facultatem, ad quam unus ex sociis vocatus, ut illam sacro fonte ablueret (id quod ante sospes petiverat) subitoque facta Christiana, et officium linguae recepit, et tertio post die valetudinem integrum. Famulus primarii viri non ita pridem ex Lutherano facti catholici, cum in morbum lethalem incidisset, multis precibus ursit Dominum, ut eundem sacerdotem ad se vocari curaret, quo totius actae vitae delicta Deo coram illo detegeret, coelestique pabulo reficeretur. Vix dicta sacramenta perceperat, cum meliuscule habere coepit, paucos vero post dies sanus fide et animo, corpore etiam convaluit.

Paganus quidam alias Lutheranus ob ignorantiam (sacerdotes enim catholicos tractus ille habent paucissimos Hungaros, Germanos nullos) filium octodecim circiter annorum ad nostros detulit, ut mente turbato suppetias ferrent. Datum illi salubre consilium cum agno cereo benedicto, intra paucos dies adolescens rationi restituitur. Pro gratis Deo agendis interfuit uterque postea, praesente multo populo, sacro missae officio multis cereis accensis, tanta aedificatione, ut aliqui in haec verba eruperent: Si verbis nolunt, credant operibus.

---

\* A tergo alia manu: Unus ad tyrocinium Societatis missus.

Hoc felici cursu res catholica Cassoviensis progrediebatur, cum daemon facibus invidiae succensus rem omnem invertit, maxime quod videret intra paucos dies ludum litterarium aperiendum, in quo tenera aetas cum liberalibus disciplinis religione quoque catholica imbuenda foret: frequentari viris nobilibus aedes nostras, qui propensum in nos studium multis argumentis ostenderent, promitterentque brevi futurum, ut florentissimam iuventutem in scholis haberemus. Quare per quosdam cives Cassovienses rem interturbare aggressus est, quos eo non invitatos perpulit, ut mille cives suos artibus a templo deterrerent, averterent a consuetudine nostrorum. Nec intra parietes solum hominum nefariorum furor sese continuit, sed etiam consiliis nobilium privatis sese immiscuerunt.\* Quare indignabundi fremebant haeretici et solam expectabant opportunitatem, qua et religionem excinderent catholicam, et de III<sup>mo</sup> Generali sese ulciscerentur, quam singularem et Societatis, et religionis orthodoxae propugnatorem promotoremque animadvertebant. Cassoviensium improbitas hunc ad extremum effectum habuit, ut III<sup>mus</sup> Generalis facilius in castris proderetur, ab Haidonibus<sup>177</sup> usque rebellibus Germanici pars exercitus crudelissime mactaretur.

Cum alia, quae supererat militum parte, ante perduelles Bocskaianos Cassoviam, ubi residentiam habebat, III<sup>mus</sup> Generalis intrare volebat 26. Octobris; sed conspiratione et a Sua Maiestate defectione in apertum erumpente, archiproditores Cassovienses nec portas aperire voluerunt, nec uxorem illius aut vicegeneralem ad colloquium emittere. Hoc infami patrato scelere, quasi iam de religione sacrosancta triumphassent, ad primam facem quamplurimorum catholicorum et nostrorum imprimis fenestras lapidibus petere convicia iacere, de omnium interitu capere

---

\* Sequentia verba hic manu coaeva modo quasi illegibili alio attrahimento sublata sunt: Nec intra parietes solum praetoris nefarii furor sese continuit, cum tamen e nostris scholis ante annos nescio quo poëta laureatus prodiisset; sed etiam consiliis nobilium privatis interesset, rogavit maiorem in modum omnes et singulos, per Deos et Deos obtestari, ut civitati Cassoviensi concionatoribus templo Evangelio spoliato manus auxilio ...ces(?) surrigerent, excuterent inde in totam provinciam serpentem Romani Antichristi tyrannidem contra iura libertatemque regni a Caesare templum ablatum, concionatores in exilium amandatos ni mature providerent et causam religionis susciperent, idem ipsis brevi, quod Cassoviensibus acciderat, eveneturum. His turbulentis et ad seditionem accommodatis obtestationibus consiliisque indignabundi fremebant haeretici.

consilia. Videbant quidem nostri quo res brevi esset evasura, sed tamen oratione ad Deum fusa concluserunt, ut omnes quatuor pro Deo, pro Ecclesia, pro Societatis honore vitam profundant potius, quam discedant. Ablatis tamen civitatis clavibus e manibus Caesarei vicegeneralis, occupatisque a perduellibus civitatis portis: ne quando imprudentiae temeritatisque nostri accusari possint, mane sacris operati vicegeneralem adeunt, ex illoque pro privata necessitudine sciscitantur, an etiam illo die mens eadem esset senatus quam pridie, velitque ipsos in manus Haidonum tradere, si foras petantur, an vero protegere? Modo enim civitas patrocinium ipsorum susciperet, nihil curaturos vim externam, libenterque cum civitate capita periculis obiecturos, quam diu Maiestati Caesareae fidelitas servaretur. Vicegeneralis respondit breviter, deliberatum esse civibus, ut ad primam petitionem ipsos hostibus tradant imperatoris, immo Suae M<sup>ts</sup> officiales una cum praesidio in extremo versari discrimine. Proinde suadere se, ut discedant: hesterna die fortiter se illorum causam egisse, et etiam hac laboraturum, ut pacifice dimittantur. Cum vero nostri dicerent se neque currum, neque equos habere, tamque foris periculum futurum abeuntibus, quantum in civitate remanentibus promittit se non cessaturum, donec a iudice Eperjesinum usque (civitas est quarto a Cassovia milliario) currum et equos impetraret. Quare Patres, cum iam omne Cassoviensium consilium haberent exploratum, rogarentur insuper et urgerentur ab amicis, ut furori cederent, seseque ad meliora tempora servarent: mutare deliberationem hesternam sunt coacti, et ad abeundum se componere, ne Deum tentare viderentur. Praestitit vicegeneralis fideliter, quod promiserat, currum et equos impetravit ea conditione, ut intra duas horas ad egrediendum e civitate parati essent, nam postea nemini portas aperiendas, adesseque dicebant cum uxore Generalis abeundi commoditatem, cui, ut maritum sequeretur, datura esset civitas comites aliquot. Die 27. igitur Octobris omni populo armato et ad plateas effuso deducti sunt Patres ad portas civitatis, ubi tamdiu subsistere iussi, donec templi rerumque sacrarum claves adimerentur R<sup>mo</sup> Quinqueecclesiensi.<sup>178</sup> Dum inter armatos operiuntur egressum, alii ipsos irridere, alii prudentiores et futura animo praevidentes blande allo-

qui et valedicere; aliqui vociferari, ut claves aedis sacrae tradi iuberent. Quibus alter e Patribus respondit se nec adfuisse quando templum catholicis restitutum est,<sup>179</sup> nec praelatum esse, qui clavium illius vel curam haberet, vel tradere posset; alter subiicit se non vissurum, ut tradantur, et si haberet, mortem citius oppetiturum, quam ipsi eriperentur. Aderat horum spectator et auditor iudex, e quo insidens et superbia laetitiaque vix non crepans, cui talia nostrorum superior post salutationem, «Domine iudex scire debes me sociosque meos non nostra voluntate ductos Cassoviam venisse, sed mandato Sacrae Caesareae Maiestatis et Ser<sup>mi</sup> archiducis Matthiae, superiorum nostrorum; neque vero vel me, vel socium concionatorem poenitet pudetve, quae pro concione docuimus, quam diu apud vos commorandi facultas fuit, et parati sumus, quando divino numini visum fuerit pro fide Romana mortem occumbere. Dolemus nos maiores fructus, uti volebamus, apud vos facere non potuisse, et vero etiam libenter laborabimus manebimusque. Si iudicaveritis nostram praesentiam e re civitatis futuram, modo nos scire facias, an in manus Haidonum nos tradere non velis; quoniam, ut alias diximus, subibimus omnia libenter quaecumque contingere nobis in civitate poterunt.» Ad haec iudex primo: Fortassis trademus vos; paulo post vero absolute: «Traderemus». Subiunxit Superior: «Ne igitur in maiorem Suae Maiestatis indignationem incurratis propter nos, quos huc misit, in manus hostium traditos, ut promisistis, bona venia nos dimittatis.» Risit iudex et se orationibus nostrorum commendavit, ultimoque dixit, abirent modo futuros se Maiestati Suae fideles; nam et huius rei Pater mentionem fecerat.

Clavibus interea templi vi ademptis, portaque civitatis reserata catholicae matronae copiosis lachrymis nostris bene praecatae, viri vero ad currum accurrentes manus et ipsi flentes exosculati spectantibus haereticis. Egressi tamen non ad certam morem (nam in ipsa porta dicebatur ducentos Haidones iter praeveruisse) post duo miliaria ad lunam invaduntur a tergo ab Haidonibus et rusticis magno clamore crebroque bombardarum fragore: expediti desiliunt omnes e curribus viri et foeminae; abundat se in dumetis et hortis. Comitibus fuga dilapsis currus nostrorum quidem evadit, sed uxoris Generalis diripitur.

Postquam clamor cistas diffingentium et praedam diripientium conquievit, latronesque cum praeda discessisse iudicati, e Patribus unus prodiit e dumeto viae proximo et reperto quodam Vallonum capitaneo progressi sunt ad currum direptum, quam praedones non avexerant, et clamarunt, ut aliqui ex comitibus a fuga reverterentur, et uxorem Generalis quaererent. Vix sex vel septem retracti quibuscum ad eundem pagum redierunt, unde paulo ante invasi erant, nullo virorum domi reperto; quorum agnito familiari clamore diversis e locis prodiit uxor Ill<sup>mi</sup> Generalis cum mulieribus, quibuscum ad tertium usque pagum amicum evaserunt. Salvus ille noster dum propter absentiam socrorum moestus ad focum sedet, ecce socrorum unus sacerdos se iniiciit in domum, ante illum ipsum pagum, in quo fuga dilapsi sese collegerant, usque ad subuculam vestibus praecariis globulis et libris spoliatus. Hic Pater ante commune periculum remanserit ob sitim in pago, quod illi saluti fuit. Sed cum se tutum putaret, spoliatus, ut dixi, et nisi linguae peritus fuisset Hungaricae, in ipso vado vitam amisisset: nam strictis gladiis, an hostis et Germanus esset, identidem quaeritabant, quod negavit; et an Papista, quod confessus est; sed ut vitae parcerent, memores fidei christiana, rogavit, et non sine manifesto miraculo obtinuit. Superior missionis adhuc cum fratre magistro aberat eo maiori periculo, quod neuter linguam Hungaricam vel Sclavonicam teneret. Mane sequenti dum vinguntur equi vix spiritum trahens et luto usque ad umbilicum infectus festinat ad illos etiam Pater Superior, quaesitus ea nocte in luto haerens ab hostibus aliquoties, a quibus vix uno vel altero passu distabat, nec tamen inventus. Singularis plane Dei providentia in illo conservando enituit. Fugiebat hostem una cum fratre, quem fratrem cum in sepibus, quas transilire tentarat, haerentem expedire vellet; parum absfuit, quin medius hostili gladio divideretur. Socio liberato traiicit et ipse, verum ab inseguente milite vix non proteritur, ita ut priores equi pedes galerum ipsius tangerent. Videns vero hinc inde circumcursantes hostes nec amplius, anhelitu deficiente, fugere valens, rogavit obnixe Deum, ut vel horae quadrantem concederet, quoad bene moriendum sese compararet, et simul rarum, illudque parvum dumetum subin-

travit, vix quatuor vel quinque passus habens, ubi positis humi genibus iterum affectu magno supplex Deo fuit, ut parumper oculi quaerentium sicariorum perstringerentur (nam eo loci erat, ut vel pomum tanto studio quaesitum inveniri posset) quod et admirabili Dei clementia factum; omnes conscientiae latebras diligenter excutit, veniam praedictorum obnixe petit. Subsecuti latrones per medium dumeti semitam, quam transversim pedes Patris intersecaabant, transire volebant, sed subito quasi terrore perculti vix duobus ab illo passibus ad dextram flectunt. Revertuntur iterum iterumque et semper frustrantur. Erectus aperto miraculo Pater vota divinae Maiestati concipit et nuncupat, fideliter impleturus (si superiores approbarint) si divina bonitas ipsum tanto periculo exemerit. Latrones quaerendo fatigati et ob praedam, quam in manibus haberent amissam frementes cingunt totum dumetum, et ad quietem se conponunt, ita tamen, ut suos haberent vigiles; sed et hi ipsi paulopost somno se dedunt. Pater interea Divae Christi parenti, SS. Apostolis Simonis et Iudae, quorum pervigilia haec fiebant, Patribus Ignatio et Xaverio sese commendat, tantamque mutationem extemplo sentit, ut non minorem spiritus consolationem experiretur, quam paulo ante praesentis mortis horrorem. Continet tamen fortiorum halitum ne adeo vicinis prodatur excubitoribus, ut etiam respirantes illos sentiret, fruiturque spiritus dulcedine quoad potest, et ultimo ad fortiter occumbendum animum obfirmat. Cum diutius et tussim et spiritum continere non posset, quibuscum ad duas fere horas luctatus fuerat, tempus adesse ratus, ut imperterritus hostibus se videndum offerat, ad ictus certius excipiendos mortemque citius obeundam, vestem in pectore diducit, ad humeros collare reflectit et aliquoties signo se venerandae crucis muniens absque ullo timore in aperatum egreditur, inclamat dormientes, ut evigilent, adesse et coram illis stare, quam tanto labore quaesivissent. Quis hic non miretur incredibilem Dei Optimi Maximi clementem providentiam? Quis non in depositis rebus in illo spem collocet suam? Erigunt aliqui se quasi mente capti, et barbarum nescio, quid murmurantes, rursus afflicti solo, letargo praemuntur. Tunc Pater plenus animi factus openque Dei praesentem agnoscens progredi vult quidem, sed

quo, in piscinulam nebula tectam incidens, ignarus viarum nescit. Quamobrem ad solita confugit praesidia, praemissa oratione, ad singulas quatuor mundi plagas singula crucis signa formare constituit, sed clausis oculis, ut quo caderet ultima, eo se in viam daret. Apertis oculis progressus aliquantis per deceptusque locorum similitudine existimavit se Cassoviam regredi multum exhilaratus statimque illud mentem subiit Deum velle, ut quae Cassovia digrediens tacuerat, redux animo constanti etiam certo vitae discri mine, palam ediceret. Sed, ut dixi, viarum solitudine deceptus, breviario, coronaque Beatae Virginis insignis in duos eos latrones incidit, qui paulo ante unum e sociis spoliaverant; hos interrogat, an via illa Cassoviam ducat? Illi in primis torvum nitueri, deinde collatis capitibus mussare, ad necem signum dare. Sed quem Deus eripere vult, quis illum laedere queat? Relinquitur intactus signum illis crucis obiiciens; dicitur illi diversam esse viam, qua progreditur a Cassoviensi. Vix tandem, ut supra dicebam, per multas difficultates et incredibilia pericula ad pagum pervenit, ubi duo defuncti periculis constiterant.

Non comparente ad summam lucem fratre, discesserunt nostri cum uxore III<sup>mi</sup> Generalis Eperjesinum versus, quo tandem tamen, magno nostro gaudio, pervenit et ipse incolumis, et circa meridiem in urbem ingressi, ad Suae Maiestatis officialem, solum in illa civitate catholicum diverterunt, qui quatriduo post ab haereticis misere peremptus est. Toto reliquo die nocteque solliciti, an cum uxore Generalis Scepusium versus proficiserentur, an vero deflecterent in Poloniam. Omnibus diligenter expensis tutius iudicatum, ut reicta domina, quam Haidones continuatis itineribus sequebantur et in Braniczka monte infami plurimi latrones latitarent, in Poloniam irent. Adiuti ab ipsismet Eperjesiensibus haereticis equis et curru 29. Octobris ad Bartfensis civitatis suburbia; nam in civitatem, quae defec tionem a Caesare meditabatur, intromissi non sunt. Rogaverunt illo adhuc vespere iudicem, ut Cassovienses et Eperjesienses secutus et ipse ad fines usque Poloniae curru et equis ipsos adiuvaret. Valuere preces; ultra petita adiunxit aliquot comites, qui viarum obsessoribus sese opponerent, id est, lupi oves contra lupos tuerentur. Animadversa et in hoc Dei providentia. Diffisi paucitati comi-

tum, pro maiori securitate 20 praeterea circiter Ruthenos conducunt, quos si non habuissent, ille sine dubio peregrinationis ipsorum terminus fuisse. Ruthenici praedones in finibus Hungariae et Poloniae augustissimas vias saepibus obstruxerant, existimantes illac reliquias Germanorum profligatorum fugituras. Ut primum ad insidias illas pervenerunt ex omnibus latebris innumera sese vis latronum effundit bombardis, hastis, securibus armata, ut ipsos spoliarent. Nostrorum contra propugnatores saepes disiicere, ferreis glandibus et parmis minitari, nisi Patres pacifice transire permetterent: illos non esse Germanos, sed viros probos et pacificos dicere. Viderent etiam atque etiam quid facerent, cum enim noscerentur (nominabant aliquos ex illis) non evasuros si innocentes molestarent. Per medium igitur circiter miliare inter Ruthenos iter fecere, non agnoscentes qui amici, qui inimici essent. Ubi primum Poloniae pagum attigerunt, licet etiam Ruthenicum, respirarunt. Pervenerunt Cracoviam 3. Novembris, Olomucium 13. eiusdem, ubi R. Patris Provincialis resolutionem expectarunt.

Hunc habuit missio Cassoviensis exitum.

### Missio Liszkana.

CUM Ill<sup>mus</sup> ac R<sup>mus</sup> archiepiscopus Colocensis, idemque Sacrae Caesareae Maiestatis in Hungaria, ut vulgo appellant, Locumtenens, diu multumque versaret animo, qua ratione Liszka,<sup>180</sup> oppidum ad Scepusiensem praeposituram spectans, ab haeresi Calviniana, a qua priusquam discederent, mortem opportituros potius aut certe civitate omnes ad unum excessuros, iactare consueverant oppidani, perpurgari posset: impetravit tandem a R. P. Provinciali die 16. Septembris ex missione Sóvariensi sacerdotem, cui socium adiunxit unum e Collegio Canonicorum Scepusiensium, qui parochialia obiret munia, simulque modum ac rationem addisceret palantes oviculas ad Christi ovile reducendi. Praemissus hic triduo ante in oppidum cum officiali et procuratore eiusdem oppidi, ut paroeciale domum rebus ad inhabitandum necessariis instrueret; turbata omnia reperit, ministro Calviniano tumultum populi concitante. Quae res in causa fuit, ut Illustris Dominus Ladislaus Petheő, qui tunc oppido pro Ill<sup>mo</sup> fratre, cum

potestate praerat, necesse habuerit, non absque armata manu, sacerdotem nostrum eo secum adducere, convocatoque populo, suscepti pro communi omnium salute consilii rationem publice reddere. Cuius oratione, verbis gravi, rationibusque perquam efficaci, ita fracti oppidanorum animi, ut coniurationis inter se initae, ac die Sabbati praeterito etiam sacramento, teste et authore Calvinianae sectae ministro, in templo confirmatae, oblii, futuram paulo post concionem pacatis saltem animis praestolarentur; maxime quod denunciatum illis esset, nullius conscientiam coactum iri, si quid contra Deum, vel a fide alienum audivissent; finito sermone, integrum unicuique fore, cum concionatore de eo libere conferre. Mulier tamen extitit genere nobilis, quae publico foro in has voces erumpere auderet, Deoque gratias agere, quod maritus suus domi non esset, ne concioni papisticae interesse cogeretur. «Ego vero, inquit, domum redibo, morbumque simulabo, neque concionatorum hunc idololatram audiam.» Ivit, lectum petiit, ac paulo post aeris campani signum, quod pro concione dabatur, exaudiens: «Utinam, ait, huiusmodi sonus ad meas aures nunquam perveniat deinceps!» Vix haec protulerat, cum horribili voce, *Morior, morior* exclamat, accitate sorore testamentum condere voluit, sed aegre tria verba quatuorve prolocuta, infelicem animam exhalavit. Emanavit repente hic rumor, tantusque timor plerosque invasit, ut alia vi opus non fuerit, qua obstinatores cogarentur ad concionem. Hanc vero tanta mutatio populi et animorum perturbatorum tranquillitas subsecuta, ut omnes una voce protestarentur, satisfactum sibi esse, modo, ut coepit, ita pergeret: putida mendacia esse, quae de catholiconum idololatria (nam hoc argumentum concionator attigerat) a suis praedicantibus accepissent. Unus e praecipuis erat oppidi senatoribus, qui cum ad Ill<sup>mum</sup> Locumtenentem, in causa religionis legatus a suis mitteretur, ne sacerdotem nostrum, casu ita ferente, praeterire ac salutare cogeretur: arrepto ex tempore consilio, in domum proximam, quasi negotium aliquod acturus, praepropere se coniecit, ibique delituit, quoad praeterisset noster: qui rem animadvertisens «Hic homo (ad socium inquit) quicumque sit, aqua indiget lustrali.» Verum hic ipse, ab Ill<sup>mo</sup> Locumtenente postero die reversus, concionem audivit, auditam tantopere pro-

bavit, ut nullam deinceps audiendi occasionem intermisserit, coramque senatu protestatus fuerit, impostores esse praedicantes. Iam non solum oppidani, sed et vicinorum pagorum incolae ad fidem catholicam amplectendam, profitendamque palam inclinabant: cum ecce Bocskai, sathanico plane consilio, eodem tempore adversus Deum, religionem, Caesarem, patriam, bellum ex improviso movet; seipsum Turcis ac Tartaris, Christiani nominis hostibus, infausto omne devovens. Cum essent periculorum plena omnia, suasere nonnulli, qui erga nostrum fideliori fuerunt animo, cederet ad tempus Haidonum furori, quorum ex numero aliqui iam in oppido conspiciebantur, certam ad necem sacerdotes omnes conquisituri. Ille igitur, ut primum supellectilem, quam habebat, in tuto collocaret, Tokainum, uno ab oppido miliari dissitum, secundo flumine proficiscitur. Sed nauta, quod postea patuit, corruptus a malevolis, navigium de industria ducit in eum locum, ubi multi mortales perierant; nec admonitus vitare periculum voluit, bono Patrem animo esse iubens. Interea Patre iam nihil mali suspicante, neque a prora (sedebat enim in prora) quid alter in puppi ageret, conspiciente, praecipitem se ipsum, ut nando evaderet, in profluentem dare parans, in certum vitae discrimen Patrem conieciisset, nisi ille, Deo ita disponente, manu ramum ex ingenti arbore propenden-tem forte fortuna apprehendisset, atque ita conatum perfidi (ut ipsemet cuidam Patris familiari fassus est) hominis eluisset. Verum cum nec Tokaini quidnam tuti reperisset, mox ad suos revertitur. Ubi diem tantum unum commoratus, quod iam caedes passim miscerentur, impetrato a iudice curru, ad Generosum Dominum Franciscum Alagi, singularem in illis locis catholicorum patronum, iter suscepit. Vix medio ab oppido miliari digressum, decem a tergo Haidones adorsi, «Papista scelestus est, inquiunt, mactetur.» *Ego vero, respondit Pater, non tantum Papista sum, sed et sacerdos et Jesuita.* «Hanc ipsam igitur ob causam, sceleste (aiunt illi) primum castrabere, ac deinde trucidabere.» Haec ingeminabant furentes, ac simul eum ad necem rapiebant. At ille de capitaneo solum placido vultu rogitans, ad eum se profici sci velle aiebat. Quibus auditis, mutarunt illi repente consilium, incolumemque dimiserunt.

Duo in hoc facto admiratione digna accidere, quae puer, qui cum nostro erat, se observasse affirmavit. Primo, eum, qui primus ad currum advolabat, repentino impetu corruisse in terram, nec ante surgere potuisse, quam socii sceleris Patrem reliquissent. Alterum, nulla vi falcatum ensem educere valuisse e vagina, tametsi utraque manu tentasset. Conductus se ad necem Patres fuisse a quibusdam Liszkaensibus, ipsismet postero die fassi sunt, instigatosque praeterea a mercatoribus, Tokainum (quod illic futurae essent nundinae) potentibus, ac malum pro bono redditibus. Eosdem enim cum noster obvios habuisset, Christiana charitate motus rogavit, ne manifesto periculo sese obiicerent: omnia illa, ad quae pergerent, loca, tumultibus esse plena; maxime Tokainum, unde ipse nudius tertius exiverat. Sed contempserunt ipsi salutaria monita, magno suo malo; nam eodem pene momento temporis, duobus duntaxat e triginta exceptis, vitae ac mercium iacturam fecerunt. Noster vero sacerdos e manibus Haidonum elapsus, ad virum quendam nobilem paululum de suo itinere deflexit, a quo, praeterquam quod tribus diebus perhumaniter sit habitus, etiam in digressu, currum, quo commodius et famulum, quo tutius coeptum iter prosequeretur, accepit. Transeunda enim fuit civitas, in qua, qui Patrem de ponte in flumen deturbarent, parati esse dicebantur: transivit tamen illaesus, quamvis armis personarent suburbia et Bocskanianorum Haidonum vexilla ibidem volitarent. Evasit et aliud periculum a tribus equitibus non multum a civitate progresso intentatum: ac tandem ad Dominum Alagi salvus, sed necdum securus pervenit. Nam insequenti nocte nunciabatur hostes Tibiscum transiisse, ac proinde lucem praestolari tutum non esse. Dominus itaque Alagi, rebus caeteris, ut potuit, compositis, uxorem in tutiorem locum ablegat; ipse cum duabus e Divi Francisci familia Patribus, quorum opera in revocandis ad pristinam religionem subiectis ditioni suae hominibus, aliquot annis usus fuerat et cum nostro sacerdote Cassoviam versus contendit, sperans fore, ut Ill<sup>mo</sup> Generali, quem iam novas copias habere ibidem putabat, iungeretur. Verum aliter cecidit. Paulo post enim transfuga deprehensus, qui, per nocturnas tenebras, exploraret, quid dominus Alagi agebat, quove suum iter intenderet. Cognitum praeterea

fuit, arcis et pagorum omnium ipsius alium dominum, Blasium videlicet Lippay a Bocskai o iam designatum esse: et quod praecipuum erat, Cassoviam ab Haidonibus occupatam. Quid igitur in re tam ancipi ageret? Vela nimirum vertit: religiosos, quos secum habebat Lelesium, ubi sacerdotes aliquot degebant, deducit, ipse ad suos revertitur.\*

Qui licet non absque aliquo valetudinis detimento, propterea, quod mensem unum et amplius ex variis incommunitatibus, qui in missionibus deesse non solent, pedum dolore totiusque corporis luxatione afflictaretur, Jaroslaviam primum venit: ubi fraterna nostrorum charitate recreatus, unius hebdomadae spatio quievit. Inde Cracoviam profectus, non tantum singulari domesticorum humanitate ac beneficentia usus; verum etiam diligenti medicorum cura in gravi aegritudine, qua mensem integrum laboravit, sublevatus; tandem Olomucium, ipso pervigilio Nativitatis Domini in suam provinciam rediit.

\* Omissum: Est Lelesii praepositura, in qua diplomata privilegiorum Hungariae Superioris antiquitus asservari et opes nobilium belli tempore custodiri solent. In eam praesenti tumultu Dominus Stephanus Báthory vetuit quemcumque suos importare, quod certo accepisset Haidones omnem eius loci praedam spe devorasse. Qui rumor cum Lelesium delatus esset, quodque illic erant sacerdotes, una cum praepositurae praefecto, communi consilio cedendum esse statuerunt, atque sub ipsum noctis crepusculum iter arripuerunt. Miratus est oppidi Kapos parochus, cum ad eum divertissent, quod custodes privilegiorum totius nobilitatis fuga salutis suaे consulerent, nimiam timiditatem illis obiciens: se neque metuere, nec omnino persuaderi posse Haidones quemcumque cum iniuria cuiusquam attentatuos. Sed expertus est vir bonus, qui de illis conceperat aequitatem, cum biduo post Lelesiensi praepositura exspoliata, ad eius quoque parochiam advolantes, ex omnibus rebus praeter unicum indusium, quo solo indutus aegre profugit, nihil ei fecerunt reliquum. Interea sacerdotes, qui cum nostro fuerant, ad arcem Magnifici Domini Homonnai pervenerunt, acceptique sunt absente domino non in arcem, quae satis ab aliis occupata iam erat, sed in praedium quoddam, excepto nostro, quem praefectus arcis familiarius noverat. Quam diu vero subsistere hic licuit, quamprimum dominus Homonnai domum rediit, urgebat frater Calvinianae sectae addictus, famuli omnes deserere dominum volebant, nisi dimitteret sacerdotes, ob quos ipsi suisque omnibus certum exitium immineret. Angebat haec res plurimum nobilissimum atque optimum iuvenem et quo se verteret, nesciebat. Tandem suorum importunitate victus obnixe rogavit sacerdotes aequo animo praesentem ferrent fortunam, necessitatim, non voluntati suae adscriberent, quod eos apud se retinere non posset: comites itineris sese daturum, comeatum affatim suppeditaturum, litteras commendatias tum ad suam matrem, tum ad archiepiscopum Leopoliensem exaratum, se quoque fortasse brevi eandam aleam subitum. Sibi enim decretum esse bonis omnibus exui ac mille mortes potius oppetere, quam vel latum unguem a religione catholica discedere. Ad nostrum quod attinet, equo et viatico liberaliter instructum dimisit adjuncto fideli famulo.

ANNUS 1605.

## Collegium Claudiopolitanum.

**S**UB initium anni a Claudiopolitanis publice in domo quadam conciones et scholae Arianae haberi coeptae sunt. Fuit hic lapis Lydius, qui aurum verum ab adulterino discriminavit. Nam ex iis, qui nostras vel scholas, vel conciones frequentabant, multi nos deserentes, ad Arianos confluxerunt. Et fiebat non raro, ut haereticorum discipuli, discipulos nostros et verbis iniuriosis, et aliis variis modis exagitarent. Monuit P. Vice-provincialis iudicem civitatis,<sup>181</sup> ut pro sua prudentia consideraret, utrum huic nascenti morbo occurrentum esset. Esse enim periculum, ne a pueris inter se religionis causa dissidentibus, aliquid gravius inter parentes ipsos oriretur. Pro admonitione gratias egit iudex et per decuriones ostiatim civibus omnibus edixit, ne sub poena senatus arbitrio constituenda, ullus ulli quicquam ad religionem spectans obiiceret; neve ea in re, verbo factove alter alterum laederet. Sed dicamus aliquid de concionatoribus Arianis.

Interrogavit aliquando haereticum catholicus, quid illi de concionatoribus Arianis videretur? Cui ille, «Aliud, inquit, respondere non possum, quam me aliquando aurigam habuisse, qui melior Latinus, quam noster iste concionator esset.» Delatus est propter haec verba et a senatu 40 florenis mulctatus: licet immerito; quia, qui utrumque, aurigam scilicet et praedicantem noverant, vera ipsum locutum asserebant. Illa iam levis ministri haeretici calumnia fuit. Primo die dominico quadragesimae, contra iejunium et abstinentiam a carnibus acriter invectus est pro concione Arianus. Qui, ut iejunium non observandum rudi populo probaret, illud Romani pontificis inventum fuisse, hac ratione docuit. «Cum piscatores, inquit, semel ingentem piscium copiam coepissent ac divendere nequirent, Romanum episcopum adierunt; eique trium<sup>182</sup> millium aureorum summam, ut abstinentiam a carnibus christianis imperaret, obtulerunt. Ille igitur, ut sibi et piscatoribus prospiceret, pecunia accepta, quadragesimale iejunium indixit. Et ne haec a me excogitata existimetis,

ait, supplementum historiarum legatis, et quicquid ego dixi, verum esse invenietis.» Quibus aliisque fabulis perfectum est, ut non deessent multi, qui ad vomitum redeuntes, se vel simulatos, vel inconstantes catholicos fuisse ostenderent.

Nec tamen defuit Deus ecclesiae suae, quin novo quotidie fere prolem illam recrearet. Atque, ut caeteros ad fidem conversos transeamus: feria quinta sañctioris hebdomadae (quo tempore propter varios nuncios, qui de felicibus Bocskai successibus quotidie audiebantur, maxime exultabant haeretici) duo honesti insignesque viri, natione Germani, quorum unus Caesareanus magister annonae erat, alter eidem Caesari in cancellaria serviebat, ipsomet, quo diximus die, publice in templo, ante aram maximam, praeteritas haereses detestati et fidem catholicam ex Tridentino professi, pane coelesti, cum reliquo populo refecti fuerunt. Quod, sicuti in hac provincia fuit omnino novum, ita et magnum pietatis exemplum; eo maxime tempore, quo et religio catholica opprimenda videbatur; et ipsis, utpote Caesareanis, propter hoc factum, pericula augebantur.

Insignis fuit pueri in fide constantia. Cum haeretici ministri, singulis concionibus eos anathemate percuterent, qui filios suos sub disciplina nostra reliquissent, vidua quae-dam duos filios, quos in nostris scholis habebat, a nobis avocare constituit. Maior natu, matri obsecundans, statim defecit; minor vero annos 13 circiter natus, maiore fratre constantior fuit.<sup>183</sup> Cum illi, ut fratrem seniorem seque-retur, mater imperaret, ille vero se facturum negaret, mandavit illa, ut frater grandior, adhibitis secum aliis sociis, minorem post sacrum, e templo exeuntem caperet, et vi ad haereticas scholas pertraheret. Fecit ille, sed hic eorum manus evadens, mox fugit, et ne iterum vim pateretur, illis maternis aedibus valedixit. Illum parens adduci curavit, ministrosque vocavit, qui cum illo agerent, et quod ipsa volebat, persuaderent. Sed surdo illi fabulam. Hinc mater furore acta, a malis verbis ad peiora verbera progressa, illum acerbe verberavit et biduo catena ligatum tenuit. Sed nihil ipse de constantia remisit. Tandem cum mater omnia tentaret, et ideo se illum, nec filii loco habituram, nec vestes daturam affirmaret, soror autem, quae prae-

sens erat, iis etiam, quibus vestitus erat, illum spoliatum iri addidisset, ipse statim superiorem vestem sibi detrahens, eam in sororis manus proiecit et ex eorum conspectu sese proripiens, ad nostros adiit; asserens se cum matre habitare non posse, quae eum in religione turbaret. Puerum parocho commendarunt Patres: mater ipsa ad parochum venit et graviter, ac non sine lachrymis de filii inobedientia conquesta fuit. Parochus illam acriter, uti per erat, reprehendit, illique divinam et humanam vindictam, nisi ab incepto desisteret proposuit; promisit ipsa se in posterum nullam molestiam filio illaturam. Ita puer sua constantia adeo matrem, fratres et sorores defatigavit, ut illum et scholas, et templum frequentare, catholiceque vivere permetterent.

Percrebruerat iam ubique rumor, bellum pro religione susceptum, omnesque catholicos pastores (Jesuitas imprimis) de medio tollendos. Propterea Siculi sacerdotes et de se, et de aliis solliciti, ex suo coetu unum Michaelem Árkosi Claudiopolim destinarunt, qui rerum statum a Patribus cognosceret (episcopo enim carentes, Societatis superiorem, superioris loco agnoscent Transylvani sacerdotes) ille igitur rustica veste indutus, Patres adiit. Ad suos revertenti Pater Viceprovincialis, Siculicos sacerdotes litteris officii sui, tempore tam calamitoso, graviter obeundi commonefecit. Sacerdos autem cum iam Siciliae fines esset ingressus, in nobilem quandam incidit, a quo quis esset, interrogatus, primum acriter verberatus, deinde litteris et pecunia exutus, deducitur ad pagum proximum, ubi tanquam explorator accusatur. A iudice ergo, ut causa cognosceretur, evocati ex pago primarii, vocatus et praedicans, ut litteras interpretaretur. Quod cum fideliter fecisset, innocens declaratus, libertate donatus fuit.

Dum haec fiunt, ecce tibi post celebratam Christi Domini resurrectionem, Claudiopoli adsunt novi ex Somlyó legati, qui sacerdotem a Patre summis precibus contendunt. Est Somlyó antiquae illius lineae Bathoreae sedes, ex qua et Stephanus Rex et Sigismundus princeps originem trahunt. Cum ergo hi Bathorei omnes catholici fuerint, catholicam religionem Somlyenses semper coluerunt; solique in tota Transylvania (Siculos excipio) templum suum, ad hoc usque tempus ab haeresi inviolatum<sup>184</sup> con-

servarunt. Tam piae Somlyensium petitioni ut annueret Pater Viceprovincialis, sacerdotem illis, licet aegre, quod eius opera Claudiopoli esset necessaria, misit tamen, propterea, quod speraretur fore, ut fructus, quem ex Somlyensibus esset precepturus, Claudiopolitanum defectum abunde compensaret. Sed nescio qua temporum iniquitate sacerdos exturbatus et in eius locum haereticus minister suffectus fuit. Non potuit tamen a Somlyensibus impetrari, ut ex oppido universo vel unicus aut haereticas conciones audiret, aut minimum a recto catholicae religionis tramite deflecteret. Omnes mori potius, quam religione discedere parati.

Interea in Hungaria factio Bocskiana magnos progressus faciebat, seseque in Transylvaniam (ut ita dicam) reflectens, maiores in dies vires acquirebat. Misit Bocskai Claudiopolim commissarium Ioannem Imrefi,<sup>185</sup> ut cum illa civitate de ditione ageret; qui ex itinere Patrem Viceprovincialem salutans, affirmavit sibi non posse non esse cordi Societatem, cum Bocskai illi prae omnibus Societatem commendasset: simul rogavit, ne se Pater in negotio illo misceret, vel impedimento illi esset. Sed bonus commissarius petitionis suae immemor, cum difficiles nonnihil Claudiopolitanos ad ditionem reperisset, per nobilem quendam Patrem rogavit iterum, ut suas ipse partes cum civibus interponeret. Cui bene respondit Pater, se hoc praestare non posse; tum quia haec politica ad ipsum non spectabant; tum etiam, quia ab ipsomet, ut ab huiusmodi negotiis abstineret, paulo ante monitus erat. Quod tamen responsum eiusmodi rationibus temperatum fuit, ut non solum Imrefi offensus non fuerit, sed etiam cum ab Bocskai rediisset, apud eum Patrem novis laudibus extulerit. Claudiopolitana igitur civitas ad defectionem saepius sollicitata, tandem illa ditionis conditiones per centumviro (hi civitatem universam repraesentant et ad eos graviora quaeque negotia spectant) legatis dandas confecit.

Primus articulus fuit, ut sola Ariana confessio in civitate permitteretur. Quod quidem futurum praeviderant cives catholici, ideoque suum ipsi quoque supplicem libellum centumviris obtulerunt: quo, ne catholicae religionis libertas violaretur, petierunt. Petitionis aequitatem fortissimis rationibus probavit Trausnerus, qui ubi peroravit,

cum quodam primario civi catholico e senatu exivit. Est enim mos, ut dum de re aliqua disceptatur, illi, quorum ea interest, exeant; ne in sententiis dicendis, praesentia sua dissensionum causam praebeant. Illos continuo secuti sunt quatuor alii catholici; e quibus unus: «Hic non de amicitia civili agitur, inquit, sed de conscientia.» Et alius: «Christum meum, ait, non deseram in aeternum.» Alii nulli in universo illo coetu fuerunt catholici. Quidam vero Lutherana peste infecti, cum se quoque vi articuli damnari intelligerent, licet in civitate exercitium nullum haberent, ne tamen suam sectam damnare et Arianam probare viderentur, exire voluerunt. Sed quia non contra illos, sed tantum agi contra catholicas illis dictum fuit, acquieverunt.

Secundus articulus, quem determinarunt, hic fuit: ut non solum religionis catholicae patrocinium apud principem non susciperet senatus, sed gravissima poena mulctaretur, quicumque hac de re vel cum ipso principe agere praesumpsisset. Haec cum Trausnerus intellexisset, postridie venit et vehementer conquestus est, senatum universum acerrime perstringens, quod iniquissimos articulos constituisset. Ac inter caetera «Cum mea, inquit, causa iustissima sit, quis prohibeat, ut in Hungariam proficiens tibi (ad praecipuum legatorum conversus) causam tuam peroranti coram principe assistam atque in faciem resistam? Quae si praesttero, quo iure, qua poena me mulctabit? Princeps est pater, duo sumus filii, qui petitus panem: uni ipse dabit, alteri negabit? Vel ne petat alter, ab altero impedietur? Quis unquam talia vidit? Quae respublica similem unquam legem tulit?» Haec cum summo zelo dixisset Trausnerus, Bornemissa senator omnium antiquissimus, omnia verlssima et iustissima esse gravissimis verbis testatus est. Reliqui obmutuere omnes; nec tamen propterea pessima consilia sua mutavere.

A senatu ad Patrem Viceprovincialem venit Trausnerus et «In meis, inquit, rebus, lente procedere solitus sum, sed hac in re non possum non accelerare. Video enim finem dierum meorum, et quotidie oro: *Nunc dimittis servum tuum Domine etc.* Non ignoro me ab his odio haberi; sed nihil curo.» Rogarunt interim Patres iudicem primarium (erat is Emericus Gelienus Saxo, cum collega Andrea Ötves<sup>186</sup> iudice regio, qui ambo cum aliis

ante duos annos Societatis electionem, collegique demolitionem machinati fuerant) iudicem, inquam, rogarunt Patres, ut bonam voluntatem, quam verbis saepius significaverat, iam re ipsa ostenderet, et in senatu efficeret, ut civitas Societatis patrocinium susciperet, ne in illa principis mutatione mali aliquid eveniret. Primum ille se facturum promisit; postea varias semper, ut est vir fictus, praetexens excusationes, rem distulit; nec eam nunquam senatui proposuit.

Hoc igitur tempore in magno timoris et spei quasi Euripo, iactabantur nostri. Ex una parte spem ergebant nobiles multi; qui venientes a principe, affirmabant eum in Transylvania, quoad religionem, nihil innovare velle. Quoad Societatem vero, non semel eam se in omnibus salvam et in columem conservaturum, in gratiam eorum, qui eam commendabant, iureirando confirmasse. Ex altera vero parte timorem incutientes, spem deprimebant alii, qui principem audierant conquerentem de Patribus; quod nimirum illius in Transylvania progressus retardarent, et quo minus civitas Claudiopolitana, multo ante se dederet impedivissent. Unde amici nonnulli Patrem Viceprovincialem hortabantur, ut vel litteris se purgaret, vel etiam hominem mitteret, qui pro Societate agens, ne ipsa vel in bonis, vel in personis quicquam pateretur, impetraret; ipse tamen ne illegitimum principem hunc approbare, seque ei subiicere videretur, id nequaquam expedire, sed meliorem occasionem expectandam iudicavit.

Itaque cum legatis Claudiopolitanis in Hungariam profectis, missus occulte est a catholicis unus, qui ad Balthasarem Szilvásium, magnae, ut erat opinio, apud Bocskaium auctoritatis, quem sibi patronum adoptaverant, litteras ferret, eumque, ut catholicorum partes, pro virili tueretur, communi omnium nomine obsecraret. Sed res aliter cecidit. Cum enim Bocskai Szilvásium vinculis constrictum teneret, catholicorum legatus, litteras omnes ad Szilvásium datas, opportune sane discerpsit. Nam paulo post a principis senatu accersitur; et an illas Claudiopolitanorum, Patrumve litteras habeat; et an, quove et qua de causa a Societate mittatur, diligentissime examinatur. Ipse ne maiorem suspicionem incurrat, reliquas litteras, quas servarat tradit. Inter eas erant nonnullae a Patre

Viceprovinciali ad R. P. Generalem, aliosque Patres exaratae: quae, quia nihil quod Bocskaium offenderet, continebant, praesente ipsomet latore, laceratae fuere. Porro Claudiopolitani legati rebus ex animi sententia gestis, demum rediere. A quorum reditu, die 16. Iulii anni Domini 1605. mane, quatuor senatores, nomine civitatis, Patrem Viceprovincialem salutantes, eidem principis Bocskai litteras exhibuerunt: ad quas, ut antequam civium conventus dimitteretur, responderet, petierunt. Pater lectis litteris et re Deo per sacrificium precesque commendata, domum senatoriam, assumpto socio, qui et idem interpres esset, adivit, loco inter primos senatores sibi assignato cum venisset, consedit. Responsum igitur, quod expectabant, datus, primum ipsis annuentibus principis litteras, quae sequuntur voce clara legit:

Stephanus Dei gratia Hungariae, Transylvaniaeque princeps et Siculorum comes etc.

Reverendi et honorabiles domini, grata nobis dilecti. Salutem et favorem. Requisiti sumus ab universitate fidelium nostrorum inhabitatorum civitatis nostrae Colosvariensis humillime nobis supplicantium, occupata esse superioribus temporibus ab ipsis quae-dam bona et haereditates, quorum quarumve in pacifico dominio se maioresque suos a memoria hominum eo usque persitisse clarum est. Porro cum iustis ipsorum iuribus, diutius defraudari iniuriosum arbitrentur, et universalis iustitia, quo amicabilis inter homines concordia vegetiore modo conservetur, suum cuique reddi iubeat: Ideo Dominationes Vestras amanter rogandas duximus, ut erepta qualia-cumque ipsorum bona et haereditates spontanee ac benevole restituere velint; atque eo pacto pacis, concordiaeque amantiores reperti, ansam dissidii et mutuae aemulationis penitus tollere contendant. Qua quidem in re, si quid nostri etiam ob respectum fecerint, rem nobis gratissimam praestabunt. Et cum his easdem bene valere cupimus.

Datum in libera civitate nostra Cassoviensi, die 7. mensis Iulii 1605.

Quibus lectis «Quid petat princeps (inquit Pater) audi-vistis. Quid respondeatur, iam intelligatis. Res omnino duas princeps suis litteris comprehendisse videtur. Primum enim senatum apud eum conquestum esse, nosque tanquam suorum bonorum eretores et iniustos detentores accusasse docet. Deinde, ut huiusmodi bona, pacis et concordiae conservandae gratia vobis restituamus, clementer hortatur. Verum, quod ad primum attinet, ignoro prorsus, me aut ullum ex praedecessoribus meis, quidpiam vel a civitate,

vel a cive, aut vi eripuisse aliquando, aut iniuste detinere. Evidem de me illud affirmare possum, me eo semper animo fuisse, ut amittere mea, quam aliena rapere mallem. Vos igitur obsecro, ut quaenam illa sint bona, de quibus conquerimini, declaratis, siquidem hac de re princeps in suis litteris nihil omnino significavit. Quod ad alterum litterarum caput spectat: oro vos et obtestor, ut quam pacem et concordiam princeps optare se demonstrat, illam mecum et habere, et tueri velitis.»

Hic a senatu Patri dictum, ut domum se reciperet, eo enim senatus per suos missurum responsum. Renuit Pater, ne mittendis ultro citroque legatis, difficultates augerentur. Quare se foris tantisper expectaturum, quo ad senatus more suo aliquid deliberasset. Placuit senatui. Pater igitur in inferiori conclave, tres fere quadrantes expectavit; deinde vocato senatus in haec verba respondit: «Bona, quae nobis erepta dicimus, sunt templum, domus parochialis, scholae, molla et domus reliquae, quibus gaudent Reverenda Paternitates Vestrae. Pro his principem requisivimus, haec nobis hodie restitui petimus et volumus.» Ad quae Pater: «Haec quidem a principe senatum postulasse me non latuit. Verum cum in his litteris non exprimeretur, quaenam illa essent, non immerito dubitavi. At qui satis constat, principem viris nobilissimis etiam iurato promisisse, se in hoc gravissimo negotio nihil immutaturum, nec, ut alii immutent, permissurum; quoad ipsem in generalibus regni comitiis illud cognoscat et parte utraque audita, cuius bona illa esse debeant, de iure decernat. Porro non video, qua ratione haec bona a vobis vi erepta dicere possitis, cum illa nobis, vobis consentientibus, a legitimo principis illius temporis magistratu, ut iustitiae satisficeret, legitimate sint tradita. Iustitiae enim ratio postulat, ut qui rem alienam iniuste adimit, ut illi fiat satis, suam ipse iuste amittat. Cum igitur templum nobis, scholas, aedes, alia ademeritis, optimo iure templum pro templo, scholas pro scholis, aedes pro aedibus adiudicata fuere nobis. Alia via superest nulla, quam ut res vel de iure, vel de facto decernatur. De iure nunc fieri non potest, absente iudice; ut de facto fiat, aequitas non permittit. Quocirca per ipsa misericordiae Dei viscera, ne in re tanti momenti praecipitatis, vos rogo. Quae cum sit coniuncta

cum causa Dei et religionis, ego vobis cedere non possum.» Haec Pater.

Senatus deliberationem instituit novam. Sed Trausnerus rei indignitate motus, multis iudicium iniquitatem prosecutus, a senatu cum septem aliis catholicis discedit. Reliqui senatores post deliberationem satis longam, revocant Patrem. Commemorant bona, de quibus agitur, sibi non a Patribus, sed aliis per vim erepta, a quibus tradita sint Patribus: commissarium Krausenegg a iudice vi extorsisse templi claves; generalem Bastam eidem iudici nisi domum parochiae vicinam procuraret, suspendium esse minitatum: habere se praeterea litteras Patrum nostrorum, contra civitatem scriptas.

Ad hunc Pater: «Litteras, inquit, libenter videbo.» Notarius porrexit et eas Pater alta voce legit. Continebant illae probra nonnulla in cives, ob facinus commissum contra Societatem, in templi collegii et seminarii demolitione, in ipsorumque Patrum tam seditiosa exturbatione, atque etiam trucidatione. Lectis litteris «Nomina, inquit, subscriptorum novi, manum non novi.» At socius Patris «Ego vero, inquit, novi manum non esse illorum. Nam illorum uterque usu manuum privatus erat. Quidquid alter nec scribere novit, nec litteras unquam didicit?» Erant hi duo illi aegroti, de quibus in collegii direptione dictum est. Tum vero Pater inique secum agi, serio monere, ne litterae ab aliis malitiose confictae, per calumniam Societati adscribantur. Porro fueritne vis illata, necne ipsis a commissario vel generali se ignorare: «Certe, ait Pater, ex comitiis Devensibus articulum hac de re habemus, ab universa provincia, et a vobis, qui adfuistis confirmatum.<sup>187</sup> Si ergo comitia illa legitima fuere, non video, quo iure id vos auferre possitis, quod iure semel attribuistis. Quod si quis illegitima esse dicat: illud vero nec mihi, nec ulli constare potest, nisi superior, hoc est, princeps, ita esse declareret. Expectetur ergo ille, donec veniat, causam cognoscat; et quid tam mihi, tam vobis faciendum sit, arbitrio suo ostendat. Interim vos obsecro, ne turbetis Societatem, sed illam suis pacifice frui permittatis. Simul illud diligenter hortor et moneo, tria haec sedulo cogitetis. Primum omnium tremendum Dei tribunal, coram, quo omnes nos stare oporteat, et de factis propriis rationem reddere.

Alterum est bonum commune civitatis, quae vestrae curae commissa, omnia suo iure a vobis iusta et honesta petit. Postremum, quod vobis commendatum volo est, ut quibuscum agatis, diligenter et accurate perpendatis. Vobis enim negotium est cum hominibus religiosis, qui patriae vestrae nunquam obfuerunt, plurimum vero saepius profuerunt. Testes vos ipsos appello, qui cum operam meam in vestris calamitatibus requiretis; id non semel summam vos fuisse expertos, ultiro fassi estis. Quem animum erga vos semper habuimus, eundem hunc conservamus adhuc, et quoad vixerimus, conservaturi sumus. Utinam amori nostro pari vos benevolentia tandem aliquando respondeatis.»

Audiverunt haec omnia attente senatores: et Patri, non esse cur amplius ibi moraretur, se vero domum conferret; quidquid statuisserint, illi significaturos responderunt. Ille igitur omnibus salutis e praetorio domum se recepit.

Senatores, cum abesse catholicos viderent, nec amplius Patrem illis, coram responsorum expectarent; illud palam consilium ineunt et urgent, ut nulla via iuris servata, continuo Patres templo, scholis et omnibus spolient, atque etiam civitate exturbent. Quare senatores quatuor ad Patrem expedient cum mandatis. Significant voluntatem ultimam senatus esse, ut usque ad horam quintam vespertinam (jam prima a meridie praeterierat) templo et scholis excedat; interim res suas auferat, ad diem vero Martis (erat tunc dies Sabbati) domo etiam discedat: senatui autem curae fore, ne intra hoc tempus damnum ullum, aut iniuriam patiatur; supra illud tempus, nullam protectionem civitatem Patribus polliceri.

Pater scriptum hac de re decretum petiit, sed illi se habere negarunt, manda autem civitatis se referre solum. Tum Pater: «Non de vestra, inquit, relatione dubito; sed quod de protectione dicitis, explicatius scire volo.» Cum autem illi se nihil aliud in mandatis habere responderent: «propterea, inquit Pater, decretum requiro.» Quod cum urgeret vehementius, dixerunt illi: Senatum iam solutum esse, decretum haberi non posse. Quamobrem, quia iam aequitas omnis exulabat, nulus quoque consultationi locus erat, e templo res sacrae omnes (praeter imaginem Crucifixi, tectam tela nigra quadragesimae, ut fieri solet, tempore) sunt exportatae, ne tumultuanti plebi occasio praef-

beretur in eas involandi. Denudato igitur templo, spoliatis altaribus, facta oratione et recitato psalmo Miserere, Pater Viceprovincialis digreditur ex templo, postquam non paucos, qui aderant catholicos, solatus fuisse eo argumento, quod licet templum amitteremus, Deum tamen, propter quem sunt templa, non amitti.

Vix exiverat Pater et ecce tibi cum aliis civibus intrat iudex regius;<sup>188</sup> homo, si quis alias, impius et temerarius. Is cum telam ex altari pendentem vidisset, id quod erat ratus; aediles imaginem auferre iussit; qui cum inscio Patre se facturos negarent, per eosdem Patri nunciavit fore, ut omnia lacerarentur: quare si charam haberet imaginem, illam auferri curaret. Quod factum est, scissa circumquaque tela picta: ornamenta, enim deponendi neque tempus erat, neque modus. Verum hoc spoliationis initium, non enim finis fuit. In templum enim Ariani irruentes, altaria lapidea, reliquaque omnia, quae divini cultus speciem aliquam referebant, funditus everterunt. Duo enim ipsi, et praeterea nihil in templis requirunt, cathedram pro concionatoribus et scamna pro auditoribus. Magnus catholiconorum secutus est dolor; magna Arianorum exultatio. Passim advolabant ad templum, sedes deligebant et sibi de restituta religione gratulabantur. Erat in choro musicum instrumentum, vulgo *Positivum* appellant, quod Claudiopoli Basta reliquerat. Illud Arianorum discipuli perfregerunt et in sexcentas partes discerpserunt.

Iam orbato licet templo Societas, non tamen salutis curam animarum deponebat. Iudices igitur rogavit, ut sibi sua ministeria exercere et postridie, qui erat dies Dominicus, alicubi concionari liceret. Annuerunt illi, sed ne concio alibi fieret, quam in domo parochiali. Per duos cives negotium istud transegit Societas. Quibus etiam primarius iudex dixit, civitatem quidem nulla principis auctoritate templum recepisse; verum ipsius principis adventum consulto praevenisse, ne ipse a catholicis templum auferret et Calvinistis, quos colit, traderet. Quo tempore cognitum est etiam quatuor legatos, qui iverant ad principem, valde ejectionem nostram ursisse. Qui primas legationis partes obivit, contraque Societatem omnium acerrime pugnasse dictus est; est ille ipse, quem antea Pater Viceprovincialis a vinculis liberarat. Alius iam ab illo, qui dum captivus

esset et facinora in Societatem a se admissa non negabat, et filio prodigo se comparabat, et beneficium a Societate acceptum, in coelum usque evehebat. Dederat senatus nobis milites aliquot, qui domum nostram illa nocte et sequentibus diebus custodirent; postridie igitur in loco satis amplio, post sacrum habita concio; ubi auditores opinioni multo plures non solum catholici, sed etiam aliarum sectarum haeretici, qui Arianismum detestantur. In fine concionis magna commotio fuit, magnus omnium ploratus. Concionator spem bonam omnes habere iussit. Modestiam in primis illo tempore necessariam, humilitatem et pietatem commendavit: et paucis, quae ad consolandos animos afflictos facere videbantur, prolatis; concionem lachrymantem dimisit.

Societati, in hac calamitate adfuerunt duo ex praeципua nobilitate viri, Sigismundus Saromaságius optime de Societate meritus et Franciscus Vas, summus et ipse eiusdem fautor. Istorum hic forte fortuna ex itinere Claudiopolim deflexarat. Ille monitus, ex arce sua ad civitatem advolarat. Porro Pater Viceprovincialis, ne aliquid intentatum relinqueret, rogatum iudicem misit, ut sequenti luce senatum, si non centum-patrum, saltem ordinarium convocaret; se enim habere, quod cum illis necessario communicaret. Fecit iudex, et die Lunae senatum ingressus est. Eum secutus est Pater cum supradictis duobus nobilibus, testibus futuris, si quando opus foret. Ubi postquam consedisset, sic exorsus est: «Nudiustertius in senatu fui, principis litteras legi; earum sensus exposui, et quia me accusatum esse intellexeram, accusationem dilui. Domum cum ivissem, a vobis me damnatum esse cognovi. Quo iudice idem factum sit et quomodo, nondum perspicere potui. Decretum a vobis, ut et iudicem agnoscerem, et sententiam perspectam haberem, petii; negatum id mihi est contra omnem iuris formam. Sed quae vos, qua sententia iusta esse potest, ubi iudex legitimus abest, princeps nimirum, ab ipsam civitate electus? Ad quem, sicuti antea appellavi, sic nunc iterum et centies appello. Quae licet ita se habeant; ego tamen ne perturbationis causam darem, vobis imperantibus obtemperavi atque templo et scholis, hora praescripta cessi. Superest, ut cras tecto cedam. Verum quo mihi inde

migrandum sit, prorsus ignoro. Vos igitur, vestram sive iustitiam, sive humanitatem experturus, accessi. Meminit iudex, se, ut aliquando vitam suam a periculo immunem servaret, Sanctae memoriae Patrem Maiorium, praedecessorem meum, qui collegio et templo nostro dirutis, exiveret in Monostor; saepius adiisse rogasseque, ut Pater civitatem ingrederetur, se domum parochialem Societati, tanquam propriam assignare. Quod quidem bonus Pater fecit tandem; tum, ut civitati morem gereret, tum, ut iudicem a mortis periculo liberaret. Nunc ego vos rogo, ut hanc eandem domum tunc ultro oblatam, nobis inhabitandam permittatis, aut certe de aliqua honesta domo nobis in civitate prospiciatis, in qua, secundum nostra privilegia sub civitatis tutela, ministeria nostra exercere valeamus. Nondum est annus, cum vos saepissime, Patrem me et defensorem vestrum appellabatis; quaequo vos, ne ita mecum agatis, ut, si iam Patrem habere me velitis, veluti cum hoste agere videamini. Quia vero in re tanti momenti decretum a civitate factum, quod et antea petii et nunc denuo peto, habere non possum; duos hos nobilissimos viros testes habere volo, ut, si quando opus fuerit, me nihil aut temere, aut imprudenter egisse, sed vi coactum sortem hanc subiisse testentur.»

Hic Vas alter e nobilibus, facta prius a iudice loquendi copia, ubi multis de statu Societatis questus fuisse: mirari se dixit repentinam hanc civitatis deliberationem; se iterum ac tertio pro Societate cum principe egisse, respondisseque principem, hanc quidem fuisse praecipuam Claudio-politanorum petitionem, ut Patres exturbare possent; se tamen nihil de ea re decrevisse, omnia ad suum adventum detulisse. Quare Vas orare senatum, ut in negotio lentius atque mitius procedat.

Dixit eadem Sarmaságius, nobilium alter duorum; qui ipse quoque eam fuisse principis voluntatem se ex ipsa met principe intellexisse confirmavit. Addiditque, utilem et necessariam inter civitatem et nobiles communicationem, nulla re magis sublatum iri, quam si praeter iuris ordinem a civitate aliquid accideret Societati: laesis Societatis privilegiis, ipsam nobilitatem laedi; cuius privilegiorum status alius non esset, quam Societatis ipsius.

Ad haec respondit iudex rem graviorem esse, quam,

ut senatus ex tempore respondere possit. Quare se domum conferrent senatum consultaturum, quicquid deliberasset, per senatores significaturum. Paulo post duo senatores, nomine senatus, Patri significant senatum ipsum universae civitatis decretum infringere nec posse, nec velle. Quare crastina luce domo emigrandum esse; ad illud usque tempus tutelam ei non defuturam. Quod autem urgeret Pater de habitatione aliqua, sub civitatis tutela impetranda, ea de re nihil quod responderent, se a senatu habere dixerunt; illud adiicientes, sibi mandatum esse, ut Patrem rogarent, vellet imperare silentium catholicis, execrationes multas in civitatem iactantibus, ne gravius aliquid eveniret. Et Pater se id iam praevenisse respondat. «Quod si, ait, essent sub potestate mea coercitiva, sicuti sub senatus potestate est plebs Claudiopolitana, haec admonitio non fuisset necessaria. Verum dabitur opera, ut catholici suam modestiam ostendant et nullam dissensionis occasionem praebant.»

Tum senatorum alter, ad illos duos nobiles conversus «Senatus, inquit, vobis in omnibus obsequi vellet; sed cum hic de religione et conscientia agatur, se nihil amicitiae dare posse nunciat.» Pater, ut vidit senatum id, quod praecipuum erat dissimulare, aliud e re ipsa consilium coepit. Illi domum suam satis amplam et ad munia Societatis accommodatam obtulerat bonus ille senex Bornemisza. Ad illum igitur misit, ut videret, num sibi Patres hospitio accipere liceret. Ille iudicem adit et petit. Iudex negat, instat ille. Hic mutatis loquendi formulis, modo non licere, modo tutum non esse, modo aliis verbis, quibus hoc illi prohiberi ostenderet, respondit. Cum iudice erat primarius quidam civis Lutheranus, huic res indigna visa est, et «Ergone, inquit, quod omnibus praestare possum, Societati praestare nequeam? Et solis viris hisce honestissimis hospitalitatis iura denegem? Ad quem iudex, si quando ad civitatem illorum quempiam venire contingat, illis hospitium dare non prohiberis, sed ut iam aliquem retineas, nec tibi suaserim, nec ulli auctor fuerim.» Quae, ut intellexit Pater, ne quidquam intentatum maneret et adhuc amplius iudicis animum exploraret, ad eum misit praedictos duos nobiles, qui cum eo de securitate Patrum agerent et intelligerent, an vere senatus decreto illis omnino

e civitate migrandum esset. Quibus ille clare respondit, omnino esse. Et idcirco illos frustra laborare, cum statutum esset, ut illo ipso die (erat enim dies Martis) hora quinta vel sexta, vellent nollent e civitate discederent.

Ad ultimum igitur fere momentum ventum erat, et ecce adsunt duo e centumviris, qui domum lustrant et ea, quae ad ministrum, qui antea domum habitabat, spectarent, sibi tradi postulant. Factum id abunde. Licet enim quando nostri domum sunt ingressi, nulla rerum assignatio facta sit, tamen in discessu, longo rerum catalogo, eadem die excogitato, satisfacere debuerunt. Sed nulla difficultas, quia non ea sola, multo plura relicita fuere, et si aliquid defuit, quadruplum restitutum fuit. Neque enim in illa temporis exiguitate potuerunt Patres omnia efferre, et ideo magnam rerum suarum iacturam passi fuere. Qua etiam de re, cum nobilem quandam ad iudicem rogatum misissent, ut sequenti dies quaedam efferre liceret, quae temporis, hominum et curruum penuria, illo die efferri non poterant, iudex regius, qui primario aderat, homo sui impotens «Nuncia, inquit, Patribus nobiscum ne iocentur, tempus praescriptum sciunt, intra illud sibi prospiciant, ne quid deterius illis contingat.» Quod ut audivit Pater, sereno vultu suos convocatos, quomodo egrediendum esset, commonefecit. Non enim licebat amplius morari in civitate, ubi Societas neque proprias aedes habebat, neque apud alios esse permittebatur; neque tutelam ullam contra factiosos impetrare potuerat. Et communis bonorum omnium sensus erat, non esse expectandam illam vim, quam multi minabantur, ne Societas et temere agere, et in civitate tumultum excitare, et catholicos omnes periculo exponere videretur. Erat enim dubium, si populus in Societatem irruisset, non prius quietum, quam reliquorum catholicorum sanguine civitas redundasset.

Hora igitur fere post meridiem quarta die 19. mensis Iulii anni 1605. e civitate discesserunt Patres. Eos comitati sunt Sarmaságius, Trausnerus et alii nonnulli cives et nobiles catholici, reliquis sese domi continentibus, tum ob tristitiam, tum quia prudentioribus id consultius visum fuit. In porta civitatis quatuor cives nomine iudicum, senatus et civitatis Patri Viceprovinciali humaniter valedixerunt. Quibus paucis, sed graviter resalutatis, currum ipse conscendit

et cum suis, qui duobus curribus vehebantur, in Monostor venit, comitantibus supranominatis; et praeterea sexdecim militibus sclopetariis, quos usque ad fines Monostor a civitate discriminantes, Claudiopolitanus iudex illi adiunxit: qui deinceps nullum ex Patribus civitatem ingredi permisit.

Communis amicorum sententia erat, Patres in Monostor non sine vitae periculo certo versari; et ideo ad tutorem locum migrandum esse. Timebatur enim, ne vel aliqua latronum manus, spe praedae illos invaderet; vel etiam, ne cives ipsi insidias molirentur, quod factu difficile non fuisset. Est enim Monostor locus praeter iniuriam temporum apertus et omnibus sine ulla defensione expositus. Hortantibus igitur amicis et bono impellente Sarmaságio, cum uno die ibi mansissent, nocturno itinere, ad ipsius Sarmaságii arcem (Gerend appellatur) discesserunt: relicto unico fratre, qui Monostoriensem oeconomiam administraret. Ad principem etiam, qui tunc ex Hungaria in Transylvaniam iter adornabat, litteras dedit Pater, quibus illum de omnibus certiores fecit atque rogavit, ut Societatis patrocinium susciperet, ne qui propriis sedibus spoliati erant, vita quoque spoliarentur. Quintodecimo post die Pater Viceprovincialis cum socio in Monostor concionaturo rediit. Hoc enim catholici petebant, nec pericula ulla iam imminere videbantur. Diebus igitur festis, ex civitate tam multi ad concionem confluabant, ut vix in civitate plures convenire consueverint.

Sub idem tempus, circa festum B<sup>mae</sup> Virginis Assumptae, Bocskai provinciam ingressus est. Per Michaelem igitur Káthai cancellarium, qui cum uxore,<sup>189</sup> ante duos circiter annos, ad catholicam religionem, Societatis opera conversus fuerat, quique pro Societate omnia sese factorum promiserat, audientiam petuit et impetravit Pater Viceprovincialis et princeps ipse per nobilem quandam Stephano Kendio, ut Patrem accerseret, nunciavit. Sed Pater civitatem ingressus, cum per secretarium nescio quod turbatum fuisset, rediit in Monostor. Postridie mane ad Patres venit Georgius Homonnai, iuvenis insignis catholicus et principis consiliarius, qui a principe audientia impetrata, Patrem ut veniret, monuit. Ivit Pater, sed in ipsomet civitatis limine, trabem quandam demiserunt custodes, ne currus quo vehebantur, ulterius progredi posset. Monitus

est Homonnai, qui statim iudici significavit voluntatem principis esse, ut Pater ingrederetur; sed nihil effecit. Pater igitur, re infecta iterum rediit. Sed Homonnai, ut dignitatem suam tueretur, sequenti die cum principe de iniuria conquestus est. Cui ille se omnino eodem die Patrem admittere velle respondit. Tertio igitur vocatus, tandem ad principem fuit introductus, quo tempore is erat cum omnibus magnatibus atque consiliariis.

Itaque Pater coram omnibus amoliri a se primum suspicionem de impeditis Hungarorum et felicibus Serenitatis Suae successibus, deinde suam universe erga Hungaros voluntatem optimam semper fuisse, testari posse tum nobiles Transylvanos, tum cives Claudiopolitanos: se enim, quicquid gratiae et auctoritatis apud Caesareos habuisset aliquando, totum id in Hungariae commodum contulisse: contra principem nihil unquam attentasse; se utpote religiosum, religiosa curasse, ab iis omnibus, quae statum dedecuissent suum abstinuisse; in spiritualibus laborasse, a politicis abhorruisse. Tum vero proponere miserum Societatis nostrae statum; explicare difficilem ac severum Claudiopolitanorum animum, qui Patres innoxios eiecerint, domicilium non modo non concesserint, sed nec eos hospitium in civitate habere permiserint: rogare proinde suo et Societatis totius nomine, ut electos in pristinum civitatis locum restituat et in reliqua provincia, auctoritate sua protegere velit. Tum denique offerre sua Pater obsequia principi, cum in aliis, tum praecipue in ingenua iuuentutis educatione.

Ad haec princeps, interprete cancellario, primum gratias egit pro bona erga nationem suam voluntate; deinde Patrem bono animo esse iussit: sibi enim semper cordi futuram Societatem: demum ea, quae petebantur, respondit, utpote gravissima, non posse a se solo expediri; quare necessum esse, ut Pater daret in scriptis, quae desiderabat, ut ea cum consilio eorum, quorum intererat, determinare posset. Tum conversus ad socium Patris, quem Hungarum esse intellexit, patria lingua illi iniunxit, ut Patri diceret, se semper Societati fauturum ubicumque posset.

Simulabat Bocskai se bene erga Societatem animatum, tum ne in illo primo ingressu, catholicos offenderet, tum etiam, quia cum multa a Germanis apud nostros

relicta esse existimaret, ea ex eorum manibus extorquere volebat. Verum cum postea et Patrem Viceprovincialem per amicos tentasset, et quicquid in Gerend habebamus, lustrari iussisset, et nihil prorsus, quia prorsus nihil relatum erat, invenisset, minus bonam in nostros voluntatem ostendere coepit.

Claudiopoli habenda erant comitia et iam erant indicta; sed dum tempus praefixum expectatur, monetur princeps nobiles praecipuos adesse non posse. Cum enim tunc civitatem dictam Segesvár obsiderent, ibique Simon Moldavus<sup>190</sup> cum Moldavicis copiis, Turcarum autem bassa cum Turcicis adessent; non sine magno castrorum incommodo et periculo, tam procul inde discedere potuissent. Quare vel comitia differenda, vel vicinorem locum deligendum. Electa igitur civitas alia, Meggyes scilicet, in centro fere provinciae, non procul a castris collocata. Illuc ivit princeps, ivit et Pater Viceprovincialis. At neque ibi prius incopta comitia, quam Segesvariense negotium absolutum.<sup>191</sup> Eam igitur civitate cum arce ditione recepit princeps, dimissis qui intus erant, Germanis militibus, cum Polonis Cosacis;<sup>192</sup> quibuscum etiam permissi sunt abire illi duo commissarii Caesarei; qui ut alibi diximus, supererant in Transylvania. Cum iisdem abierunt etiam cum aliis, tum tres illi cancellaristae, qui per iniuriam in compedes paulo ante coniecti fuerant: pro quibus, ut abire possent, Patres lytrum persolverunt. Hic Pater, bello iam confecto, memoriale, quod Claudiopoli a principe dare iussus erat, illud per Franciscum Daróczium transmisit ad cancellarium, a quo principi offerendum esset. Est Daróczius in Hungaria nobilis magnus, sed maior catholicus et Societatis amantissimus, quem ante hos tumultus Transylvaniae cancellarium constituerat Caesar. Quia vero hisce turbis excitatis, in Caesaris fidelitate manebat, seque quantum poterat a Bocskaiianis defendebat, tandem structis insidiis captus fuit, et in Szakmár (quae arx iam in Bocskai manus devenerat) per multos menses in arctissima custodia detentus. Verum cum magnis viris pro ipso intercedentibus liberatus fuisset, eum princeps secum in Transylvaniam duxerat. Huius opera utebatur Pater, quia fidelis erat, magnaenque apud omnes auctoritatis. Cum offerret principi cancellarius scriptum Patris, interrogavit princeps, a quonam illud recepisset? A Daróczio

respondit cancellarius. Tum Bocskai vehementi ira commotus «Si hoc, inquit, mihi de illo persuasissem, nunquam illum ex carcere evasisset: eum Szakmarienses comedissent canes.» Quod cum Daróczio unus ex consiliariis referret, magnoque in periculo illum ea de causa versari.<sup>193</sup> «Et quomodo, inquit, Daróczius, me rem ingratam principi facturum cogitare potui; cum ipsemet princeps per me cum Patribus egeret, eorumque causam arbitrio regni se relictum significarit?» Ad haec alter «Non amplius, inquit, princeps huius est voluntatis.» Iam vero intellexit Pater, verum esse id, de quo antea semper valde suspicatus fuerat; principis nimirum voluntatem aliam esse, ac Claudiopoli significarat. Ostendebat ille quidem verbo se velle, ut provincia de Societate libere sententiam ferret; quam eandem se quoque ratam habiturum dictabat: re autem vera, ut Societas e regno pelleretur, volebat. Quod quidem ipsum, ut a regno decerneretur, miro artificio procurabat. Cum enim illud partim haereticum, partim catholicum esse non ignoraret, haereticos et numero plures, et Societati per se satis infensos, nullo negotio ad se traxit. Catholicos vero variis cuniculis oppugnare coepit: nam nonnullos ex praecipuis Societatis fautoribus, varias ob causas, ne sibi impedimento essent, alio ablegavit: aliis voluntatem suam modo per se, modo per alios indicans, talem metum incussit, ut iam paucissimi essent, qui se Societatis fautores profiterentur; rari, qui cum Patre agere auderent. Dixit aliquando Pater cancellario, se principem adire velle, sed ille non expedire renunciavit, melius esse, ut sese domi contineret; dolere quidem, quod cum illo agere nequirit, sed aliud fieri non posse: Societati omnino e regno cedendum, attamen non esse de vita timendum, ut enim honeste dimitteretur, constitutum esse.

Itaque Pater omni humano destitutus praesidio, magno conatu spem in Deo collocandum ratus, suos tam in Gerend, quam in Monostor, per litteras, magis quam antea orationi instare iussit. Quos nihilominus, ut se ad iter pararent, omniaque tamquam de manu Dei, summa cum humilitate, patientia et silentio susciperent, commonefecit. Interim ipse, ne qua in re causae deesset, illum eundem libellum, quem principi obtulerat, regno quoque praesentavit. Continebat ille petitionem restitutionis in civitatem Claudio-

politanam, tutelae principis et regni, rationes nonnullas, quibus Societas causae suae aequitatem ostendebat.

Aderat iam tempus, quo in comitiis de Societate agendum erat, cum ecce tibi in templo, plenissima concione, praecipui haereticorum ministri, Arianus et Calvinista, longissimam ambo in Societatem orationem habuere. Utriusque scopus erat, ut Societas e regno amandaretur. Dimissa concione, praecipui quique, maxime vero ii, qui ius suffragii habebant, adeunt Gabrielem Hallerum, senatorem praecipuum, et magnae virum auctoritatis, qui ne cum aliis in templo esset, podagra fuerat impeditus; adeunt, inquam, ut ibi primum de religione, et caeteros, quos de aliis rebus determinarent, conscribant articulos. Magna de Societate orta contentio, multis eam acriter oppugnantibus; paucis vero, sed strenue propugnantibus. Inter alios Stephani Kendii zelus enituit, cui cum obiiceretur parens, qui olim cum aliis in ableganda Societate conspirarat; ipsum iam parente sapientiorem esse non oportere, propter illud peccatum, inquit, Kendius, eum Deus pessimo fine punivit. Fuit parens eius summus senator, et nobilitate, opibus, prudentia totius regni facile princeps. Quia vero haereticus, magnus etiam Societatis inimicus. Hic cum aliis magnatibus, a principe Sigismundo proditionis nomine notatus, capite plexus fuerat.<sup>194</sup> Cum similia Francisco Vas obiicerentur, nisi meus parens, inquit ille, accelerata morte se surripisset, eandem forte cum aliis sortem obiisset. Comitiis tunc praeerat Transnerus (quo munere qui fungitur, regni lingua seu orator appellatur) cum enim princeps, quem regnum delegerat non admisisset; neque regnum, quem illi princeps proposuerat: tertio demum loco a principe Trausnerus nominatus fuit, quem regnum cum applausu accepit: licet ipse gravi excusatione, sese ab onere subeundo subtraheret. Ita factum est, ut qui antea ob mutantam religionem, a plurimis contemnebatur, supra omnes extolleretur. Is igitur, cum partem adversam adeo concitatem adverteret, ut illius impetus sustinere difficile nimis esset, ut eam refrenaret, quae in scriptis Pater Vice-provincialis obtulerat, legi iussit, rationesque singulas diligenter ponderando, Societatem iure pelli non posse demonstravit. Verum illi, quibus pro ratione voluntas erat, in id totis viribus incumbebant, ut quod in animo fixum

erat, executioni mandarent: id iure ne an iniuria fieret, nihil pendebant.

Parte itaque adversa, numero suffragiorum superante, ut Societas e regno proscripteretur scriptus est articulus. Nimis videbant haeretici religionem catholicam non prius extirpari posse, quam Societas e medio tolleretur.

Est enim Transylvania in tres quasi divisa partes. Unam occupant Saxones, apud quos exultat catholica religio. Alteram Siculi, quorum aliqua pars est quidem catholicæ et nonnullos sacerdotes habet; tamen, ut plurimum rudes et fere uxoratos. Tertiam partem, quae potior est, reliqui obtinent Hungari, in qua vix unum vel alterum sacerdotem catholicum invenias. Cum igitur in tota Transylvania, praeter Societatis scholas, nullae aliae catholicæ reperiantur, sacerdotes autem ob defectum episcoporum propagari non possint, facile cum lumine fidei, sacerdotalis quoque linea extingueretur.

Sed, ut ad comitia redeamus, dum haec faciunt, nobilis quidam catholicus Patri Provinciali refert, haereticorum ministros contra Patres et religionem catholicam in templo debacchatos, nullum fuisse, qui responderet, eorumque petulantiam redunderet. Pater, in re tam gravi et iusta minime tacendum ratus, omnia statim utriusque accusatoris puncta notari iubet; et ne quicquam alicuius momenti omitteretur, tribus aliis viris doctis, qui perorantes audierant, accersitis, cum iisdem illa contulit. Post meridiem cibum sumpturus et continuo redditurus, domum venit Trausnerus (hic enim cum Patre ad comitia venerat et eodem cum ipso hospitio utebatur) litteras illi Pater ad regnum dedit, quibus hoc unum, ut ipse quoque eodem die audiretur, petebat. Verum, quia totum illum diem apud Hallerum consumpserunt, nulla dandi litteras occasio fuit. Postridie igitur, qui fuit 14. Decembris, Sanctissimae Crucis Exaltationi dicatus, mane templum ingressus est Pater: ubi ad proceres congregatos per praecipuum quendam nobilem litteras obsignatas misit, quibus illud idem, ut nimis a regno audiretur, exposcebat. Litterae alta voce lectae fuerunt et cum petitionis iustitiam honestatemque agnovissent, annuerunt omnes; et Patri, ut accederet significarunt. Accessit ille, et in summa omnium ordinum frequentia, quae illo die, quo princeps inauguran-

dus erat, solito maior ad templum confluxerat, orationem pro Societatis defensione habuit. Orationis capita summa fuerant ista. Docuit primum, Societatem in Transylvaniam a laudatissimo eius principe ac Poloniae rege, Stephano Bathoreo vocatam, rebusque omnibus ad sua pietatis erga Deum ac proximos rite obeunda munia necessariis instructam, regno universo per comitiales articulos comprobante, a successoribus etiam principibus fuisse conservatam. Deinde eiusdem Societatis homines ita inibi fuisse versatos, ut omnibus semper ex animo inservierint atque in rebus tum divinis, tum ad litterarum studia pertinentibus, pro virili elaboraverint. Postremo iugulavit putidas, iamque millies profligatas pueriles praedicantium argutias, quibus cultum ac venerationem sanctorum haeretici solent impetrare: cum primis autem vitae nostrae innocentiam eam semper extitisse comprobavit, ut fumi instar disparuerint rabularum furiosae vociferationes, quibus nos cladium Transylvanicarum auctores extitisse, calumniouse questi fuerant.

Hora ferme et media, summo omnium silentio atque attentione peroravit Pater: quod sane admiratione dignum fuit, cum consensus maiori ex parte inimicus esset, et propterea illo die tam multa peragenda essent, ut vix tempus sufficeret. Princeps enim inaugurandus erat, cuius inaugurationem non solum ministri concio praecedere debebat, sed etiam hinc inde, ab regni principisque oratoribus perorandum erat. Nec parum temporis solemnitas ipsa iuramenti, quod princeps praestabat, sibi vendicabat.

Auditus itaque attente Pater fuit; sive quia rationum pondus animos, ne vagarentur, continebat; sive quia, ut quidam vir gravis dicebat, nunquam talem agendi formam viderant; sive quia, licet haeretici sint, Patres tamen magis etiam, quam proprios ministros coram venerantur, nec ab illis vulgaria expectant; sive demum, quia Deus hac ratione valebat, ut Societatis innocentia toti provinciae palam fieret. Ne ministri quidem ipsi, tam secunda nuper acclamatione fuerunt auditii, aliquoties enim labente memoria, ex sinu chartam multis diebus elaboratam extrahere cogebantur, nec illam legere poterant, nisi prius perspiciliis nasum munivissent. Ita garriendi et videndi potius auditoribus locum et simul dabant occasionem, ut interpellarentur,

cum aperta proferrent mendacia. Dixit Arianus aliquando, catholicos in litaniis orare solitos, *Sancta Maria miserere nobis*, cui Trausnerus gravi et alta voce, ut omnibus audiatur, hoc falsissimum esse respondit.

Ad concionem porro Patris quod attinet, idem Trausnerus dixit fore, ut regnum rem totam perpenderet, et quod aequum ac iustum esset, statueret. Multum enim Pater oratione sua commovit pene universos. Ioannes certe Petki (Arianorum ferme caput et principi adeo charus, ut eum summo cum imperio Siculis universis praefecerit) se in posterum contra Societatem nunquam locuturum affirmavit, neque defuerunt ex haereticis ipsis, qui, ut illis scripta oratio daretur, valde urgerent.

Ex concione ille etiam fructus consecutus est, quod cum antea catholici fere omnes territi, Societatis partes publice tueri non auderent, iam quasi novae vires accessissent, eiusdem patrocinium magno animi ardore suscipere non dubitarint. Cum enim tertio post die, primores illi, qui, ut supradictum est, articulos scripserant, de iisdem stabiliendis atque ad iam inauguratum principem, ut eos confirmaret, offerendis, in templo ad coetum universum retulissent; tanta de Societate, his articulum contra iam factum infringere, illis eundem tueri conantibus, orta est contentio, ut tota res principis arbitrio relictta fuerit. Quia in re non parum accrebit animus catholicis, quod hostes, qui triumphum cecinerant, de victoria dubios reddidissent. Verum tamen cum Bocskai animum in Societatem inquissum esse non ignorarent, magnificam ex praecipua nobilitate legationem ad ipsum destinarunt. De qua legatione, antequam verba faciamus, nonnulla, quae in templo acciderunt, absolvemus.

Dum ergo de articulis, tum ad Societatem, tum ad alia spectantibus disputatur, accedunt ministri Calviniani, et a regno, ut sibi in civitate Claudiopolitana sua exercitia habere liceat, summis precibus contendunt: Fierine potest, inquiunt illi, ut Christus ab illa civitate adeo proscriptus sit, ut in ea ne minimum quidem angulum, ubi quiescat, habere possit? Iudices opponere se Calvinistis: contra populus Claudiopolitanus acclamare universus. Fremere iudices, sed frementibus illud a quibusdam responsum: merito hoc vobis accidit. Bonos eiecistis, malos ha-

beatis. Merito autem Christi proscriptionem Arianis Calvinistae obiiciunt, de Christo enim apud illos frequentissimae sunt illae blasphemiae; Christum parum curo: auxilio eius renuncio; Patrem amicum, filium hostem habere volo. A Calvinistis in comitiis accusatus est Tordensis<sup>195</sup> minister Arianus, quod pro concione illa verba protulisset: «Etiamsi Christus tantum sanguinis, quantus est Aranyas (hic est magnus fluvius) pro te effudisset, nihil tibi profuisset; quin etiam, si cum moreretur, sub cruce eius fuisses et gutta aliqua sanguinis vestem tuam aspersisset, non solum eam veneratus non fuisses, sed tanquam sordes, ne vestis macularetur, abieciisses.» Fuit et illa improba hominis improbi vox, Christi sanguinem, Hierosolymitanis canibus potius, quam hominum generi profuisse. Verum has Iudeorum potius, quam Christianorum voces relinquamus et ad catholicorum legatos redeamus.

Itaque principem accedunt; orant supplices, ne quidpiam circa Societatem immutet; sed illam in regno, iuxta regni ipsius et aliorum principum decreta, manere permittat: ne si aliter fiat, nobilitas Transylvana patiatur. Catholicos quidem, si cum omnibus haereticis componantur, pauciores esse; si cum singulis sectis et numero, et familiarum splendore antecellere: qui quando provinciae minima pars non sunt, nec aliorum turbant religionem, ab aliis suam turbari, iure optimo eos conqueri.

Summa verborum et sententiarum gravitate peroravit David Veres, vir prudens et doctus, Bathoreis notissimus, qui et a primis annis in Polonia cum Balthasare, Stephani regis nepote, catholice educatus, diligentissime semper religionem conservavit. Ea oratione se valde commotum esse princeps dissimulare non potuit: id enim vultus et tota oris compositio significabat. Dolere se autem vehementer, quod cum alias, quando provincia quamplurimis sapientissimis viris prudentissimisque senatoribus florebat; in articulum, de cuius renovatione disputabatur, universa consensisset, modo qui nec numero, nec rerum cognitione cum iis comparandi erant, inter se tantopere discrepant. «Et cum, inquit, Societas revocaretur, ego ne illi decreto interessem, e consessu comitali discessi. Atqui temporum, inquit David, differentia nobis valde perpendenda est. Cum Societas ablegata fuit, provincia summa pace

fruebatur; hostes nullos, amicos habebat quamplurimos: at in praesenti durissimo bello ardet; hostes multos, paucissimos habet amicos. Quod si Societatem eiiciamus, vendum est, ne contra nos christianorum principum omnium, qui eandem cum Societate religionem colunt, arma convertamus. Quare omnia quidem prospera et felicia tibi et regno optamus, precamurque. Verum, si hac de causa aliquid gravius (quod Deus avertat) acciderit, id quidem nos praevidiisse; at ne praecaveremus, aliorum culpa factum, omnibus testatum esse volumus.» Tum princeps rem sibi cordi fore, utque illa quantum fieri posset, promoveretur, futurum affirmans, eos dimisit. Sed eventus aliud ostendit. Enimvero, quia Societatem nec pellere audebat, nec sua auctoritate confirmare volebat; et tamen regni propositio alterutrum postulabat, homo callidus, ut ex huiusmodi scopolis enavigaret, et hoc, et alia silentio involuta, in aliud tempus censuit differenda. Nam et regnicolae, a principe, quid responsi ad articulos, pridie ad illum missos daret, expectabant, quibus denuntiari mandavit princeps; se, ut in Hungariam sine mora advolet, urgeri: omnia quidem ex sententia succedere; attamen personam suam ibi desiderari; quippe, qui medius inter utrumque imperatorem, ut pacem conciliet, gentique Hungaricae consulat, fuerit constitutus. Ipsos autem res difficillimas, quarum expeditio multum temporis requirat, proposuisse. Se quidem, quod eorum expectationi satisfacere non posset, graviter molesteque ferre; verum uti totum parti, sic Transylvaniae Hungariam paeferendam esse. Quod igitur non ex voluntate originem traheret, sed ex necessitate, id eos, ut aequo animo ferrent, per communis patriae salutem, etiam atque etiam rogare, Deum daturum, ut brevi rebus Hungaricis, quarum ex eventis Transylvania pendet, bene constitutis, ad eos rediret, comitia cogeret, meliori cum commoditate omnia componeret. Provincia interim, in quo statu eam reppererat, permaneret; nullus in ea quicquam prorsus immutaret. Res quidem nova fuit, non tamen mira visa est iis, qui consilii consciit erant Bocskaiiani.

Retulit aliquando Sigismundus Rákóczius, Bocskaium, dum in provinciam veniret, adeo totum in hac una Societatis exturbandae cogitatione defixum fuisse, ut nihil

aliud diu noctuque cogitaret; de nulla alia re loqui posse videretur, quam ut quomodo sacrilegi voti sui compoſ fieri posset; prorsus ac si propter hoc unum Transylvaniam sibi occupandam statuisset. Cum igitur, quod in primis post subactam provinciam optarat, non obtinuisset; reliqua eum contempsisse affirmabat Rákóczius; atque conflictis causis, ne quidquam in comitiis statueretur, constituisse. Nostri porro cum in eo dexteram Domini virtutem fecisse agnoscerent, ut praeter omnium opinionem, Societas adhuc in Transylvania permaneret; pro accepto beneficio singulares Deo, ut par erat, gratias egerunt.

Paucis post diebus discessit Bocskai in Hungariam relicto provinciae gubernatore Sigismundo Rákóczio, magne Hungaro et principe suo consiliario; qui cum Albam Juliam ibidem mansurus profecturus esset, ne Calvinistae, quos ipse veneratur, occupato iam summo templo, nostrum vel collegium, vel templum, vel utrumque nostris absentibus invaderent, illuc statim se contulit Pater Viceprovincialis cum quatuor e nostris, quos etiam ibidem, ut concionaretur et scholas aperirent, sicuti fecerant alias, reliquit. Ipse vero in reditu ex Gerendiensi exilio, reliquos Patres secum in Monostor adduxit, ubi diebus festis magna ex civitate confluente virorum foeminarumque multitudine, conciones sunt continuatae. Et quidem in ipso Christi nati pervigilio tam multi, ut sacro media nocte celebrari solito interessent, ex civitate ad Monostor venerunt, ut vix iis hospitio accipiendis sufficeret pagus. Hora autem destinata, locum satis amplum, ubi et sacra et conciones habendae, compleverunt. Templi enim nullus usus, cum eius tectum superioribus annis fulmine percussum conflagravit; fornix autem magna ex parte corruerit; neque postea propter bellicos tumultus refici potuerit. Per illos etiam dies, magna confitentium, communicantiumque frequentia fuit.

### Collegium Albense.

**P**OSTQUAM ad partes Bocskaianas civitas defecit, Haiduci in eam frequenter irruentes, saepius a collegio nostro muneribus placandi fuerunt. Quia vero magister ille noster per idem tempus graviter aegrotare cooperat, Pater Viceprovincialis, ne hominem amitteret, egit cum

Sarmasagio, ut eum in Gerend, ad valetudinem recuperandam admitteret. Est autem Gerend, si non nihil a recta via declinetur, in medio fere inter Albam et Claudiopolim itinere. Sarmasagius illico aliquot famulos suos viros nobiles, qui illum Alba ad se deducerent, expedivit.

Discessurus noster collegium commendavit tum famulis nostris, tum parocho, tum etiam bono cuidam viro, qui ante multos annos a nostris conversus, ex haereticorum ministro factus est concionator catholicus. Sacerdos quidem ob uxoris impedimentum fieri non potuit, sed tamen semper sive in nostris, sive in aliis catholicis pagis concionandi munus explevit. Hic ergo in collegio mansit; tum, ut rerum nostrorum curam haberet, tum ut parochum, si opus fuisset, ob onere concionandi sublevaret. Parochus, cui diximus commendatum collegium, ita ad nos venit.

In interiori civitate duo sunt templa: nostrum, et alterum olim episcopale, nunc parochiale. Hoc autem cum rebus omnibus spoliatum esset, misereque deformatum, non erat quidem in usu, quia parochus omnia in nostro peragebat, in potestate tamen catholicorum erat. Templum hoc principis auctoritate catholicis ademerunt Calvinistae, qui in civitate concionari et scholas aperire coeperunt, parochumque, ut e domo parochiali migraret, coegerunt. Qui quidem non e domo solum, sed ex civitate ob pericula, quae cum illi tum catholicis imminebant, saepius emigrasset; nisi semper ita Deo disponente, fuisset impeditus.

In collegio igitur nostro mansit, donec illuc nostri redirent. Lepida res accidit aliquando illi, nam cum litteras, in quibus de haereticorum ministris conquerebatur, ad Patrem Viceprovincialem dedisset; litterae ad ipsorum ministeriorum manus pervenerunt. Cum ergo tum in aliis, tum maxime in eo offensi essent, quod illos haereticos appellasset, eum ad senatum Albensem, ut puniretur, detulerunt. Lectae in senatu litterae, iam de sacerdote capite plectendo agebatur; sed sacerdotis partes suscepit Iacobus quidam Litteratus, vir in civitate facile primus; qui licet haereticus sit, naturae tamen facilitate et in bonos propensione catholicos amat; eorumque partes, si quando opus est, tuetur. Hic igitur sacerdotem defendit hac ratione. «Neminem, inquit, vestrum latet, Regium iudicem

Cibiniensem<sup>196</sup> tanta esse doctrina et prudentia ornatum, ut eius auctoritas, non solum apud suam, id est Saxoniam gentem, oraculi instar sit, sed apud nostram quoque, hoc est Hungaram, plurimum valeat. Ille igitur cum nuper suas ad principem dedisset litteras, eaeque casu quodam ad manus meas pervenissent: in earum superscriptione principem ab eo heroëm appellari animadverti. Iam vero cum ab heroë haeretici deducantur; si principem illi heroëm appellare licuit (uti sine dubio licuit) aliis quoque, nos eius subditos haereticos appellare licebit.» Hoc uno argumento victus sapientissimus ille senatorum consessus, sacerdotem Latine proprieque locutum pronunciavit. Quam sententiam cum nescio quis, qui aliis doctior videri volebat, improbaret, fortissimo eandem argumento confirmavit iuvenis quidam, cum enim Calepinum protulisset et ex eo haeresim electionem significare docuisse. «Si vos, inquit, vestram religionem libere et non coacte elegistis; quis illam haeresim appellandam inficietur?» Hic ille conticuit et tandem cum aliis sententiae subscrispsit.

Absolutis comitiis Mediensibus, Albam Patres redierunt: tam in templo, quam in scholis, Societatis ministeria restaurarunt. Accidit vero hic, quod Claudiopoli alias accidisse diximus: multi enim cives temporis magis servendum, quam Deo parendum censentes, ad vomitum reverterant. Illorum tamen loco, alii suffecti sunt; ac inter eos insignis quidam nobilis, cum uxore a Calvino ereptus, per sacram confessionem Christo est restitutus. Sed instar omnium fuit gubernatoris uxor:<sup>197</sup> foemina, ut genere nobilis, ita educatione catholica et pietate prorsus singularis. Haec quotidie est in templo; omnia sacra, conciones omnia audit, frequenter confitetur et communicat; magnas eleemosinas facit et charitatis officiis omnibus antecellit. Vix dies transit, quo nostris benevolentiae et charitatis signum aliquod non exhibeat. Et quia maritus illam, ob virtutem et nobilitatem singulariter amat et observat, inde fit, ut nostri rerumque nostrarum ratio habeatur. Si aliquid nobis accidat, in quo gubernatoris benevolentia et auxilio sit opus, satis est uxori indicare; et vero omnia pro voto impetrantur. A marito illa, ut in Nativitatis peregrinatio tota aula a carnibus abstineret, ipse vero etiam ieiunaret, obtinuit.

ANNUS 1606.

## Viceprovincia Transylvanica.

**D**OST dies festos, ineunte anno 1606, sacerdos ad nostros pagos ivit, conciones habuit, confessiones audivit, angelorumque panem distribuit. Adeo autem simplices illae animae ad pietatem excitatae sunt, ut laboribus relictis, totos dies in templo fuerint; cum tamen tantum frigus esset, ut eo homines obrigescerent. Vix ullus fuit, qui animam confessione non expiarit. Et cum in uno pago tres a confessione se subtraxissent, veniam rogarunt, seque non subterfugiendi, sed melius parandi gratia, id fecisse affirmarunt, nam a multo tempore confessi non erant.<sup>198</sup> Sacerdos in uno e tribus pagis, in quibus laborabat, amplius centum (quod in Transylvania miraculi instar esse potest) pane coelesti recreavit.

In Paschate magna similiter in Monostor frequentia fuit. Ipso die Resurrectionis, in concione numerati ex civitate circiter mille. Adfuerunt etiam nobiles multi, quorum aliqui, ne sacro illo tempore sacris privarentur, diei unius biduive itinere ad nos confluxerunt. In pago ipso, a dominica Palmarum ad tertium usque post Resurrectionis diem, fuerunt nobilissimae aliquot matronae, quae etsi in vicina civitate domicilium habent, frequentesque ad nos religionis causa veniunt; ut commodius tamen toto illo tempore sibi et Deo operam dare possent, rusticannis hospitiis contentae fuerunt; ut nimirum humiles, in humili loco, humilem Christum facilius invenirent. Duo etiam insignes viri, Franciscus Vas et Lucas Trausnerus, per illam maiorem hebdomadam, magna apud nos cum diligentia, maiore etiam fructu, primae hebdomadae exercitia peregerunt. Quorum primus, quasi ex hac vita sibi migrandum esse praevideret, ut sibi apud nos eo tempore esse liceret, summis precibus, per litteras a Patre Viceprovinciali petierat, orationes suas acuit non solum debita ciborum abstinentia, sed alia etiam voluntarie assumpta corporis castigatione. Absolutis exercitiis factaque confessione et communione, totos illos dies festos nobiscum esse volebat; sed adventante nuncio, qui affinem ipsius Melchiorem Bogáthi in oppido Radnót in extremis laborare asserebat,

die Martis post Pascha<sup>199</sup> ad eum summa cum celeritate profectus est, ut illi in ea necessitate adesset, in spirituilibus iuvaret; et si tempus vel opportunitas permisisset, Patres ad eundem accerseret. Statim atque illuc pervenit, cum aegroto de salute animae agere coepit, cum ab eo ad aliam domus partem divertisset, vehementissimo repente morbo correptus mortem sibi adesse cognovit. Ergo uxorem<sup>200</sup> ex arce sua evocat. Accurrit illa et fratrem iam Melchiorem mortuum, maritum de vita desperatum offendit: qui non prius alia de re cum ipsa se acturum affirmavit, quam iureiurando promisisset curaturam, ut catholice (est enim haeretica) in templo nostro Monostoriensi sepeliretur. Quod illa et promisit, et diligenter praestitit. Patrem etiam Viceprovincialem per quendam catholicum salutavit, eique nunciavit se quieto animo esse: quia res suas in Monostor composuisset. Et vere composuerat, cum enim pridie quam inde discederet, cum eodem Patre, qui illum exercuerat, de modo se a peccatis praeservandi ageret; inter alia «Me moriturum, inquit, scio: horam ignoro, sed operam dabo, ut quacumque hora mors vennerit, me paratum inveniat.» Ab eo tempore vix octavum attigit diem. Et quia generalia comitia Claudiopoli celebabantur,<sup>201</sup> provinciae gubernator, magna nobilium comitante corona, funus ad Monostor deduxit, die post dominicam Resurrectionem decimo quinto.<sup>202</sup> Nos igitur cum nobilibus catholicis et aliis quamplurimis, qui apud nos erant, obviam ad fines usque processimus et more catholicō, facibus, quas nobiles catholici ferebant, funus instrutum, in templum comitati sumus: ubi a sacerdote nostro demortuo et morte concio habita est; qui cum gubernatore, tanta omnium ordinum frequentia interfuit, quantum generalis ipse regni conventus praestare potuit.

Quia de comitiis mentionem fecimus, illud addemus; eo tempore facta fuisse, ut regnum ipsum responderet articulis, quos de pace Bocskaius sibi a Caesare oblatis, ex Hungaria miserat, ut provincia ea in re sensum voluntatemque suam explicaret. Comitiis praeerat Trausnerus, qui etiam cum Sarmasagio, legatus a nobilitate ad principem delectus erat. Iam comitia dissolvenda erant, quando ad Sarmasagii Trausnerique aures pervenit fore, ut de religione ageretur. Coram gubernatore ergo protestati sunt,

si contra religionem catholicam agendum fuisse, se nulla ratione legationem obituros, etiamsi id vita redimendum fuisse. Iuravit gubernator de religione ne verbum quidam futurum; nisi forte de Arianis blasphemis, de quibus imperator expressam fecisset mentionem. Paulo post regnum de more convenit. Hic pars adversa articulum obtulit, ne ulli animarum pastori, bona in Transylvania possidere liceret et pro ratione antiquum testamentum attulit; cuius sacerdotes, optimi illi theologi nunquam bona possedisse affirmabant. Nobiles catholici sese opposuere, nec ulla ratione se hoc permissuros asseruere: nam cum praeter Societatem nulli alii bona possiderent (proventus enim suos alii ex certa quadam decimarum quota habent) manifestum erat, articulum illum, in odium Societatis et catholicae religionis esse excogitatum. Hic etiam Trausnerus suo et collegae nomine (qui ut ad iter se pararet, ad arcem suam concesserat) quod coram gubernatore protestatus fuerat, de religione in facie quoque provinciae protestatus est. Quare articulus ille deletus est. Cum iam nonnulla pace et quiete fruerentur Patres, ut cum singulari spiritus renovatione, animos suos arctiore charitatis vinculo Deo copularent, exercitia peregerunt: rerum omnium externarum cura in uno collocata, qui tamen etiam, post alias eundem fructum percepit. Ac licet Iubilaeum, cuius vix nomen audierant, conditiones ignorabant, assequi non potuerint; non tamen defuit indulgentia illa, quae Societati superioribus temporibus, pro missionibus concessa fuit et ante duos annos renovata. Sed de missionibus postea.

Hisce ergo absolutis, cum Pater Viceprovincialis, postquam Albae eadem aliis exercitia tradidisset, ad Monostor ob alia negotia properaret, Enyedini apud quendam Pellionem,<sup>203</sup> virum bonum, catholicum et amicum pernoctavit, et mane de more, in loco decenti, antequam discederet, celebravit. Sacro interfuerent duo, qui soli in toto oppido sunt catholici; hospes et alter quidam vitriarius. Hoc non latuit Calvinianum superintendentem, qui ibi, velut in Calvinistarum metropoli residet; et est ille, qui in comitiis Medgiesiensibus, uti suo loco dictum est, contra Societatem egit.<sup>204</sup> Die igitur dominico sequenti pro concione, in duos illos catholicos (cum tamen pellionis uxoris propriae ipsius uxoris sit soror) adeo populum concitavit,

ut concio tota furore incooperit; et ut catholicorum domos invaderet, duce ministro, extemplo sese proripuerit. At oppidi iudex, vir prudens et Patris Viceprovincialis certas ob causas observans, cum praecipuorum nonnullis plebem antevertit, neque permisit, ut ullus ex arce (templum enim patriae more intra arcis moenia continetur) egredetur. Atque, ut commodius seditionem sedaret, per suos nuncios catholicos accersivit. Erant illi simul in domo Pellionis, singulis diebus festis concionis tempore convenire soliti et pellio, qui legere novit, pios quosdam in Evangelio, sive commentarios, sive conciones (postillas appellant) audiente altero, percurrebat. Cum ergo vocati, ad portam arcis pervenissent et frementem illam turbam non sine admiratione conspexissent, iudici sese praesentarunt. Ibi minister eos arguere coepit, quod domi Patres receperissent. At Pellio ad iudicem conversus «Tum tu, inquit, illos ad me divertisse non ignorasti (quia et foenum ipse dederat) si ergo hospitium illis dare non licebat, cur me non monuisti? Monitus enim aliud forte cogitassem.» Cui iudex «De hospitio, inquit, non est quaestio, nam et ego eos, si ad me venirent, libentissime exciperem.» Subdidit minister: «Ego quoque libenter domi meae haberem; mallemque, ut ad meas quam ad tuas diverterent aedes.» — «Scilicet, inquit Pellio, adeo illos amas, ut in illorum fronte perticeas perfringeres nuces (Hungarici proverbii venustatem hoc habet) verum, si hospitium illis dare mihi licuit, quare in me tantam procellam excitastis.» Ad haec minister, quia idololatriam exercere non licuit «Quod cum tu permiseris, a peccato non excusaris: et propterea dignus es, qui puniaris.» Tum Pellio «Non sunt, inquit, Patres sicut bruta animalia, qui comedant et bibant, et nihil de Deo cogitent: divino illi servitio sunt mancipati. Quae ergo humanitas esset mea, si illis hospitium darem, eorum autem religiosa officia perturbarem? Ut sacrum facerent permisi, et in posterum permittam; quis me prohibeat? Semel mihi moriendum est: sed nimirum felix sim; si quod naturae debeo, Deo persolvam.» Haec homo ille, et genere humilis, et aspectu contemptibilis, et quod caput est, inquelinus; tanta cum libertate protulit, ut iam adversarii non tam irascerentur, quam animi magnitudinem admirarentur. Quamobrem minister alio deflectens

«Non tam, inquit, tibi succenseo, quam socio tuo; qui cum ovis mea esset, ab ovili meo ad catholicorum gregem transivit». Ad haec socius: «Absit, inquit, ut unquam ovis tua fuerim; utinam te nunquam vidi sem: non enim diaboli laqueis irretitus essem, sed spero fore, ut quibus modis me illaqueasti, illos brevi solvat ipse Deus: illum enim rudem et fere inter Turcas educatum, minister cum foemina quadam, viro adhuc superstite, matrimonii vinculo seu potius adulterii scelere innodaverat: ille postmodum a Patribus veritatem edoctus, de illa dimittenda cogitabat.» Verum enimvero non ista causa sola fuisse existimatur seditiosi huius tumultus, quod Pater ibi tunc celebrasset; alia, et sane fortior asserritur. Etenim post Pascha gubernator Alba Claudiopolim una cum uxore ad comitia, sacerdos etiam noster, qui tunc Albae concionabatur, in ipso gubernatoris comitatu ad Monostor pergens, cum pernoctassent Enyedini, mane — quia erat dies dominicus — gubernatoris uxor Patrem rogavit, ut sacrum et concionem haberet; quod ipse in hospitio suo fecit. Ita dum gubernator ad haereticam concionem vadit, uxor ipsius ad catholicam se confert. Res fuit notissima. Quamobrem cum bonus ille minister equum, quod est in proverbio, percutere non posset, ephippium verberare voluit; populumque, quem seditiose contra principes viros movere non poterat, contra innocentes illos duos pauperes malitiosissime concitavit.

Interea cum legati Transylvani Cassoviam pervenissent et Trausnerus, Sarmasagius et Kendius (qui pro consiliariorum ordine legatione fungebantur) apud principem essent, cum illis de Societate graviter conquestus est Bocskai. «Cum vos, inquit, vere catholicos esse non ignorrem, sciatis velim, Patres contra me aliquid machinari, meque eorum litteras interceptas habere.» Deinde Trausnero «Moneas, inquit, illos, ut a scriptitando abstineant; neve mihi occasionem ab amicitia discedendi praebeant. Illos ego quietos conservo; illi quiescere non possunt?» Cui Trausnerus «Actutum faciam. Verum non possum non vehementer mirari. Perspectissimum enim habeo, Patrum consilia, ab huiuscemodi rebus esse alienissima: quid si litterae illae, non ab ipsis scriptae, sed ab aliis malitiose fuerint confictae?» Est, ait Bocskai, ut dixi; sed ad alia

transeamus. Ea igitur de re moniti Patres; cumque antea semper ab iis scribendis, quae ad publica negotia spectarent, abstinuissent, et in caeteris quoque parcissimi fuissent (siquidem magnam suarum litterarum inquisitionem fieri non ignorabant) deinceps ne vel minimam suspicionis umbram darent; ab omnibus omnino, necessariis etiam atque privatis abstinere coeperunt. Inde factum est etiam, ut fasciculus, in quo Reverendi Patris Generalis, et Patris Provincialis, aliorumque litterae colligatae erant atque per Patrem Provincialem Poloniae mittebatur, in Hungaria veniret ad manus cuiusdam nobilis amici nostri, qui quia tunc litteras transmittere nobis non tutum, retinere autem sibi periculosum iudicabat, eas omnes exussit; seque hoc fecisse, postea per amicum Patri Viceprovinciali denunciavit. Quod sane illi gravissimum fuit: nec enim a multo tempore iam litteras ulla a suis acceperat superioribus. Iam quod spectat ad comitia Cassoviensia, illud unum ad rem nostram facit, quod cum Hungari Societatem in Hungariae regno extinguere vellent, hocque inter conditiones, Caesari pro ineunda pace offerendas referrent, instarentque, ut Transylvaniae nomine, legati Transylvani in hoc negotio secum consentirent; illi non solum non assenserunt, sed sibi nihil cum illis quoad religionem, commune esse testati sunt; atque ea de re Transylvanorum consilia, ab Hungarorum consiliis longe diversa esse confirmarunt. Redeamus in Transylvaniam.

Iuvenis quidam, annos viginti circiter natus, patria Siculus et religione Calvinianus, e Claudiopolitana Ariano rum schola, paucis diebus veritatem edoctus, rogavit Patres, ut sibi animum a mundi tumultibus colligere liceret; adiit igitur pia exercitia: ab exercitiis confessionem fecit generalem. Illum imitatus Ariani superintendentis filius, semel atque iterum ad nos venit: quam etiam ob rem in scholis ipsis, tanquam in carcere erat inclusus; a Patre liberatus, saepius ad nos ventitabat. Iam ad baptismum se praeparabat, quod cum parens animadvertisset, eum ad partes prorsus haereticas ablegavit, propterea, quod civitatis iudex eum capere et propter religionis suspicionem acerbius aliquid in illum decernere cogitaret. Sed iuvenis prudens ac piorum librorum (quos in collegii excidio rapuerat) studiosus, maxime vero in Beatam Vir-

ginem propensus, tertio post mense rediens, a nostris rite baptisatus, religionem catholicam perpetuo se conservaturum promisit. Adiutus etiam est sacerdos ex Sicilia, qui non absque gravis animae suae et aliorum periculo, multos iam annos pastoris officium se tractasse agnoscerebat.

Pagos nostros Pater ipse Viceprovincialis (quod alias deesset) diebus festis adiit cum uno fratre, ibique fratre concionante sacris operatus est.

Templum Monostoriense ante aliquot annos fulmine, ut diximus, tactum, hoc anno instaurare coepimus, mirantibus multis, quod cum incertum esset, an in provincia mansuri essemus, huiusmodi tamen sumptus faceremus. In eo praeter caetera statuimus paeclaras iconas Beatisimorum Patrum Nostrorum Ignatii et Xaverii. Opus universum illo die absolutum est, quo anniversaria Beati Ignatii obitus memoria recolitur. Quia vero Monostor residentiae potius aut missionis, quam collegii formam habet, inde missionum veluti initium fecimus, quas deinceps hac ratione prosecuti sumus. Duo e nostris ad Sarmasagium in Gerend missi, ubi et quos antea converteramus confirmarunt; et alios de novo ex eodem et vicino etiam pago catholicis adiunxerunt. Ad pagos etiam nostros, quia ad alia loca non patebat aditus, convertimus industriam. Missionis erat iste modus. Uno in loco, tres quatuorve dies manebamus.

Mane rustici, antequam ad labores exirent, dato campanae signo, ad templum conveniebant: ubi sacrum et concionem audiebant; vesperi cum redirent, iterum concio habebatur. Interdiu vero sacerdotes confessionibus audiendis operam dabant; et frater unus, rudiores modo privatim, modo in circulo erudiebat. Dies aliquis festus dicebatur pro generali confessione. Accessit opportuna sacerdotis Siculi opera, qui se quoque huiuscemodi exercitiis, ad animarum salutem procurandam animari sentiebat.

Iuvenis quidam in iis Hungariae partibus, quae sub Turcarum ditione sunt, honesto loco natus, uxorem duxerat; quo facto, adeo iram cuiusdam foeminae, cuius filiam recusaverat, excitavit, ut miserum iuvenem diabolis artibus in eum statum deduxerit, ut ob continuas daemonis infestationes, eum iam vivere taederet. Quare

insano errore delusus, Cacodaemonem invocat, eique corpus et animam dedicat. Ergo furiis agitatus, uxorem in campum blande evocat, eamque honesto loco natam, naribus amputatis turpissime foedat. Illa domum rediens coelum clamoribus implet. Parentes accurrunt: re intellecta, armati iuvenem petunt. Ille fuga sibi consultit, et huc illucque aberrans, tandem malo daemonis consilio, laqueo collum inserit, seque ex arbore suspendit; sed rectis rumpitur. Atqui ipse a daemonibus caesus, semimortuus relinquitur. Itaque coniugis cognati, qui illum ad mortem persequuntur, hominem inveniunt illaqueatum, terrae allisum, anhelantem, prorsus cum morte collectantem. Quare, suspiciati quod erat, iram in misericordiam mutare, iuvenemque solari: qui tandem quasi reviviscens, rem totam aperuit. Domum itaque delatus est: et ne manus sibi inferret, vitae custodes adhibiti. Sed ille saepius a daemone illusus, custodes illusit; duodecies enim fune trabibus alligato se suspendit: semper tamen vel funis fractus, vel a domesticis incidentibus liberatus fuit. Semel etiam clibonum pro panibus coquendis accensum, manibus pedibusque repens ingressus est; ab igne tamen praeter superciliorum ambustionem illaesus, non sine magna Dei misericordia abreptus est. Consulti sunt pro huius salute praedicantes haeretici; verum cum nulla sit salus apud ipsos, nullam dare misero potuerunt. Quare tandem inspirante Deo, ex longinquis illis partibus ad Monostor venit, ipso die Beato Patre Ignatio sacro cum sacerdote nostro egit; a quo multorum dierum spatio, in veritate catholica eruditus, generali confessione totius vitae maculas detorsit: ac Deo bene iuvante, sanitatem mentis consecutus, e daemonis est faucibus liberatus.

Autumno iam inito, Albense collegium invisendi Patri Viceprovinciali, litteras a Bocskai reddidit Gabriel Hallerus, eiusdem Bocskaii affinis, ac reddituum omnium in Transylvania administrator; thesaurarium vulgo appellant. Litterae erant irarum minarumque refertissimae, quibus imperabat, ut intra quintumdecimum diem ex omnibus totius provinciae locis, nominatim vero ex Alba Julia in claustrum de Kolosmonostora Beatae Mariae Virginis nostri sese conferrent, a decimoquinto die, Pater Viceprovincialis cum concionatore Ungaro Cassoviam ad principem pro-

fici scerentur, ubi coram ex ipsomet principe de nostrorum statu futuro cognoscerent.

*Reverendis ac honorabilibus Ioanni Argento Societatis Jesu in Transylvania rectori, ac Georgio Káldi, caeterisque sacerdotibus catholicis, passim in Transylvania constitutis etc. Nobis dilectis.*

Stephanus Dei gratia Hungariae Transylvaniaeque princeps ac Siculorum comes etc.

Reverendi et honorabiles nobis dilecti. Salutem et favorem nostrum. Significandum vobis per praesentes duximus, certas quasdam et occultas machinationes, quibus publicam patriae quietem haud mediocriter turbare niteremini, manibus vestris esse deprehensas, propter quas verendum est, ne ob vehementem regnicolarum, quos vestra inquietudine ab initio multoties infensissimos vobis reddidistis indignationem, etiam nobis insciis et invitis, certa clades vos maneat. Volentes benigne vitae ac permansiōni vestrae consulere, ne forte pernicieī, si contingeret, causa minus iusta a christianis principibus nobis inureretur, Devotiones Vestras serio praemonendas esse voluimus, ut spatio quindecim dierum ab exhibitione praesentium computando, universos et singulos vestrae sectae, ordinisque vestri Jesuitici socios, publice vel privatim eam professionem tenentes, sive sub privatis, sive sub publicis patronis constituti fuerint, undecunque intra ambitum regni nostri Transylvaniae existentes, signanter autem Alba Julia, oppido Udvarhely et castello Gerend, aliisque locis omnibus, ad illud, quo nunc degitis claustrum de Kolosmonostora Beatae Mariae Virginis, publico edicto convocetis, et ut intra limites eiusdem se pacifice contineant, nomine nostro omnibus iniungatis. Scientes, si qui eo se ex mandato nostro contulerint, secure resolutionem nostram et dominorum regnicolarum de conditione vestra exspectaturos. Aliis vero id praestare negligentibus, si quid sinistri, post praefixum terminum evenerit, immunes nos et innoxios ob eorum molestatione et damnificatione, ac sanguine futuros. Post praescriptum autem diem quindecimum et congregationem sociorum vestrorum procuratam, vos ambo Reverendi Ioannes Argenta et Georgius Káldi ad nos huc Cassoviam conferetis. Quod, ut securius faciatis, litteras nostras salvi conductus cum praesentibus simul accipietis et de tuta comitiva per dominum gubernatorem sedulo vobis ubique providebitur. Coram ubi adveneritis, certius de vestra conditione statuentes et consilentes. Secus sub praemissa tutela nullo modo facturi.

Datum ex libera civitate nostra Cassoviensi, 20. mensis Septembris. Anno Domini 1606.

Stephanus mpr.

Simon Péchy mpr.

Pater iis lectis, dum de quibusdam cum eodem Hallero conferret, nihil Hallerus ipse de machinationibus, quarum in litteris fit mentio, se intellexisse iureiurando ultro affirmavit; cum tamen, ut suo loco dicetur, ipsem et earum auctor meritissimo iure existimetur. Pater tum

propter itineris securitatem, tum ne timere videretur (qua in re amicorum etiam consilium secutus est) praefixum tempus praevenire potius, quam praeterire volens, Albensia componere coepit. Ea in re adiutorem optimum ipsum Hallerum habuit; ex cuius mandato provisor Albensis bona omnia sequenti die ita occupavit, ut neque res, quas in pagis habebamus, efferre, nec pecunias, quas subditis mutuas dederamus, exigere possemus. Illis enim, ut nobis honorem quidem, nulla tamen in re obedientiam praestarent, mandatum erat.

Venit hoc ad aures gubernatoris, qui ut nobis nostra ex pagis efferre permitteret, provisor mandavit. Dedit iste ea de re litteras ad hominem, quem in pagis collocauerat. Verum, quia nos postridie discessuros intellexerat, aliis litteris priorem commissionem revocavit, nec vel currum rusticatum, quem nobis usque ad Monostor concesserat gubernator, dari permisit; ut nimirum hac ratione Patribus gratiam referret, a quibus semel a suspendio liberatus fuerat. Cum Hallerus hoc tempore ageret cum gubernatore, diceretque illi gubernator, melius facturum principem, si in illa sua infirmitate (erat enim rumor, eum ex morbo, quo laborabat nequaquam convalescere posse) de anima sua cogitasset et Jesuitas in pace reliquisset. Respondit Hallerus: Immo, quia in eo statu est, antequam decedat, Transylvaniam a tribulis expurgare statuit. Gubernator autem, etsi religione dissentit a nobis, tamen, quia est aequitatis amans, hoc factum reprehendit, pro quo, eundem cum uxore lachrymatum esse, ipsamet uxor Patri Viceprovinciali affirmavit.

Discessit igitur Pater cum reliquis, relicto collegii templique custode, antiquo Patrum famulo, viro fidi et pio. Hic quotidie templum aperiebat, catholici diligentius quam nunquam veniebant; devotas ad Deum preces fundebant: diebus festis tamdiu genuflexi in silentio orabant, ut solitum tam concionis, quam sacrorum tempus explerent. Sed Patres prosequamur, qui eo die ad Sarmasagium in Gerend; inde postridie ad Monostor pervenerant; ubi rebus, ut tempus ferebat, constitutis, die 14. Octobris Pater Viceprovincialis in Hungariam cum socio Patre discessit.

Pro duce itineris dederat illis gubernator Franciscum Eőz,<sup>205</sup> virum nobilem, catholicum et ipsius gubernatoris

familiarem. Is cum propter negotia quaedam, eo die discedere non posset, sed se postridie eos assecuturum promitteret: praecesserunt Patres, quos trium dierum itinere comitatus est Sarmasagius, qui ea occasione possessiones, quas in Hungaria habet, perlustravit. Quia vero diverso rectiore que itinere sequebatur ductor, eos antecessit et arduum montem, qui Meszes appellatur, quique Transylvaniam ab Hungaria dividit, superavit. Patres autem serius iter aggressi, montem eo die transire minime potuerunt; quare in quodam Valachorum pago pernoctandum fuit. Intellectum est postea, latrones quosdam triduo in sylvis Patres, ut eos spoliarent, expectasse; quos quidem feliciter evaserunt, vel quia magno facto ambitu, insolitum iter fecerant, vel certe, quia multos equites, et ipsum Sarmasagium videntes, e latebris exire ausi non sunt.

Reliquum iter, etsi per loca periculosa, tutum tamen fuit. In pago Cassoviae proximo manentes, ductorem prae-  
miserunt, qui principem de eorum adventu moneret. Ex eo multa percunctatus<sup>206</sup> est princeps; postea vero quam Patribus eo die in eodem pago manendum esse dixisset, iudicem civitatis vocavit; cui, ut Patribus de commodo honestoque hospitio provideret, mandavit. Negante iudice Patres Societatis in civitatem admitti debere. «Aliud, inquit princeps, fieri non potest. Eos ego vocavi: triduo hic mansuri sunt. Tu igitur de hospitio provideas. Quod cum feceris, renuncia mihi, ut videam, an commodum delegeris et honestum.» Interea se Patres parabant etiam ad extrema, pro innocentia et religione ferenda. Fuerant enim a primariis quibusdam viris moniti, cum illis severissime actum iri. Quam opinionem confirmavit ipse quoque ductor; cui dixerat princeps, supra hominum cogitationes esse ea, quae machinati sunt Patres. Verum omnium opinionem fefellit eventus. Nam cum die insequenti (fuit 22. Octobris) civitatem ingressi essent Patres, eoque die quievissent, postero die mane ad eos misit suum aulae praefectum Petrum Szokoli, qui suo nomine non solum eos honorifice salutaret, sed ad colloquium invitaret.

Iverunt Patres et eum in lecto decubentem invenierunt. Is tanta vultus et gestuum hilaritate, verborumque humanitate eos exceptit, ut non homines sibi inivos, sed charissimos amicos excipere videretur. Illi exposuit Pater,

se in Transylvania eius litteras accepisse, et quicquid in eis mandatum erat, executum fuisse: iamque ad ipsummet, ut eius voluntatem intelligeret, accessisse. Bocskai ad socium Patris conversus «Intellexi, ait, quod dixit Pater: at quia Latine respondere nequeo, tu charissime frater, dicas illi (quod ipse fecit) mihi gratum accidisse. Caeterum memineri<sup>207</sup> ipse, quantas difficultates anno superiore per pessus fuerit, cum essem in Transylvania; quas omnes hactenus ita sopivi, ut toto hoc tempore nihil molestiae sitis passi. Iam vero scitote, me gravissimas ob causas vos huc advocasse; quas tamen ego vobis non aperiam; sed eas, ut ex consiliariis meis intelligatis, volo.» Per Georgium igitur Szécsium, qui praesens erat et consilio tunc praesidebat, ad locum consilii Patres duci iussit, ubi consiliariorum coetus ille Michael Kellemesi<sup>208</sup> haec principis nomine praefatus: Patres nimirum latere non posse, principem iam in christianorum principum numerum fuisse cooptatum, neque itidem eos ignorare posse, hisce temporibus regnum Hungariae multas calamitates expertum esse, earumque originem fuisse articulum quendam de religione, superioribus annis in comitiis Posoniensibus conlussum;<sup>209</sup> cuius articuli auctores existimabantur fuisse Patres. Addebat Societatem ex vicinis provinciis (Poloniam intelligebat, ex qua Societatem eiici spargebant eiusdem Societatis hostes) expelli; demum Patrem Viceprovincialem meminisse, ab ipsismet Transylvanis anno superiore tentatum fuisse, ut Societas e Transylvania migraret: principem tamen hactenus Patres defendisse. Iam vero cum regnicolae saepius de Societate opprimenda cogitassent, iis autem princeps semper restitisset, ac propterea non levem eorum invidiam incurrisset; nolens in posterum aut maiorem suorum subditorum indignationem, si iis diutius obsisteret, incurrere, aut iniustum aliquam sibi a christianis principibus, si seipso etiam invito, Societati aliquid acciderit, notam inuri; hanc ultimam et irrevocabilem suam regnique sententiam esse, ut e Transylvania Societas cederet universa. Quod hic Hungarice, Latine exposuit socius, quem Pater Viceprovincialis, antequam responderet, semel, bis ac tertio, num eam ultimam esse principis voluntatem asseruisset senator, interrogavit. Quod ut cognovit, ad singula hoc pacto respondit Pater, se non latere

principem iam esse principem; neque ignorare regnum Hungariae gravissimis calamitatibus afflictum esse; atqui utrum articulus ille miseriарum causa praebuerit, id sane ignorare. Patres autem illius articuli auctores fuisse, hoc vero multo magis negare se scire; illud certe constare, Patres in comitiis illis nullas sive consiliariorum, sive senatorum partes obire potuisse. «Sed quicquid fit, inquit, de rebus Hungaricis; scio, quid in Transylvania fecerim ego: ad illud, quod maius pondus habet, venio. Fateor me anno superiore difficultates non leves habuisse, nec sine grata memoria recolo, principis clementia adhuc a multis periculis conservatum: atque, ut eadem clementia, me sociosque meos conservare velit, etiam atque etiam peto. Permittat modo princeps, ut maneamus; reliorum sive odia, sive molestias parum curamus. In Transylvaniam enim venimus, non ut pericula fugiamus, sed ut tanquam in propria patria, pro Dei honore animarumque salute extrema quaeque subeamus. Et vero, si nihil contra bonum regni egimus; si nulli fecimus iniuriam, quo iure a regno pellimur? Nos in provincia fuimus, ut principi et regno serviremus. Quod pro virili fecimus et in posterum facturos pollicemur. Quod si obsequia nostra refutantur et omnino a principe, ut discedamus, decernitur; nos quidem precibus agere contra, armis porro resistere non valemus. Garriebat hic nescio quis ex consiliariis Hungarice, nos in summo vitae discrimine versari; proptereaque principem, ut nostri rationem haberet, in eam sententiam, ut migraremus, venisse.» Huic noster eadem lingua respondit, nos in manibus nostris animam nostram semper portare; neque de nobis nos esse sollicitos; ubique enim terrarum, Deum, quem coleremus reperturos: at vehementer dolere vicem illarum animarum, quae fidei nostrae commissae, a nobis desertae, daemonis praeda remanerent.

Multa alia dicto sunt, sed frustra, apud quos videlicet nullus esset rationi locus. Uno enim verbo se ab omnibus expediebant, ita principem statuisse, aliud fieri non posse. Bonus scilicet princeps timebat, ne si alii nobis iniuriam intulissent, iniusti principis notam apud principes christianos incurreret; sed illud non curabat, si ipse gravissimo nos malo afficeret et christiani principis leges omnes violando, per summam iniuriam exturbaret. Verum uti haeresi, ne

veritatis lucem aspiceret, excaecatus erat: sic avaritia (ecclesiasticis enim inhiabat bonis) ne iustissimas rationes perciperet, quasi alter Pharao, cor induratum haberet. Consiliarii porro ita sese ad ipsius nutum fingebant, ut ne bene agerent plane intelligere nollent; in eoque toti erant, ut ea Hungaria et Transylvania Societatem expellerent. Quoniam igitur eam esse mentem principis, afferebant, ut Societas quamprimum, tuto tamen e regno cederet, interrogarunt consiliarii Patres, quantum temporis satis foret ad parandum iter, postquam ad suos in Transylvaniam pervenissent? Unane, an duabus hebdomadis contenti essent? Praeterea quoniam itinere proficisci vellent? In eo principem illis libentissime indulturum. Ad haec Pater «Si hoc, inquit, iter mihi sponte mea suscipiendum esset, de tempore et de via cogitarem: verum, quia alieno arbitratu suscipiendum est, alieno etiam arbitratu statuatur oportet tempus et via.» Adiecerunt illi principis sententia iter illud tutissimum esse atque expeditissimum, quod Claudiopoli in Poloniā tendit Nagybánya, Szakmáro et Homonna, ac proinde, ut illud facerent, consulere. Tum Pater ad ea, quae ipsimet consiliarii de nostrorum ex Polonia electione dixerant, alludens; et quomodo, inquit, tuto Poloniā ingrediemur? At illi, tutissime aiunt, iam enim pacatissima sunt omnia. Qua in re, quia mendacia curtos, ut aiunt Hungari, habent pedes, in repugnantibus priorum dictorum laqueis sese involverunt boni consiliarii.

Quam porro caute, ne dicam nequiter Bocskai de nostris tulerit sententiam, docuit Franciscus Alagi nobilis catholicus, Bocskaii consiliarius, qui narravit socio Patris Viceprovincialis, principem eo die, quo Societatis electionem conclusit, eum vocasse haecque dixisse: «Quia es meus consiliarius, mihiique, sicut ego tibi iureiurando astrictus es, nihil te celare, neque possum, neque debeo. Scias igitur hodie contra papistas agendum esse, scio te turbatum iri, tuumque suffragium contrarium futurum; quia tamen nihil efficere poteris, ut hodie a senatu abstineas, consultius erit.»<sup>210</sup> Digredientibus nostris a senatu propositum est, ut quas difficultates haberent, eas scripto comprehensas principi exhiberent. Patres igitur praeter ea, quae ad bonorum dispositionem spectabant, duo petierunt. Alterum, ut si qui amici ex Transylvanis Patres

comitari vellent, id illis concederet princeps. Alterum cum Pater Viceprovincialis sibi conscius esset, neque se, neque quemquam eorum, qui sub sua cura in Transylvania vixissent, ulla in re contra regnum peccasse, quin immo pro viribus et pro ratione sui status illi sedulo inservisse, idcirco principem propter Deum et propter illam aequitatem, quam tanquam iustus, christianusque princeps colere debet, orabat, ut testimonium daret se non dimittere Patres propter crimen ullum; quandoquidem nullum illis obiiciebatur, sed ob illas easdem causas.

Postero die consiliarii, vocatis ad se Patribus, nomine principis, ad oblatas petitiones, illa una excepta, in qua innocentiae testimonium petebatur, ita responderunt, ut eius avaritiam non obscure significant. Nam non solum possessiones, sed etiam quicquid ibi natum esset, vini, tritici et similium, sicuti et templi clenodia ad principem spectare debere asseruerunt. Addiderunt praeterea, principem de Patrum in Transylvaniam profectione mutasse consilium, propterea, quod cum eos reddituros sparsus esset rumor, periculum foret certissimum, ne in itinere a latronibus interficerentur.

Ad haec Patres, quo ad clenodia templi, nihil esse, quod ad Societatem ipsam non spectaret; quae cum in Transylvaniam venisset, templum rebus omnibus nudum receperisset. Quo ad fruges, quicquid esset, id totum fere propria industria et sumptibus esse perceptum; quandoquidem hoc tempore a nobis subditi potius, quam a subditis nostri adiuti essent. Verum, quicquid esset de huiusmodi rebus, Patres more apostolico discedere fore paratos: amissa enim Transylvania; de reliquis bonis, immo de vita ipsa parum esse sollicitos. Quo ad redditum vero nostrum, quomodo, aiunt, Patres illi, qui in Transylvania sunt, tuto egredientur, si nos redeentes pericula manent? Providebit, inquiunt consiliarii, princeps; qui etiam probat, ut praeter comites, quos ipse dabit, amici quoque eos comitentur. Quia de templi clenodiis mentio facta est, illud addemus; ante Bocskianos turbas a Transylvanis Patribus, ad Cassovienses, securitatis gratia missam fuisse magnam cistam, sacris, iisque aureis et argenteis vasis, ac caeteris ornamentis, gemmis et auro ditissimis plenam, quam Patres illi in Cassoviensi defectione discedentes,

amico cuidam commendarant. Eam Bocskai, nescio cuius opera proditam, fecerat sibi propriam.

Sed, ut ad Patrem Viceprovincialem revertamur, cum adverteret, quare princeps redditum illi in Transylvaniam prohiberet; praevideret autem vix fore, ut socii, ipso absente, pericula itinerum evaderent; ut illis, quantum in se erat, prospiceret, primum famulum dimisit, qui summa cum diligentia in Transylvaniam iret, Patresque, ut rebus omnibus compositis, sese ad iter pararent, moneret: simul ad praecipuos quosdam nobiles litteras dedit, quibus eos rogabat, ut Patribus in ea necessitate adessent, eosque, si opus fuisset, comitarentur. Tum principis secretarium, Simonem Péchium adivit, eumque rogavit, ut sibi auxilio esset pro reditu in Transylvaniam. «Princeps, inquit, vitae meae prospicere vult, sed sciat velim, me cum meis mori malle, quam sine iis vivere. Tria me movent ad hoc procurandum: mei fratres, quorum periculum in promptu est; tunc princeps, qui omnes aequitatis leges, non sine sua insigni infamia violat; catholici denique Transylvani, qui merito aegre ferent, cum et me detineri audient et reliquos indebito modo dimitti videbunt; praesertim si ne minimum quidem nobis crimen obiectum, sed innocentes esse cognoscant. Quia vero ex consiliariorum verbis, bonis inhiari nostris adverti, illud scias velim, me non de rebus, sed de personis tantum sollicitum esse. Adiungatur mihi, si placet, vir aliquis honestus, qui mecum de rebus principis arbitrio disponat. Tu igitur vel cum principe transigas, vel ut cum eo ego possim agere, efficias: hocque tibi persuadeas, te neque in malos, neque in ingratos homines beneficium collaturum.» Petitionis aequitatem agnovit secretarius; operam suam promisit; negotium tractandum suscepit. Quare Pater illi puncta, quae in charta scripta habebat, memoriae causa tradidit.

Inter loquendum autem, cum diceret secretarius, hanc Societatis electorum ob Varadinenses acceleratam esse, quaesivit Pater, quidnam illud esset? Ipse admirans «Nullam, inquit, hac de re vobis mentionem fecerunt consiliarii?» Nullam, ait Pater. At ille «Coronae in Transylvania, inquit, captus fuit quidam Germanus, qui Varadino in Vallachiam ad vaivodam mittebatur.<sup>211</sup> Hic, ut retulit Gabriel Hallerus, qui illum adhuc captivum tenet, fassus est, Patres

quoque, qui Varadini sunt, eius profectionis suisse conscientios. Quod ubi consiliarii intellexerunt, ira commoti, decretam antea Societatis electionem, non diutius differendam esse statuerunt. Tum Pater, non mirum consiliarios hanc rationem subticuisse; nimis enim levis erat et regio senatu indigna. Sed enim quare toties, inquit, sparsit princeps, se meas interceptas habere litteras, machinationes nosse meas?» Ad haec ille: Nullas sane tuas unquam vidimus litteras, praeter quasdam, quas ad tuos Patres scribebas: in quibus nihil aliud, quam te valere, eosque, ut pro te orarent, rogare significabas. Eadem litterae, cum iam apertae essent, a me fuerunt laceratae. Hinc vero planum fit Hallerum turpissime peierasse, quando in Transylvania Patri, se nihil de machinationibus, de quibus mentionem faciebant litterae, audivisse iurejurando asserebat. Non enim solum audierat, sed machinationum auctor ipsem extiterat. Qua in re suo principi mirum in modum se adaptat Hallerus. Bocskai enim, cum Societatem ab initio perdere statuisset, statim de nobis conqueri coepit, ut dum nos sibi insidiari assereret, insidias ipse nobis strueret. Quod idem cum Szilvasio aliquique factum esse constat. Et Transylvani, qui ob tuendam (ut ipsi profitentur) libertatem Bocskao adhaeserunt, libertatem adeo amiserunt, ut iam se non veluti nobiles sub principe liberos, sed tanquam vilia sub tyranno mancipia esse malo suo agnoscerent.

Verum his missis, ad nostra redeamus. Secretarius igitur principem adiit, qui rationibus victus, ut Patres in Transylvaniam redirent, assentit, iisque itineris comitem ac ducem addidit, familiarem suum Thomam Dobai, virum nobilem et modestum atque ad huiusmodi negotia perficienda aptissimum. Huic sub honoris capitisque amissione mandavit princeps, ne quicquam incommodi a quoquam Patribus inferri permitteret. Et quia Dobai non solum eos in Transylvaniam euntes, sed etiam ex Transylvania exentes cum aliis, comitari debebat, illi severe iniunxit, ut postquam in Monostor venisset, non supra quartum, ad summum quintum diem, Patres ibi esse permitteret; ac praeterea, ut ex Transylvania egrediens, principem ipsum moneret, ut ipse ex aliquo commodo loco supradictas duos Patres ad se vocare posset. Quod idem Patribus

significaverat secretarius, cum ipsi instarent, ut principi saltem valedicere possent.

Hoc autem, ut docuit eventus, Bocskai faciebat, ut et Patrum congressum vitaret, eosdemque, ut in Transylvania modeste agerent, admoneret.

In reditu, etsi per medios Haidones transiverunt: nihil tamen incommodi acceperunt, quod divinae providentiae magis, quam humanae industriae tribuendum est.

Die 5. Novembris sub noctem Claudiopolim pervenerunt; ductor enim principis mandato, illos prius ad civitatem, quam ad Monostor deduxit, ut videlicet inde, duos alias commissarios, Emericum Gelenii et Petrum Filstich<sup>212</sup> sibi adiungens, cum iisdem Societatis bona occuparet, quorum authenticum inventarium ad ipsum principem transmitteret.

Adventus Patrum, uti insperatus (famulus enim iam Cassovia praemissus, ante quatriiduum pervenerat, eosque nequaquam redituros nunciaverat) ita amicis omnibus, maxime nostris, qui revixisse visi sunt, charissimus fuit. Eam noctem transegerunt apud Bornemiszam,<sup>213</sup> postridie vero una cum commissariis ad Monostor se contulerunt, ubi nostris omnibus in unum locum congregatis, exposuit Dobai, principem, ut pericula, quae nobis imminebant certissima praeveniret, statuisse, ut e regno migraremus; quod idem etiam nostrorum nonnullos optasse affirmavit. Respondit Pater Viceprovincialis se vehementer mirari, quod huiusmodi emigratio optata diceretur a nostris, quando ipsemet Cassoviae pro retinendis omnibus supplicarat. Qui omnes, quia praesentes erant et de sua voluntate certissimum testimonium ferebant, voluit Pater omnes, qui aderant, testes esse, non Societatem solum, sed singulos Societatis homines, contemptis periculis quibuscumque paratos esse manere, atque adeo invitos omnino discedere. Significavit praeterea Dobai, principis voluntatem esse, ut Patres de domestica suppellectili pro voto disponerent, possessiones autem, fruges et animalia, ad ipsiusmet principis rationem detinerentur; intereaque dum iter pararetur, ab ipsismet commissariis necessaria Patribus subministrarentur. Lustrarunt deinde domum, omniaque in inventarium redegerunt. Accitis praeterea pagorum iudicibus, diligentissime omnia inquireentes, eos principi iureiurando obstrinxerunt.

Dum haec illi transigunt, Pater Viceprovincialis ingressus civitatem, de rebus nostris, quae apud amicos erant, habita ratione pauperum, ut tempus ferebat, disposuit. Sacerdotibus etiam Siculis, qui numero sunt quadraginta circiter, tantum librorum rerumque ad templum spectantium reliquit, ut eorum unusquisque aliquid accepit. Tres porro rhedas rebus melioribus oneravit, praetereaque duos currus, qui duo vasa selectioribus libris, aliisque rebus plena deferrent; idque eo consilio fecit, ut omnia secum auferre existimarentur, neve res Societatis curiosius ab aliis quaererentur, timebat enim libris, cum et praedicantes, et plerique alii illis inhiarent. Nam et ipse secretarius multos petiit, cui etiam ex parte satisfactum fuit. Reliqui, qui iustum bibliothecam instruunt, in bono loco collocati; pii tamen libelli omnes inter pios viros distributi.

Magnus fuit illis diebus catholicorum ad templum concursus; quam plurimi, iam quasi divinorum mysteriorum penuriam sentientes, conscientiis rite lustratis, coelestique pane sese adversus futuram famem munierunt. Multi etiam nobiles accurrerunt, ut Patribus adessent eosque, si opus fuisset, comitarentur. Inter omnes Stephani Kendii et Sigismundi Sarmasagii charitas eluxit.

Tandem die Beato Martino sacro, qui fuit 11. Novembris anni 1606, cum reliqui sacerdotes sacris operati, multis divina distribuissent; postremus celebravit Pater Viceprovincialis, eundemque sacrum panem fratribus nostris divisit, tum ad populum concionem expectantem (erat enim templum refertissimum et Bocskaiani aderant commissarii) conversus, Latine, quod alter Hungarice reddebat, tempus dixit advenisse, quo in silentio orandum magis, quam loquendum videretur: iam Jesu sociis imitandum esse Deum, qui ex patria sua in Aegyptum pulsus fuit: iam se suosque non multo aliter ex patria sua (patriam suam Transylvaniam, suas vocare aedes) ad alias nationes pelli; quare se illis, quo omnes in visceribus Christi completeretur, valedicere hoc nomine libenter, quod nulla vel minimi criminis umbra obiiceretur ab adversariis, cuius rei locuples testimonium esset, quod tanta cum honestate dimitterentur. Denique corpore se quidem disiungi ab illis, animis certe manere coniunctissimos, pro qua re, ut ipsi eandem erga illos voluntatem conservent, obsecrare.

His aliisque non sine animi lachrymarumque sensu propositis, in genua procumbens, litanias respondentibus aliis recitavit. Tum vero maxima omnium comploratio est consecuta. Nostri ad rhedas ternas, pro foribus templi iam instructas, collachrymantibus ipsis etiam adversariis, deducti sunt: quas cum religiosa cum modestia consenserunt, iamque extra Monostoriensem pagum ad fines Claudiopolitanos pervenissent, centum ibi sclopetarios pedites cum tympanis ac vexillis, nonnullos etiam equites, qui Patres pro securitate deducerent, ab ipsa civitate submissos repererunt. Hi Nagybániam usque itinere quinque dierum processerunt. Illuc etiam usque comitatus est Patres bonus Sarmasagius et Blasius Kamuthius, qui perrexissent in Polonię usque, si vel necessitas fuisse, vel Patres permisissent: Cracoviam usque progressus est Gregorius Bornemisza, senis Bornemiszae filius. Quod officium cum per aetatem praestare non posset pius Trausnerus, filium bonae indolis iuvenem misit, eumque Patribus commendavit. Cum enim nullum ditius religione catholicae patrimonium, se unico, unice que dilecto<sup>214</sup> filio relinquere posse intelligeret, ut bene in ea fundaretur, voluit, ut in regnis, in quibus floret, aliquandiu viveret, simulque si fieri posset, intermissa ob temporum calamitatem studia recognosceret. Quod ipsum iuvenis, magno ardore Olomutii aggressus iam prosequitur.

Nagybánya Claudiopolitani redierunt, a qua civitate totidem sclopetarii dati sunt, quibus Szakmariensis civitas quinquaginta pedites, arcis vero capitaneus totidem praesidiarios equites adiunxit; omnes Zemplény usque: inde enim, superatis iam maioribus periculis, domum a Dobai remissi sunt, acceptis ibi nonnullis, qui deducerent Homonniam. Homonnae tunc non erat Georgius Homonnai (qui una cum Valentino Homonnai cognato oppidum illud possidet) discesserat enim, ut Varadinense praesidium, quod iam arcem dediderat, ex Hungaria deduceret. Verum cum ex itinere Patres illuc adventare intellexisset, per litteras et per famulos eos obnixe rogavit, ut Homonnae suum adventum expectarent; se Patres Cracoviam usque deducturum. Homonnensis praefectus, homo haereticus, tam benevole liberaliterque eos accepit et habuit, ut planum faceret, se nihil gratius suo domino facere posse, quam si in Patres omnia officiorum genera conferret.

Dum igitur Patres Homonnae morantur (octiduum enim morati sunt, non tam, ut Homonnaium expectarent, quam quia Pater Viceprovincialis nonnisi dimissus ex Hungaria egredi volebat) dum, inquam, ibi morantur, Dobai, qui de longiori itinere nullum habebat mandatum, Cassoviam rediit, per ipsum ad principem litteras dedit Pater; quibus animi sui constantiam et simul declarabat innocentiam; cuius testimonium ab ipso petebat. Homonnensi praefecto imperatum est, ut Patres Eperjesinum versus deduceret, ut cum praesidio Varadinensi illuc prooperante coniungerentur. Verum, quia Patres aliud iter magis expeditum habebant, acceptis a praefecto 50 pedestibus ac 10 equitibus, recta via Poloniam petierunt; cuius fines sex Hungaricis miliaribus distabant.

Superatis finibus Hungariae, duarum horarum spatio, primam Poloniae civitatem, Jasiska nomine attigerunt. Hinc vero Cracoviam, inde denique Olomutium, in ipso Nativitatis Domini pervigilio pervenerunt: ubi non sine magna charitate accepti non solum corporis vires, sed spiritum etiam renovatis, in Circumcisione cum reliquo collegio votis restaurarunt.

Iter porro ita Patres instituerunt, ut simul peregrinorum regulas observarent, et quia commoditas dabatur, quotidie Superior celebrabat, reliqui sacerdotes communicabant. Ubique ferme catholicorum semen invenerunt. Nagybániae Balthasar Kornis, qui in imperatoris fide constans perstiterat et iam pace facta in gratiam cum Bocskai redierat, etiam in Transylvaniam proficiscebatur, cum uxore et socru sacram adiit synaxim. Quod idem die sequenti Varalliae Sigismundus, eiusdem Balthasaris frater cum uxore praestitit.<sup>215</sup> Exercitia catholica ex Monostor Homonnam usque nulla invenerunt; ibi enim Georgius Homonai, singularis virtutis et pietatis iuvenis, in sua arce templum pulchre instaurat: duosque sacerdotes, pro Hungaris unum, alterum pro Sclavis, cum non contemnenda musica liberaliter alit. Ipse vero praeter catholicam religionem, ad quam Pragae a nostris conversus fuit, et propter quam a potentiore cognato persecutionem patitur, adeo modestus est et verecundus, ut si quis ei vel de nuptiis mentionem faciat, erubescat, nec sine poena quemquam ex familiaribus suis verbum minus honestum proferre permittat.

Tempus etiam ejectionis nostrae non poterat esse incommodius: tantae enim fuerunt eo tempore aquarum inundationes, quantas senes ipsi nunquam se vidisse affirmabant. Pedites semper fere in aquis vadare, quae non raro per horas integras non talos solum, sed genua foemoraque etiam ipsa superabant. Interdum rhedae ipsae mergi, resque omnes madefieri. Nonnunquam etiam equi cum rhedis impetuosisimos inundationum torrentes tranare debebant. Haec tanta coeli terraeque intemperies unum e Patribus, qui ante duos circiter menses in Transylvaniam venerat, et iam hydropsi laborabat, adeo graviter affecit, ut totus intumesceret, tantaque humoris copia guttur impleret, ut parum omnino, quin suffocaretur, abesset. Dei tamen beneficio factum est, ut in fine itineris non multo deterius valeret, quam in principio valuisse. In montibus, qui Transylvaniam separant ab Hungaria, collegerant se latrones Valachi; sed cum Patres multo plures opinione sua conspexissent habere comites, a voluntate destiterunt. Centeni aliquot Haidonum aliquando, dum Patres in Szakmár essent, non sine mali alicuius suspicione reicta, lustrarunt omnia. Ibidem praedicans die dominico, populo in concione, ne vel Patres salutaret, severissime interdixit. Sed nullum fuit maius periculum, quam inter fluvios Tibiscum et Bodrog, cum enim Germani, qui Varadini erant, discedere arcemque dare nollent, nisi ex vicinis locis recederent Haidones, iussu principis mille et trecenti Tibiscum transierunt, eos comitatus Zemleniensis, ne Bodrogem transirent, impediebat. Inter illos igitur fluvios inclusi manebant.

Iter Patribus faciendum fuit per medios Haidones, quos neque biduo inundationum fluctibus retardati, transire potuerunt; una etiam nocte, ne in pagis cum ipsis versari cogerentur, in campis sub Dio pernoctarunt. Sane divinae providentiae tribuendum est, quod oves lupis circumdatae, incolumes evaserunt. Iuvit etiam plurimum diligentia et prudentia ductoris Dobai, qui praeter caetera, quae cum laude gessit, milites etiam, qui tantis territi difficultatibus deserere nos volebant, in officiis continuit.

Atque, ut tandem aliquando rerum omnium epilogum colligamus, satis omnibus constare potest, non tam Transylvanorum, maxime vero nobilium opera, quam perniciosa



STEPHANVS BOCHKAY DE KIS  
MARIA, PRINCEPS TRANSSYLVANIAE,  
PARTIVM REGNI HUNGARIAE DOMI-  
NVS, ET SICVLORVM COMES. ANNO MDCV.

*(Desumta inscriptio ex delleri argenteis ab ipso cufis)*

tumultuantis Bocskai voluntate, ac praecipiti furore, deser tam a nostris Transylvaniam, alias quae sita esse sedes. Certe in comitiis Transylvanicis Meggyesini celebratis, ita Societas apud omnes ab omni crimin e purgata fuit, ut non facile, qui contra eam publice ageret, posset inveniri. Deinde vero in Hungaria comitiis Cassoviensibus,<sup>216</sup> cum de pace cum Caesare ineunda ageretur et conditiones illi proponendae, quarum una erat, ut Societas in Hungaria locum non haberet, statuerentur; legati Transylvanic i, ut suae provinciae nomine Hungarorum articulo subscribe rent, urgebantur, quod quidem illi se facturos constantissime pernagarunt. Bocskai an omnino odium in catholicam religionem Societatemque nostram, ut nostras eiiceret, effecit.

Aliqui etiam proscriptionis huius causam esse affirmabant Annae Perneszi, foeminae nobilissimae conversionem. Nonnulli et forte verius, hoc inde ortum existimabant, quod cum Bocskai Transylvaniam ingredi et in arce Gyaluensi (sunt bona episcopalia) morari vellet, Societatem in Monostor esse nolebat, tum ne eam in oculis haberet, tum, ut bona ipsius, quae cum episcopalibus coniuncta sunt, usurparet.<sup>217</sup> Accedebat consilium prorsus Calvinisticum, illi, ut fertur, a praedicante suo datum, ut nimirum si tutus regnare vellet, Societatem illico extermaret. Permisit Deus ista omnia ad bonorum pium exercitium, malorum poenam; ad ipsius Bocskai corporis et animi interitum graviorem.

Caeterum res Transylvanica eo loco sita est, ut brevi Societatem reddituram sperent boni, timeant mali.

Dum haec scribimus, nunciatur Stephanum Bocskai ipso die S. Stephani protomartyris extinctum anno 1606. Sic anno 1588. Géczi gubernator, proscriptae ex Transylvania Societatis auctor, tertia post luce expiravit. Ante quatuor vero annos Székely Moyses eversi collegii Claudiopolitani dissimulator, in acie secundo mense; iudex autem regius Michael Deshasius,<sup>218</sup> eversionis collegii dux, in carcere paulo post a Caesareani interempti, divinam experti sunt vindictam. Bocskai denique exturbavit Societatem, post annos undecim a tempore, quo a principe Sigismundo et communi totius regni decreto comitiis generalibus revocata fuit.<sup>219</sup>

### Collegium Albense.

**N**OBLIS quidam catholicus, ipso die Circumcisionis uxorem antea Ariana labe infectam, ad sacrum lavacrum, cum filio recens nato duxit, et quia alios grandiores liberos, ex priore marito susceptos habet, illos quoque iam in catholica religione instructos, ad baptismum prima occasione se missuram promisit.

Miseri nonnulli, qui superioribus annis fame victi, vel iniuriis lacesisti, furta et homicidia commiserant, a laqueo liberati sunt; intercedente quasi altera Hester, gubernatoris videlicet uxore, apud Assuerum maritum. Claudiopolitanus quidam inter Saxones, magnus semper Societatis hostis fuit, nostrumque exilium in primis ursit; qui cum paucis ante mensibus, absentis iudicis vices gereret; ut e Patribus unus, qui in Monostor aegrotabat, tantisper civitatem ingrederetur, donec Tartari, qui illac faciebant iter, transirent, nulla ratione permittere voluit. Hic, inquam, cum homicidii reus, in carcere Claudiopoli detineretur et in eius causa, iuris forma magno ipsius praeiudicio non servaretur, Albam, ut a gubernatore ad iudices mandatum quoddam impetraret, affinem suum misit. Quia vero intercessore, quo maxime egebat, prorsus carebat, eum ad Patres direxit, quos, ut ea in re patrocinium suum suscipierent, enixe rogavit. Negotium utpote iustum et pium, ille idem Pater, qui ab eo Claudiopoli exclusus fuerat, gubernatoris uxori, hoc nomine commendavit; quod cum ille hostis esset noster infensissimus, nos ut carbones evangelicos, supra caput illius accenderemus, illum modis omnibus iuvare cupiamus. Illa charitatem Societatis admirata, statim cum marito egit, et quod petebatur, impetravit. Captivus beneficio victus, antiquum in Societatem odium depositus; et iam liber, Patres Monostorienses amicitiae causa invisere coepit.

E nostris fratribus Magister Andreas Paulichicz, postquam continentri quadam hectica et a multis annis inventerata tussicula laborasset, gravissimum morbum hyeme tota patientissime pertulisset; tandem viribus iam defectus die 23. Maii, post saluberrimam sacri viatici refectionem, sacramque inunctionem, extremum vitae suaed edidit signum, cum in commendatione animae ad eum locum per-

ventum esset: *Subvenite Sancti Dei.* Fuit vir plane religiosus, humilis, obediens et magnus mundi suique contemptor. In scholis et in concionibus, quando opus fuit, optime semper se gessit. Dum ex Bohemia per Hungariam in Transylvaniam iret, per civitatem quandam iter fecit, quae a patria sua adeo prope aberat, ut duabus vel tribus horis ire et redire potuisset: ipse tamen, licet ibi diem fere integrum substitisset, sineque ullo incommodo, parentem quartum supra centesimum annum agenter, invisere valuisse: id non solum non curavit, sed ne verbum quidem ea de re, vel cum superiore, vel cum sociis fecit minimum. Croata natione fuit, omnia tamen idiomata suo finitima Polonicum, Sclavonicum, Rascianum callebat. Praeter Latinam etiam ita Graecam et Hungaricam linguam noverat, ut hisce aequa facile et eleganter ac materna et loqui, et scribere valeret.

Magnum hoc tempore cum Anna Perneszi catholicae religionis lucrum accessit. Est haec foemina, ob singularem prudentiam in primis celebris. Parentes habuit, ut nobilissimos, ita et catholicos, quare cum lacte veram quoque religionem imbibit. Verum cum in gynaeceo uxoris Chrystophori Bathorei Transylvaniae principis esset, secuta est dominam Calvini labe infectam, ne ab ea, cui sanguine coniuncta erat, religione discreparet. Quia vero primis regni proceribus nupserat,<sup>220</sup> eo pluribus erroribus se obruit, quo magis illis placere studuit. Zelum igitur fidei quam colebat, non vulgarem semper ostendit: nam magnis sumptibus (ditissima enim erat) studiosos alebat in Germania; ut ii emenso studiorum curriculo, venena latius diffunderent Calvini in Transylvania. Ex illis aliqui tantum profecerunt, ut inter Calvinistas primi habeantur hodie et primas in Transylvania cathedras obtineant. Iam vero cum secundo marito orbata esset, primaeque educationis scintillae reviscerent, non solum catholicorum conciones audiebat, sed dies festos etiam ac iejunia (quae maxime odio sunt haereticis) studiose observabat. Quod ubi adverterunt haereticorum ministri, primum illam, ne et pusillos offenderet, neve suo nomini inconstantiae notam inureret, monuerunt. Deinde cum se contemni cernerent, eam ob quadragesimalis ieunii observantium, pro concione publica notarunt, convitiis et maledictis prosciderunt, anathemate ferierunt

atque a coetu fidelium separarunt. Commune est hoc telum haereticorum contra eos, qui spretis eorum somniis, veritatis lumen intueri incipiunt. Verum illa non solum ab incoepio non destitit, sed etiam cum nostris de rebus ad religionem, animaeque salutem spectantibus, privatim agere coepit: atque, ut suae erga religionem catholicam voluntatis signum aliquod praeberet, casulam pro nostro templo curavit, cuius crux gemmis, margaritis auroque adeo dives erat, ut hac tempestate, vix quicquid in eo genere ditius potuerit sperari. Porro dum nihil aliud expectatur, quam ut conversionis eius fructus, divino Spiritus Sancti calore maturescat, en Bocskai, qui cum ea tertio cognationis gradu coniunctus erat, rerum potitus in Transylvaniam venit, eamque severissime monet, ut ab incoepio desistat, rebusque papisticis nuncium remittat. Cessit foemina et ad ingenium rediens, haereticos fovere, catholicos infestare coepit.

Interea cum magnam familiaritatem cum uxore gubernatoris contraxisset, ei significavit: se ab avita quidem religione non abhorrere, sed ob temporis iniuriam id profiteri non audere. Eam vero gravissimis verbis hortata est gubernatrix, ne agnitam veritatem occultaret; neve Dei voluntati, propter hominum gratiam resisteret, fore aliquando tempus, quo mortalium nullus eam vel excusare posset, vel defendere: nunc iudicem omnium sibi conciliandum; eum coram hominibus confitendo, ut ipse quoque coram Patre coelesti, eam non erubesceret confiteri. Pendebat igitur animo, neutrique parti adhaerebat, sed tandem, ut divinis rationes postponeret humanas, effecit Balthasar Szilvassius; qui posteaquam e duro carcere Bocskiano liberatus, in patriam rediisset; tertias illi nuptias ea conditione obtulit, si princeps Bocskai matrimonium probasset, ipsa vero palam ad catholicorum castra sese recepisset. Assensum autem Bocskai requirebat, non solum, quia cum foemina sanguine iunctus erat, sed multo magis, quia ut nulli magis in Transylvania, quam foeminae illi credebat; sic nemini minus, quam Szilvasio fidebat, quem etiam tanquam principatus aemulum suspectum habebat. Nuptias Bocskai indigne quidem tulit: verum nullum honestum titulum, quo matrimonium inter primariam foeminam, primariumque virum impediret, reperire potuit. Sed cum eorum de religione consilium cognovisset, prorsus excan-

duit, seque foeminam adeo deplumaturum (ut eius verbis utamur) minatus est, ut eam facti poeniteret. Quae minae tantum abest, ut currentem in bono retardarint; quin potius mirum in modum excitarint. Quamobrem ad metam bene coeptae viae properans templum adiit; divinis interfuit; saepius cum sacerdote egit; apud quem, tempus a se confessioni destinatum antevertens, in Sancti Matthaei per vigilio, totius anteactae vitae crima depositus: ipso vero die Apostolo sacro, publice ad sacram synaxim accessit, comitante cum aliis piis foeminis gubernatrice, et laetantibus angelis, ut ipse gubernator asserebat; qui cum foeminae conversionem audivisset, angelos cum uxore sua laetari se existimasse homo Calvinista affirmavit. Verum enimvero ministri haereticorum, ab ipso tantae conversionis initio, ne tantam patronam amitterent, omnia tentarunt, ut eam a proposito abducerent. Quare, ubi catholicam factam esse intellexerunt, vehementer commoti conveniunt; quidque facto opus sit, consultant. Et quia needum sibi, quod displicebat, penitus persuaserant; rem melius explorare statuunt. Unus igitur (hic eius alumnus fuerat, caeteris, ut doctrina celebrior, ita et audacia impudentior) tempore vesperarum, attonito similis, templum ingreditur. Tum vero subito omnium oculi in eum conversi, quid lupus in ovili quaerat, observant. Ille obambulans, huc illucque oculos circumferens, cum ad eam, quam ob plurima in se collata beneficia, matrem vocare consueverat, venisset, ibi vero constitit, totusque admirabundus in eam obtutum defixit. Orabat illa media inter gubernatricem, gubernatricisque sororem et filiam in genua provoluta; quae rei indignitate nihil moto, in coepto perrexit. Minister vero nobilissimarum foeminarum auctoritatem veritus, tam mutus e templo, tamque confusus, quam intraverat audax, excessit. Non tamen quievit; sed postquam illam, divino officio peracto, domum se recepisse cognovit, aliis eiusdem farinae complicibus secum assumptis, eam adiit, complet domum clamoribus, experitur omnia. Videres ovem coram frementibus lupis constitutam, nihil moveri; sed modeste quaedam refellere, quaedam prudenter surdis auribus praeterire, factique sui rationem reddere constanter. Nimirum hoc praemium retulerunt proci isti, ut ipsa aromatum contusorum instar, latius Christianae pietatis odorem cooperit

diffundere. Ab eo tempore prima quotidie templum adibat, multas horas precibus dicabat; parata pro Christo bonorum omnium iacturam facere, quae certo illi imminebat a principe, e cuius gratia penitus exciderat. Peracto igitur catholicae religionis quasi tyrocinio, nuptias celebravit et iam magno bonorum exemplo, piam cum viro vitam instituit.

Hic nostrum bonorum operum cursum, Bocskai, ut alibi dictum est, interruptum, quando litteris illis suis edixit, ut Alba adeoque universa provincia pulsi, in Monostor concederemus.<sup>221</sup> Nos sub discessum, Albensibus catholicis, a moerore quantum fieri potuit recreatis, largissime pro nostrae paupertatis ratione, in egentiores qua domesticos, qua externos distribuimus etiam illa, e quibus commode divenditis, nisi subita necessitas compulisset, haud exiguum pretium conquirere potuissemus. Sed enim satius esse duximus, illa in pauperibus suis ei restituere, a quo acceperamus.

### Residentia Varadinensis.

(Obsidionis tempore, quae fuit ab anno 1604. usque ad annum 1606. exeuntem.)

**V**ARADINI, si unquam antea, hoc maxime tempore, quo circumsessa ab hostibus arce, omnia per circuitum armis strepebant, constitut nostris operaे non minimus fructus. Siquidem praeter quingentos Hungaros, qui nostros de rebus divinis extra et intra arcis moenia disserentes audiebant, adeo frequentes ad poenitentiae sacramentum, veramque fidem properabant, ut spes haud dubia affulserit, proxime venturo biennio, si tranquillum a belli motibus habuissemus otium, universos tandem Varadinenses ad Christi iugum reversuros fuisse. Licet enim tres sacerdotes nostri, qui cum tribus circiter millibus hominum, in tertium usque annum obsidione cincti, nullo suorum, aut scripto, aut nuncio salutari, vel solatium aliquod habere potuerint; non ita tamen animo fracti fuerunt, ut suam militibus aliisque paterentur deesse industriam. Quare Germanis iuxta ac Vallonibus strenuam navantes operam; consilio et auxilio temporali simul, simul spirituali adfuerunt. Nam et conciones habitae, et sacramenta ministra, et reliqua charitatis opera non sunt desiderata.

Ab haeresi supra centum ecclesiae sunt restituti. Pars militum vagae assueta libidini, ut intra legitimi fines tori

se contineret, inducta: pars a discordia inveterata ad stabilem concordiam reducta; pars denique a blasphemiae licentia; ludendi etiam potitandique consuetudine absterrita. Ac nostri quidem obsidionis tempore secessione Hungarorum a Caesareanis facta, non solum usu fructu rerum omnium a subditis capiendarum; verum et possessionibus pagorum privati iam penitus erant: Deus tamen, qui suorum curam habet, ita de omnibus providit nobis, ut in pauperes quoque, quorum ingens semper numerus, ex omni genere eduliorum ac vini etiam partem liberaliter erogaremus. Et quanquam non semel in manus obsidentium Haidonum prope iam nostri inciderant, semper tamen Deus optimus a periculo servavit immunes. Neque dengatum est officium iis, qui ob maleficia plectendi erant. Animatae sunt aliquando sagae ad rogum sibi destinatum ultro condescendendum: de quibus, quia multa sunt admiranda, dicemus aliquid.

Toto propemodum biennalis obsidionis tempore, postquam fame stimulante, equi, canes, feles, mures, lora cum pellibus ac vivo gramine absumpta fuerant, ut calamitas calamitati, vulnus vulneri adderetur; ecce tibi foeminae plures quadraginta, male omnes feriatae, ex Sueviae<sup>222</sup> potissimum foecibus, caeterisque terrarum lacunis, Varadignum confluent; daemonem principem suum, nocte intempesta, ritu beneficarum sollemni, in curru triumphali tanquam regem specie visibili et gratulabunda, ut ipsis videbatur, in arcem ad milites deducunt. Hic ergo illae toto biennio in exitium omnium coniuratae aërem, communem, cum viis publicis et aquis infecerunt. Inde vero repente miles caecitate percuti, beneficio oris ac pedum; contractione item, seu collisione subita membrorum omnium intorqueri, diurna capitis, pectoris totiusque corporis aegritudine conflictari, duo prorsus milia atque eo amplius carnificina ista extinxit; uno quandoque die quatuor aut sex, nonnumquam decem undecimve, eadem strigarum lue simul infectis ac e medio sublatis; cumque vix quispiam in arce extiterit, cui immunem esse ab hoc malo daretur. Nostris quoque, postquam febri Hungarica laboraverant, cum insueto isto oris pedumque malo collectandum fuit.

Tantus porro biennali hac obsidione morientium fuit numerus, ut cum initio 1500 milites essent, ultimo qui

egrederentur, vix 150 reperti fuerint. Quo tempore nostri sui oblii, charitatis memores, quamdiu pedibus consistere, aut inniti Scipionibus dabatur, aegris ac moribundis nunquam deesse; confessiones catholicorum excipere; haereticos et in his belli duces aliquot ad ecclesiae castra aggregare; languidos verbo et ope in spem erigere; refractarios in officio continere; extremae unctionis et alia sacramenta, quibus oportebat, prompte et gratis (quod multi mirabantur) impartiri.

Cum itaque furente hac lue, iam res eo vergeret, ut de capite singulorum ageretur, unanimi nostrorum et magistratus supremi consensu coactis in unum singulis; de praesenti Dei vindicis in peccata animadversione commoniti omnes; de vita quoque efficaciter in melius commutanda, instructi sunt. Supplicatio etiam sollemnis ad omnia arcis propugnacula decreta est; loca singula, per quae transeundum, quoniam infecta fuerant, una cum puteis; aqua, sale, cera benedictis lustrata sunt et expiata; adiunctis exorcismis et precibus, ab ecclesia tali tempore fieri solitis. Mira res visa omnibus. Vix sacra haec exercitia peracta; et illico aquae ante pestiferae, salubres effectae sunt, aër purgatior redditus; aegrorum vultus ad valetudinem visus serenior; morientium numerus in dies imminutus; tandemque omne sublatum virus: paulo post, recenti ex tabe confirmandis corporibus, boves ex praeda opima adducuntur tanto numero, ut inde et equis aliquibus, in summa panis inopia, ad finem usque obsidionis, vicitare valuerint. Tandem post diuturnae obsidionis labores, in rerum omnium penuria, tradita Hungaris arce, nobis cum praesidio Caesareano migrandum fuit 22. Novembris anni 1606. Superior noster prope Varadinum rogatu cuiusdam viduae Magnifica remansit; alter ad Tokaj apud catholicum virum Magnificum, vi morbi detentus; tertius Germanus cum militibus discedens rediit in Austriam.


ANNI 1607—1608.

### Missio Transylvanica.

 NIQUITATE temporum factum, ut prioris anni litterae ex Transylvania haberi non potuerint,<sup>223</sup> ac proinde duorum iam annorum coniungare oporteat, praesentis et superioris. Fuere in Transylvania sacer-

dotes e nostris duo. P. Valentinus [Lado] ex eorum numero, quos Stephanus Bocskai rerum in Hungaria et Transylvania potitus, inde excedere pro imperio voluit, sed studio et intercessione integerrimae dominae e catholica Wesselinorum familia et olim Stephani Csáki coniuge<sup>224</sup> hic unus potestatem remanendi a Bocskai impetravit. Mirum est quanto solatio huius praesentia in castro Adorján fuerit, tam ipsi viduae, quam aliis catholicis, seu quos illa Bocskiana dominatio carceri incluserat, aliove modo acerbe multaverat, seu qui adhuc Varadinum, Somlyó hisque contemna loca, in extremis Transylvaniae et Hungariae partibus longe lateque incolunt. Varadinenses enim catholici, cum leucis non amplius duabus absint ab Adorjanis, iisque exercitium religionis a Calvinistica potestate domi sit ademptum, eo ad Patrem sacra mysteria obeundi crebro et populatim commeant; et iam eiusdem dominae Csáki opera effectum, uti ex Adorján, ipsi quoque Patri in arcem Somlyó aditus patescat. Hic tamen optatus catholicorum successus adeo ussit Calvinianam nobilitatem, uti duabus viduis, Csáki et Bathoreae<sup>225</sup> renunciarint, ad concionem aere ciere populum desisterent, sacrificulos suos domi forisque in alienam messem falcem immittere prohiberent: non se laturos hominum licentiam cum minis etiam protestati. In comitiis provincialibus item Claudiopoli coactis,<sup>226</sup> Patrem, quamvis tacito nomine et sacerdotem alium criminose insimularunt, ipsos ex arce foras prorumpere, circumcursare, sacra pontificia et alia genus Romana obire. Denique quo calumnia numeris absolveretur suis, eos aliquando propalam per animam convitiari: quod Hungarum supremum et gravissimum omnium habetur convitium. Risum propinavit cordatis tam ornatum, sed incredibile accusationis epiphonema. Neque magnates catholici, tam criminoso obiectu innocentissimorum hominum lacerari famam sunt passi, sed eos in amplissimo procerum confessu, qua verbis, qua factis animose defenderunt.

Alter e Societate P. Georgius Forró in ipsis Transylvaniae visceribus Christo laborat. Discedente enim Patre Argento, cui per Sigismundum Rákócziūm, successorem Bocskaii, diutius manere non licuit, ipse a principis coniuge<sup>227</sup> piissima foemina postulatus et in Albano Societatis antea collegio, velut semper repositus, ex antiqua cathedra aedis



*Gabriel Bathory*

sacrae (quae sola inter tot rudera et ignes salva constituit) ecclesiasten egit. Inde cum principibus extra fines etiam Transylvaniae longius excurrit eaque occasione catholicos passim sparsos officii et fortitudinis christianaee commonefecit, donec tandem cum iisdem Albam Julian coactus est reverti; ubi Rákóczius timore periculi perculsus, quod illi a tumultuantibus Haidonum copiis imminebat, magistratu se abdicavit atque in Hungariam ad peculium suum reversus, principatum certa lege Gabrieli Bathorio tradidit.<sup>228</sup>

In hac ergo misera rerum vicissitudine iam abiturientem ex Transylvania Patrem, ut retinerent, multis cum precibus et promissis ab Illustrissima proceres catholici impetrarunt; eorum sub manu et fide salvum futurum. Accepit paulo post Pater a novo principe non tantum potestatem et diploma ibidem consistendi, sed etiam cum solo familiariter congregandi. In eo accessu primum Pater Transylvaniae regnum sanguini Bathoreo debitum gratulatus; bene principi eiusqueim perio deinceps a Deo immortaliter precatur. Addit laudes Illustrissimae Bathoreae familiae et nunquam ingrata oblivione delendum eius benemerendi studium. «De religione catholica aequa, ac de Societate Jesu commemorat Bathoreos primum Societatem in Transylvaniam advocasse; Bathoreos eam velut suis humeris eo portasse, fuisse, defendisse; Bathoreos proprio aere bona abbatiae Monostoriensis, quae iniuria temporum pessum ierant, redemisse, Societati addixisse, amplioribus bonis auxisse, tabulis et privilegiis stabilivisse: eaque fortuna rursum Societatem contra omne ius et fas superioribus temporibus exutam, ex tota provincia exulare iussam esse.<sup>229</sup> Iamvero ubique locorum magna spe teneri omnes principes Christianos, futurum sub eius bene auspicato magistratu, ut et Societas in priora sui iuris domicilia revocetur, et religio catholica a laudatissimis eius maioribus ad emolumentum gentis Hungaricae his terris deserta refloreat ipseque eorum felicissimis vestigiis insistat.» Sub haec ille Patri gratam eam sibi fuisse gratulationem sibi significat. Deinde respondebat religionem catholicam, quam Stephanus Polonorum rex, Christophorus et Sigismundus Bathorei Transylvaniae principes defendissent, meritisque cumulascent, eandem se protecturum, sociosque Patris, qui hinc forent proscripti, curae etiamnum futuros.

Quaedam in eo sermone ultro citroque addita sunt, quae conscientiam principis et salutem attingerent. Utinam spes ambiguae convaliturae aliquando Transylvaniae non sint inanes. Sed reliqua expediamus.

In universa Transylvania praeter nostrum unum, sacerdotes alii omnino sunt quadraginta, eos, quia episcopi auctoritas in officio continere non satis poterat, praesertim cum non adversariorum modo, sed ipsius etiam nobilitatis catholicae favore fulcirentur, Pater noster ad modestiam et concordiam uno die omnes erudivit, uti mutuis deprecationibus praesente episcopo suum errorem, magna bonorum omnium gratulatione, detestarentur. Ex quo colligas quantum saepe possit, vel unius boni viri industria. Hac certe virtute sacerdotis nostri excitati primates catholici, in ultimis provinciae comitiis, serio et constanter apud principem eiusque proceres egerunt, liceret eis homines Societatis in provinciam accersere, quos si in Monostor et Albae prioribus ipsorum locis nolint habere sedem, saltem domi quisque sua ex peculiaribus bonis possit alere. Nihil obtentum tunc quidem, sed ad anni insequentis comitia negotium hoc religionis amplius disputandum reiectum est.

ANNI 1610—1611.

### Missio Transylvanica et Szatmáriensis.

 RINCIPIO anni decimi supra Millesimum et sexcentesimum duo Societatis Patres in Transylvania ad excolendam Domini vineam, quam ferus aper depastus est, expositi fuere. Unus eleemosynis bonorum virorum alitur Albae Juliae in sede principis, in veteri Societatis collegio resedit, concionesque in aede sacra habuit: ex quo tamen loco disseminandi divini verbi et sacramentorum administrandorum causa ad alia provinciae loca eidem crebrius excedendum fuit. Alteri apud Ill<sup>mam</sup> matronam summi viri Stephani Csáki relictam in arce Somlyó finitimis Ungariae finibus sita manendi potestas facta est.

Praeter hos fuit episcopus,<sup>230</sup> qui, tum ut disciplinam ecclesiasticam solutis quorumdam sacerdotum moribus depravatam suae dignitati et sanctitati restitueret, tum si non pene extinctam, certe multum concisam religionem ad

veterem splendorem erigeret, vigilantissimus praesul scholas, quae bonarum artium iuxta ac virtutum essent emporium, instituendas censuit. Et erant secundo conatu primordia laborum iacta; iam enim bonam et maturam iuventutem e Sicilia<sup>231</sup> asciverat, cuius tam alenda, quam docendae in se curam receperat, quam etiam per magistrum humaniorum litterarum peritum iisdem litteris imbui informarique curabat; sed quo olim sacerdotio et sacris officiis humana et divina rerum cognitione ei muneri necessaria magis idoneam redderet; ad Patrem Provincialem Austriae<sup>232</sup> litteris datis episcopus unum orat, qui docendis et formandis in Transylvania sacerdotibus operam impendat. Id cum et multum e re provinciae esset et catholici magnates probarent, optarentque ea potissimum de causa ad priores duos Patres mense Februario anni dicti submissus est tertius; et quia sic rerum status exigebat, habitu ad caeterorum provinciae sacerdotum morem adornato.

Sed inimicus bonaе sementi patrisfamilias inspersit lolium. Ecce enim proximo Martio a principe Transylvaniae, Gabriele Bathorio et nobilibus Calvinianis contra proceres catholicos et sacerdotes nova concitatur tempestas; quae qua de causa et quantum saevierit, ac quomodo cum episcopo duos nostros Patres exturbarit, aliis litteris expositum est.

Hic illud referendum fuit. Tertius nostrorum, qui in patrocinio laudatissimae dominae Csáki erat, ut etiam e Transylvaniae finibus extremis omnino se reciparet, in comitiis provinciae sancito articulo nominatim a Gabriele proscriptus fuit: et erat ei ex illo Euripo abeundum, ni eiusdem dominae Csákinae frater catholicus Paulus Wesselényi apud Gabrialem, cui inter primores est a cubiculis et thesauro, multis egisset, ac tandem impetrasset, liceret vel seni Patri apud charissimam sororem salvum in officiis consistere. Is igitur, ut ex priori sententia animum principis flexit, apud nobiles, quos inter Pater versatur, securam ei mansionem dato diplomate fecit. Ita factum est, ut caeteris sacerdotibus vel expulsis, vel afflictis, is in statione perseveret atque in matura senecta in vinea Domini opus diligenter faciat.

Loci, in quibus eius opera excurrunt, duo sunt illustiores.

Unus Somlyó. Hic sacris diebus Paschae anni undecimi poenitentiae sacramento renovati et sacro epulo refecti sunt circiter quingenti; ex his nunquam confessi et ad ecclesiam reducti viginti: iurgia coniugum composita. Unus annos natus vigintquinque sacro fonte ablutus, infantes multi eodem ascripti coelo. Haereticus cum morbo et morte collectans missio nuncio rogaverat Patrem, velit ex Somlyó in vicinum pagum ad ipsum excurrere, eiusque animae suppetias in extremis ferre; sed cum iustae causae Patris iter praecluderent, et alia ratio iuvandi deesset, scriptionem misit, qua monuit edocuitque hominem in fide catholicae Romanae ecclesiae diem supremum obeat, ac cum proposito ardoreque confitendi dolorem peccatorum in se quam maximum concitet. Ille cum a tabellione institutionem, quam ei detulerat, legi audiit, magno sensu animi se et catholicum mori et sacramenta ecclesiae suscipere velle professus tranquilliore animo expiravit.

Alter industriae et virtutis locus est castrum Adorján, quod cum duabus leucis a Varadino absit, tum catholici Varadinenses, qui bono sunt numero, tum qui in vicinis circumfusi sunt pagis, ad Patrem in Adorján (quando alias nullus est sacerdos, nec ei Varadinum aliaque loca adire licet) sacramentorum et solatii spiritualis recipiendi causa recurrunt. Cum ad finem anni eiusdem princeps ex Transylvania Varadinum se contulisset, ex nobilioribus aulae eius familiaribus ad Natalem Domini cum pietate colendum in Adorján ad Patrem Varadino sexdecim confluxere, et hi pene omnes poenitentiae et Eucharistiae sacramentis admoti. Eodem tempore conversi ad fidem nostram quatuor, quorum unus summae nobilitatis, duo Calvinianorum procaces fuerunt magistri. Atque haec in Transylvaniae partibus.

Porro ad Szakmariensem missionem, quae Transylvanicae finitima fuit, veniamus.

Est Szakmár unum ex primis Hungariae praesidiis, loco plano, dupli aqua cinctum, quinque summis propugnaculis abunde amplum, re omni bellica et tormentaria instructum: amplissimus terrarum tractus, qui poene fluvios Szamos et Tibiscum est longe lateque fusus, ei adiacet. Quod vero dolendum, nullum in his oris est templum catholicum, nullus sacerdos, sed haeresis Calviniana ubique dominatur. Ex hoc praesidio Szakmariensi rex Hungariae<sup>233</sup>

dimitto nuper duce Calviniano, ei cum summa auctoritate ex antiquissima magnatum Hungariae familia Ill<sup>mum</sup> dominum Andream Dóczi catholicum praefecerat: qui ut eo venit, nihil magis in votis habuit, quam aliquem e Patribus Societatis a sacris sibi adesse; quod et litteris a Patre Provinciale petiit et impetravit. Quare illorum duorum Patrum, quibus e Transylvania discedendum fuit, alter post longos viae errores sub autumnum anni decimi Szakmarinum se contulit: quo cum Dóczius Patrem deduci curaret, ne a militibus Haidonibus ad omnem licentiam vitae proiectis, qui circa Szakmár domicilia fixerunt, vitae discrimen adiret, Pater toga Hungarica induendus fuit. Nec tamen defuit periculum. Nam ab uno comitum minus fido quibusdam militibus in via proditus est; cui tamen cum illi nocere non possent, eum, qui Patris ductor erat, multum urgent et promissis onerant, futurum ut liberalem mercedem a Gabriele Bathori sit reportaturus, si modo Patrem in profluentem aliquem praecipitem ageret, seque in Transylvaniam reciperet: verum ductor, quod catholicus esset, ab hac vesania longe abhorruit. Transmissio igitur Tibisco Szakmarinum, ut Pater venit, ne quid turbarum sua praesentia apud eos homines, quibus vel ipsum nomen Papistae exosum est, cieret, Dóczius primos militiae et loci duces accersit, eosque commonefacit se catholicum esse, cui suae salutis cura incumbat: idcirco advocavisse sacerdotem, qui sibi concionibus et sacris adsit, cum liberum ibi religionis catholicae exercitium possit curare. Videant proinde, ne catholici sacerdotis praesentia sive apud vulgus, sive praedicantes rixarum et tumultuum fomitem ferat. Illi monitis se morem gesturos promittunt. Quia vero templum deerat, aedes domestica ad rem divinam agendam adornanda fuit. Hic conciones habitae ad paucos, quibus cum plerique haereticorum etiam libenter aures praebuissent, illos tam ab his, quam a familiaribus Patris colloquiis Calvinianorum magistri diris terriculamentis coërcuerunt: quin ex cathedra unus graviter in eos debacchatus est, qui catholicos peregre venientes vel hospitio reciperent, vel domi suae moram trahere sinerent. Aderat in Szakmár a Rege, cui est a consilio, missus legatus, qui Jesu Christi e crucefixo effigiem argenteam in mensa sibi spectandam proponere solebat. Nobiles, qui eum ad-

ibant, visa ea effigie certo nuncio aperiunt, eam non libenter a se videri; quae si a mensa removeretur, fore, ut frequentiores eum accederent. Ita in hac haeresum lerna vel ipsa imago Christi est sudes in oculis.

Confessiones auditae in hoc sterili solo circiter quinquaginta. Unus suppicio afficiendus prope mortem ad fidem vocatus et divinis sacramentis est munitus. Funus item nobilis iuvenis, qui nostro praesente pie e vivis excesserat,

*Vrbis & fortalitium Zatmaria' in Ungaria' munitum a' Ruddo ii.*



suit occasio, ut publico loco verba faceret ad nobilium civiumque multitudinem, qui honoris causa invitati aderant; quorum aliqui eo curiosius confluxerant, ut quem concionaturum inaudierant, viderent, quale frustum hominis, quale monstrum esset sacerdos Jesuita. Fuit is, si non aliis, eius dictionis fructus, quod ex iis auditoribus plerisque, qui catholicum docentem nunquam audiverant, clementius et melius de catholicis, eorumque doctrina sentire coeperunt, atque etiam palam iactare, se vel ex unius concione

plura, quam ex decem suorum praedicantium hausisse. Et profecto nisi pedicae iis essent iniectae; sive futuri mali nescio quis timor, gloriaeve caducae amor, non usque adeo abhorrerent a divini verbi seu aditione, seu fructu.

ANNUS 1612.

**Missio Homonnensis.**

**H**OMONNA oppidum est Superioris Hungariae ad medium montem Carpathum, cuius longo tractu continuata iuga Hungariam a Polonia dispescunt. Id oppidum est in bene ampla ditione Georgii Drueth comitis, cuius missu ab hinc triennium eo venit noster sacerdos omnibus curionis muneribus defunctus per id omne tempus, quod ager ille sacerdotibus aliis pridem vacaret. Ex quo noster divini verbi sementem auspicatus est, suum et Christo, et ipsi comiti fenus copiose redditum observatur, siquidem septingenti ab haereticorum doctrina discessionem fecerunt, mille coloni in comitis ditionem aut redierunt, aut transierunt. Porro qui a Lutherana impietate, aut Ruthenico schismate ad catholicos traducti sunt, in Homonnensibus oppidanis censemur omnes, quorum, et caeterae civitatis nomine publice scriptae litterae ad comitem et dominum suam civibus gratulantur felicitatem, quod eis post longas tenebras lux Evangeliae veritatis diluxerit, et quidem beneficentia sui comitis ac domini, cuius religionem ac pietatem deinceps constanter sint imitaturi. Homonnensium ab haeresi discessionem Lutheranus antistes cum prohibere non posset, certe obscurare conatus est. Templo nuper praefuerat, cum solus oppidi ageret praesulem, et templi claves adhuc asservabat, ut auctoritatem suam vel hoc titulo tueretur. Cum igitur civitas universa suae cum Catholica Ecclesia reconciliationis publicam laetitiam cum aliis signis, tum festo campanarum sono proderet, quacumque arte ac vi potuit sedulus ille templi custos aeris campani crepitum inhibuit. Sed illud scilicet obstinatione sua effecit, ut magis accenderet populi studium, et ipse sibi maiores ac celeiores exilii causas arcesseret. Publici enim consilii decreto clavibus templi et templo ipso cedere nostro sacerdoti

iussus est, atque ipse propere oppido et agro eius toto  
 decadere coactus. Pulso praedicante templum expiatum,  
 institutoque celebri pompa supplicantium agmine in tem-  
 plum sub catholicis signis redditum est, ubi primum a  
 pulsa haeresi sacrificaretur sollemni ritu, et adhibita eccle-  
 siastica symphonia. Sed haec fere sub exitum triennis  
 missionis, cuius primo anno celebres aliquot litteratorum  
 accidere conversiones, atque ipsius oeconomi satrapiae  
 Homonnensis, quem deinde secuta est uxor, sed non nisi  
 adacta divino veluti verbere. Huic cum acerbus valde acci-  
 disset coniugis a Calvinismo transitus ad catholicam veri-  
 tatem, nostros coepit odisse, ab iis olim non aliena, suum-  
 que odium iureiurando etiam est testata, inter quae verba  
 gravi derepente morbo corripitur, ut nec illi, nec adstan-  
 tibus obscura esse posset divinae animadversionis occasio.  
 Mulier ut se malo sensit oppressam, haeretica licet ad  
 votorum confugit remedium, atque inter alia multa id  
 unum concipit, Societatis hominibus, si umquam alias, se  
 deinceps addictissimam fore: quo voto nuncupato, ut illud  
 Deo ratum fuisse intelligeret, morbus illico solutus est,  
 ipsa vero, ut promissi fidem faceret, filiolum suum scholis  
 nostri sacerdotis auditorem destinavit. Scholas noster initio  
 sui triennii apud se instituerat, ut Calvinianis magistellis  
 oppidanam iuventutem subduceret, quod ei consilium cessit  
 felicissime, paucis enim diebus suum gymnasium spoliis  
 adversariorum valde locupletavit et eruditione ita promovit,  
 ut eius alumni Calvinianos ultro lacesserent et disputando  
 vincerent. Gemino deinde dato dramate etiam cum haere-  
 ticorum plausu, ac multiplici carmine saepius scripto comiti  
 Homonnensi patrono suo, episcopis nonnullis, atque car-  
 dinali uni salutandis magnam sui, et catholicae institutionis  
 opinionem concitarunt.

Piorum fidem magnopere confirmavit et rituum catho-  
 licorum auctoritatem eventus quidam valde illustravit. Per  
 ipsius veris tempora siccitas sic omnia occupaverat, ut  
 aeneum coelum, terram ferream posses dicere, cum ex  
 veteri more catholici sollemni supplicatione sata circum-  
 vecti suis agris idoneam tempestatem precabantur. Agmen  
 supplicantium votis intentum adhuc inter sata ferebatur,  
 cum missa coelitus imbris tanta copia est, quae satis esset  
 agris ubertim profundendis, quaque omnes docerentur,

gratisssimam Deo cecidisse veterum ecclesiae rituum in illa ora instaurationem. Ignarum vulgus, ut ex eventu res probare solet, facile adducitur, ut quod aliis bene cessit, eo etiam uti velit. Ideo fit, ut haeretici rusticani ex circumiectis pagis ac villis turmatim conveniant nostrum sacerdotem lustralis aquae impetrandae gratia, qua domi utantur ad omnium morborum medicamentum, cuius scilicet potionē nonnulli febrim, aspersione alii nocturna terriculamenta, quidam capitis molestum ulcus abegerint.

Infesta morbis est puerilis aetas eo universo tractu, quod praedicantium parum piis baptismi ritibus matres vulgo attribuunt, ideo frequentes ad sacerdotem nostrum adeunt rogantes, ut recitando Evangelio suis liberis laborantibus bene precetur, quarum fidei parvolorum secuta sanitas respondet. Puella in pago graviter aegrota octo iam dies sine motu ac sensu iacuerat, quam ubi noster lustrali asperserat aqua et sigillo B. Ignatii effigiem praeferente consignarat, Iesu nomen expedite, ac saepius, ac deinde orationem Dominicam iussa pronunciavit: quam repugnantiibus licet parentibus, et pedum usu captam causantibus sacerdos noster e lectulo educi, et bacillo porrecto ambulare cum iussisset, multa spatia per hypocaustum, stupentibus, qui genus et tempus morbi noverant, decurrit, ac postea semper suis pedibus valida incessit. Alio in pago haeretico puella valetudinis acerbitate de statu mentis deiecta parentibus moerorem auxerat, qui ut natae medicinam facerent, quam omnium potentissimam rebantur, haeretici licet, ab nostro sacerdote consecratae aquae copiam sibi fieri postulant, qua aegrotae adhibita et potestas mentis, et sanitas corporis repente est consecuta. Hic casus apud haereticos nondum antea auditus ad id valuit in praesentia, ut eius pagi vir primarius illico haeresim exsecraretur, nostrumque sacerdotem confessionis ac caeterorum gratia sacramentorum confestim adhiberet. Alio in pago rustici non pauci ex morbo decumbentes accersito ad expiationem animi sacerdote statim a confessione convaluerunt, quae res multis paganis ansam praebuit ad Ecclesiam Catholicam commigrandi. Lutheranus vir gravis et in Homonnensi ditione magistratus ex primariis per quietem audivit Deum sibi praecipientem, ut sacerdote nostro uteretur ac catholicos ritus percipiendos, et sacra-

menta obeunda. Aeger igitur cum esset, carrucam misit qua Pater ad se veheretur, et adiecit suis mandatis, surdas aures Deo ab se non amplius esse praebendas, sed continuo parendum imperanti, quod et reipsa praestitit. Lutheru explosu, et sacramentorum ope Deo atque Ecclesiae reconciliatus, quam reconciliationem largae eleemosynae in egentes secutae sunt. Aegrotabat catholicus in haereticorum pago et triduum iam mutus p[re]a imbecillitate aciebat, cui dormienti visus est adsistere unus de nostris, quorum nemini umquam locutus fuerat, et ita aegrum affari: «Si confessus fueris, convalesces.» Is ergo evigilans se voto confessionis obstringit et post paulo dat se in viam ipso die Christi Natali Homonnam versus, ubi ex animi sententia plenusque gaudio confessionem ac coeleste convivium obivit.

Capitis damnatos ante quam carnifex ultimo afficeret suppicio, plebs solebat multis et atrocibus mactare cruciatibus, cui frequenter aderat praedicans novorum suppliciorum arbiter et inventor, ut auctore sacrorum antistite et animarum pastore non pauci ad desperationem adigerentur. Plebs his scilicet doctoribus sibi sumpserat, ut si damnatum aliquando suspectum habuisset damni aut iniuriae illatae, indignis illum modis ad patibulum ipsum divexaret per lictorem mercede redemptum, cui accensas faces ad damnati latera exurenda, et caetera id genus instrumenta cruciatuum palam subministraret, quam carnificinam usque eo protaherent, dum miser aliquid eorum fateretur, quorum insimulabatur. Hunc morem noster, cum suscepisset damnatos deducere, ut alienissimum ab humanitate ac christianis institutis penitus sustulit, operamque dedit, ut extrema suppicia reis cederent ad animae salutem. Quo in genere officii aliquando ei accidit, quod miraculo tribuendum sit: Reus enim ex scalis ad strangulationem deiectus semel ac iterum abrupta veste<sup>234</sup> decidit incolumis, quod tametsi omnes adstantes prodigo ac innocentiae hominis tribuebant, ad laqueum tertio rapiebatur, nisi sacerdotis nostri preces intervenissent, cui condonatus reus narrabat adfuisse sibi augusta specie virginem, et pollicitam nihil ipsi detrimenti ex suspendio futurum. In ea porro tota regione licet variis haeresibus infesta socii recte factis sunt consecuti, ut eorum sit apud haereticos etiam praeclera existimatio, adeo ipsi

praedicantes nobis infensi non sunt, ut nostrae famae defensionem adversus malevolos non suscipiant.

Sollemni epulo intererat aliquando non exigua praedicantium turma, quorum unus inter pocula, ut assolet, Societati generatim et Homonnensi concionatori nominatim coepit maledicere, atque inter caetera ipsius eruditionem contemptim elevare. Eius maledicta non passi sunt caeteri praedicantes ultra progredi, sed universi offensionem suam ex eo sermonis genere apertissime testificati, de concionatoris nostri litteris ita maledicenti retulerunt, ut assarent, plus esse litterarum in minimo nostri sacerdotis digito, quam licet in amplissimo praedicantis cerebro. Ille autem, non libenter passus suam eruditionem posthaberi, cum in sententia et maledictis contentiosius pergeret, id tandem assecutus est, ut praedicantium globus Thrasonis insolentiae pertaesus promissis capillis apprehensum de mensa detraheret, ac demum ex aedibus praecipitem exturbaret.

Noster cum primum venit Homonnam infensissimum expertus est praedicantem, qui tum oppido praesidebat. Nobilem matronam aegram a Calvino ad Christum noster traduxerat et poenitentiae sacramento expiarat, Eucharistiamque publice cum pompa, cuius erat tum copia ad eam deferebat. Hic praedicans desertione illius matronae graviter offensus et novo spectaculo excandescens inde usque ex aedibus suis ad fores aegrotae conviciis atrocibus nostrum lacerare perseveravit, lupum, seductorem, Singarum et huiusmodi contumeliosis vocibus appellans tacitum, et ei modo, quod gerebat, intentum negotio. Sacerdote intromisso in aedes matronae, cum irrumpere tentaret minister, exclusus a domesticis, furens et gravius aliquid molitus domum regreditur, unde universam puerorum scholam evocans, instructam lapidibus vehementer animare institit adversus sacerdotem. Huic egresso ex aedibus aegrotae fit obvius minister cum armata saxis cohorte, conviciis eum rursus onerat, pueros ad lapidationem incendit, necem nostro interminatur, si suorum coemeterium, qua ipsius iter erat, pedibus attingeret. Sed quantumvis classicum canente ministro et pueris ad hoc petulantiae genus sua sponte incitatis et exercitis, nullus tamen eorum aut vocem, aut sacrum misit suumque iter, qua libuit, noster persecutus intrepide domum pervenit incolumis. Insequente nocte praec-

dicantis domus graviter concussa intremuit, vicinaque schola, unde manum puerorum ad lapidationem exciverat, magna ex parte quassata corruit, quam conquassationem et ruinam nemo fuit toto oppido, qui non interpretaretur violati sacerdotis ac Numinis animadversionem.

P. Stephanus Kabos<sup>235</sup> Transylvanus anno superiore vita functus Cassovia Homonnam advectus in huius missionis templo sepultus est hoc anno, catholicis obviam procedentibus, et funus officiose prosequentibus, ac in primis domina Rakócziana cum amplissima familia lacrymis ei parentante, quem pietatis magistrum sibi ablatum vehementer dolebat. Hic cum Romae daret operam litteris contubernali usus fuerat B. Aloysio<sup>236</sup> et ea re inter amicos pie gloriari consueverat, nec immerito, ut qui egregias tanti adolescentis virtutes sancte aemulatus multum profecisset. Ab iis studiis litterarum postea quam philosophiam collegiis aliquot docuerat, adhibitus concessionibus, qua laude clarus erat, in Superiore Hungaria diu fructuose versatus inter ingentes pro Christi gloria et proximi salute labores feliciter vitam terminavit magno catholicorum moerore, quorum procurandae saluti se dederat. Moribundum cum adstantium aliquis solaturus idemtidem hortaretur, uti mortem ne reformidaret, ita respondit recte factorum conscientia factus: Servo Dei nihil in morte accidere posse, quod doleat aut timeat, multa contingere cur bene speret, ac gaudeat.

ANNUS 1613.

### Collegium Homonnense.

**M**ULTARUM illustriumque satrapiarum in Ungarico regno dynastes, Georgius Druethius, nobilitatis antiquitate, avitaeque fidei studio, inter summos regni proceres celebratissimus, instaurando, ab Calviniana vastitate, per Homonnensem ditionem, catholico ritui, quinquennium totum Homonnae apud se aliquot de nostris habuerat.<sup>237</sup> Quod autem fidei catholicae amplius se debere crederet, quam ut illatas ipsi Calviniano scelere plagas in praesentia modo obligaret, futura vulnera non prohiberet; perpetuum ei praesidium Homonnae, valido expeditoque milite instructum, collocandum statuit, advocata sociorum

familia, quam catholicae militiae arci, quotidianisque ex illa expeditionibus, praeficeret. Vetus monasterium solo aequaverant Calvini asseclae, sacram monasterii aedem superstitem pecori stabulando addixerant; qua aede repurgata, aedificioque in coenobii ruinis instituto, Societatis collegio domicilium destinatum, summa dynastae cura coepit assurgere, incredibili catholicorum voluptate, Calvinianorum et schismaticorum, quibus hic nihil est frequentius, moerore non dispari. Exactis tota regione bene ampla ministellis, quod caeterorum sacerdotum vix adhuc ulla suppetit, copia, nostri Patres in vicis pagisque curionum vices interim explere solent, perlubentibus rusticani, suamque conditionem, p[ro]p[ter]e illa, quae sub Calvinica tyrannide, ignorantia et insulsitate fuit, cum multo gaudio anteferentibus.<sup>238</sup> Tenebrionum huiusmodi oratio quam sit hebes, quam nullius roboris ad ingenerandos in animis auditorum pietatis, poenitudinis, caeterarumque christianarum motiōnum sensus, vel una meretricula potuit dispicere, quae illis monitoribus ad resipiscendum momenti cum nihil hauriret, delapsa deinde ad nostros, ubi serio suarum partium est commonita, sua sponte in triennium solidum, per ternas cuiuslibet hebdomadae ferias, aridum panem ac frigidam, iisdemque diebus iejunium non sibi modo indixit, sed certorum quoque dierum verbera et bene magnum precum, ac peregrinationum numerum, quorum omnium observantissima etiamnum perdurat.

Momentum habuit non leve, ad suscitandum in populo amorem et venerationem catholici ritus tanto vehementiorem, funus matronae frequenti ac religiosa pompa procuratum, habitaque insuper concio de catholica sepultura, de praerogativis morientium in Ecclesia, deque infelici obitu a fide aberrantium, cuius auditione plebs suum sibi redditum ad catholica sacra mirifice gratulata est. Interea casus incidit, quo haereticorum ferocia et in catholicam plebeculam petulanter grassandi libido, valide contunderetur, erigerentur catholicorum animi ad suum ius liberius fidentiusque persecendum. Ex Evangelicae factionis primoribus unus, ut potens opibus, sic insolentia, superbiaque facile princeps, plebeium catholicum, tenuis fortunae hominem, verberibus mulcarat atrociter, suoque scelere ita gaudebat, ut eius noxae citatus ad capitales quaesidores reus, non

modo crimen non inficiaretur, sed gloriabundus etiam apud considentes iudices suum factum venditaret. Sed decreto consilii eius humeris liberaliter incussum fustuarium, ad ipsas curiae valvas, tam projectam, ostentandae iniuriae ab se illatae, compressit in homine contumacissimo alacritatem et opportune inhibita eius gregarium petulantia, catholicis multam libertatem, quietemque asseruit.

Mille quadringentis triginta et septem aut Calvinismo, aut Ruthenico schismate illigatis, funesta detracta sunt vincula,<sup>239</sup> uni etiam Turcae Mahometismus excussus est. Batskores, Ruthenici seu Russani schismatis sacerdotes sunt, singulari omnes ignorantia, quae deprehenditur ex ingenti stupore illius plebis, quae ipsorum diuturno magisterio docta est nihil omnino sapere, cuius sunt apud nostros de suis magistris graves quaerimoniae, quoties suam ipsi altissimam rerum fidei peregrinitatem exprobramus. Eius generis sacerdotum ducentenis plures sunt in Homonnensis satrapae ditione, quibus auctoritate Pontificia praeest, qui Munkacsio in coenobio celeberrimo Basilianorum Caloierorum sedem habet, idemque Munkacsiensis episcopus appellatur, quo cum frequentes nostris intercesserunt congressus, ut is cum universo clero suo ad Ecclesiam Romanae communionem adduceretur, sed eventu in hunc diem irrito. Eo igitur descensum est, cum alia nulla suppeteret eius communionis iungendae ratio, uti dynastes Homonnensis appellaret eius controversiae disceptatorem, Russorum vladicam, hoc est Ruthenicarum partium archiepiscopum, ultima ferme in Russia degentem; quem Ecclesiae Romanae sententia et voluntate coniunctissimum, nemo dubitaret Munkacsiensibus Ruthenes Societatem cum catholico nomine facile persuasurum.

Hic est ille vladica, Societatis nostrae amantissimus, Athanasius Krupeczky, Praemisliensis antistes in Russia, qui comitis Druethii litteris ad hanc conciliationem invitatus mox e Russia Homonnam advolavit. Eius nec conspectum, nec adventum sustinuit Munkacsiensis episcopus, conscientius sibi noxae cuiuspam; citati nihilominus Basiliani omnes Caloieri, Ruthenique sacerdotes reliqui, vladicæ rationibus et auctoritate adducti iurarunt in nomen Romani Pontificis, id unum modo veteris modis sibi reservantes, ut Graecanico ritu sacris operari liceret.

Ruthenici divertii popas quinquagenos (sunt eius gentis sacerdotes) Ecclesiae summo capiti volentes adiunximus et suo vladicae, hoc est episcopo, fecimus in posterum obsequentiores; cuius primum id documentum fuit, quod publice operanti sacris, in caetero canentium choro, ipsi quoque canentes adstiterunt. Iis porro, quod extra aedem sacram, nullo vestis aut tonsurae discriminē internoscebantur a reliquo plebis vulgo, persuasum est, ut clericis idoneo amictu, tonsuque uterentur, qui eos secerneret a plebeis et ab quotidianis contumeliis, iniuriisque vindicaret: quo nomine honorificas immunitatum praerogativas ipsis optimus huius orae dynastes impertiit.

Coenobium religiosa nuper disciplina florentissimum, aedemque coenobii Magni Matri sacram, quotidianis pene prodigiis illustrissimam, tertio ab Homonna miliari, Calvinianus aliquis, de gente Druethii comitis, odio catholici nominis everterat funditus, populariumque sollemnes peregrinationes ad illius aedis ruinas indicta poena vetuerat; sed cum nullius supplicii metu coercita plebis fides ingentibus venerantium agminibus sacri loci vestigia celebraret, longe uberiore coelestium munorum fenore cum officiosis clientibus beneficentissima patrona certabat. Homonnensis igitur dynasta et fovendae indigenarum, advenarumque religioni, et suae in Coeli reginam magis magisque declarandae, in ipsis aedis afflictæ ruinis, miraculorum quoque crebritate ac magnitudine inclytis augustum Virginis templum anno superiore instauravit.<sup>240</sup>



## APPENDIX I.

Brevis et succincta descriptio quo tempore et qua occasione haereses in Transylvaniam fuerint inventae, quem progressum habuerint et quis modus sit eas extirpandi. Per R<sup>dum</sup> Patrem Stephanum Aratorem Soc. Jesu. Anno Domini 1600.

Transylvania olim Dacia dicta, ducatus et provincia fuit Ungariae subiecta et ad fidem nostram catholicam conversa ante annos 600 per Sanctum Stephanum regem. Sed cum contendenter inter se de regni corona Ferdinandus archidux Austriae et princeps Transylvaniae,<sup>241</sup> et fecerunt ex provincia regnum, excedit amplitudine totam Bohemiam et Moraviam, cingitur undique montibus et sylvis, unde etiam nomen meruit, ut Transylvania ab Ungaris diceretur. Nam ultra illas sylvas usque Budam, summa planities est. Fortissima semper est habita pars Ungariae, de qua solebat dicere invictissimus Matthias rex: «Domini Ungari, custodite diligenter Transylvaniam, quia si illam amiseritis, amissa erit tota Ungaria, sed si illam conservaveritis, amissam Ungariam inde recuperare poteritis.» Tentarunt Turcae aliquoties occupare, sed quoties ingressi sunt, toties ad internacionem deleti sunt. Tentavit et Ferdinandus sibi usurpare; ingressus est exercitus eius, sed ibi sepultus est. Tentavit etiam filius eius Maximilianus, missus exercitu cum Casparo Bekes Ariano, sed totus exercitus eius deletus est per Stephanum Bathori principem Transylvaniae anno 1575, qui non multo post in regem Poloniae est electus.<sup>242</sup> Transylvania igitur ab hoste externo vix aut difficillime capi poterit, si domini Transylvani inter se, intra regnum fuerint concordes. Nam et praecedenti anno, quod Valachorum vaivoda<sup>243</sup> ingressus fuerit, discordia fuit Transylvanorum. Quia equitum dux fuit Caspar Kornis Trinitarius, qui deserto cardinali Andrea Bathori cum toto equitatu defecit ad Valachum.

Abundabat Transylvania rebus omnibus ad usum hominum pertinentibus: frumento, vino, pascuis, sylvis, pecoribus, fodinis omnis generis metallorum, auri, argenti, ferri, plumbi, aeris, argenti vivi, et vix est aliquis mons, sub quo non lateat aliquod metallum; et ob id non frustra maiores nostri appellauunt eam «Kencses Erdel» id est: Thesaurarium Transylvaniam. Habet inter se plurimos colles viniferos, montes salis aliquot, ex quibus instar lapidum modico labore ingentes portiones optimi salis eruuntur; equos dignit generosos, sylvae feris abundant omnis generis.

Flumina tria aurifera sive aureas arenas vehentia inde in Ungariam egrediuntur, Chrisius albus et Chrisius niger et Samosius;

habet praeterea alia 5 aut 6 flumina, quorum alia in Valachiam, alia vero in Ungariam erumpunt. Triplices populi incolunt Transylvaniam: Ungari, qui sunt domini provinciae,<sup>244</sup> Saxones et Valachi. Saxones anno Domini 800 fuerunt electi ex Saxonia per Carolum primum, quod susceptam catholicam religionem abiecerunt; qui quaerentes sibi novas sedes, venerunt in Pannoniam, rogantes Ungaros, ut locum habitandi ipsis concederent in sua terra; qui assignarunt illis quandam sterilem et montosam partem Transylvanae,<sup>245</sup> quam illi magnis laboribus egregie excoluerunt et construxerunt in ea septem pulchras muratas civitates, a quibus vocant Germani Transylvaniam Siebenbürgen; ab illis nervus belli suppediatur Transylvanicus. Valachi olim fuerunt coloniae Romanorum et loquuntur corrupta Italica lingua, sunt rudes et sylvestres homines, sunt pastores ovium, incolunt montes et sylvas et nobilium Ungarorum sunt coloni. In praecipuis locis et arcibus habitant Ungari Transylvani, quorum alii sunt Ariani sive Trinitarii, alii Sabbatarii, qui pro dominico die observant more Iudeorum Sabbatum; alii Lutherani, alii Calvinistae, alii catholici. Saxones sunt omnes Lutherani et hi primum invexerunt Lutheranam sectam in Transylvaniam. Valachi sunt Graecae fidei schismatici et pendent a patriarcha Constantinopolitano, qui nunquam potuerunt a sua schismatica fide dimoveri, nec per haereticos, nec per catholicos. Omnes autem praedictae haereses invectae fuerunt in Transylvaniam eodem tempore, quo in Ungariam, et eadem occasione post mortem Ioannis regis, qui contendit de regni corona circa annum Domini 1540 et 1541, postquam et Frater Georgius cardinalis, cui regnum et filium testamento commiserat Ioannes, clam a legatis Ferdinandi fuisse occisus.<sup>246</sup> Unicum tota Transylvania habuit episcopum, qui fugit in Ungariam, ubi dedit ei Ferdinandus episcopatum Nitriensem;<sup>247</sup> post mortem autem Fratris Georgii electus fuit tutor pueri et gubernator Transylvanae Petrus Petrovich Dalmata, qui iam ab haereticis fuerit corruptus et a catholica religione aversus. Qui videns episcopum Transylvanae deseruisse oves et transfugisse ad Ferdinandum, iratus eiecit omnes canonicos, monachos et sacerdotes catholicos et villas et possessiones illorum partim fisco principis applicuit et bonam partem sibi usurpavit; idem fecit Varadini, fugiente et inde Varadiense praesule, quod videntes haeretici lupi rapaces populum Transylvanicum eum destitutum veris pastoribus, confestim adfuerunt et ecclesias atque paroecias catholicorum occupaverunt et adhuc tenent. Et quia sciebant proceres Transylvani, nulla iura temporalia posse administrari secundum decreta Ungariae sine canoniciis, elegerunt ex nobilibus quatuor, quos appellarent capitulares, qui eodem officio in iudiciis fungerentur. Et sic factum est, ut intra paucum tempus religio catholica e Transylvania extirparetur.<sup>248</sup> Ex magnatibus hi pauci manserunt constantes: Stephanus et Christophorus Bathori cum sua familia, Stephanus et Albertus Toldi cum sua familia, Christophorus Keresztsuri, Michael Teleki, Dionysius Makai, Martinus Literatus et Zekuli fere omnes, qui incolunt montes Transylvanae, qui dividunt Transylvaniam a Mol-

davia et Valachia. Aliqui perperam vocant illos Siculos, quasi ex Seculis essent oriundi, cum nihil habeant commune cum illis, sed sint veri et naturales Ungari, sicut et alii; dicti autem fuerunt Zekuli a sedibus, quas nos vocamus Zek et inde Zekel quasi sedentarius, et inde postea formarunt Zekulum.

Ratio horum est; quia cum prima vice Ungari egressi essent ex Scythia Asiatica primum occuparunt Transylvaniam et fecerunt sibi septem sedes, in quibus insiderent; inde maior pars egressa est in Pannoniam et eam occupavit, reliqua pars mansit in Transylvania custodiens sedes et isti dicti sunt Zekel sive Zekuli et sunt omnes nobiles et generosi atque fortissimi milites.

Primum igitur introducta fuit in Transylvaniam Lutherana haeresis per Saxones Casparum Heltai typographum et Franciscum Davidis, qui fuit Saxo, sed ita exacte didicerat Ungaricam linguam, ut utraque lingua concionaretur; cui non multo post displicuit Lutheranismus et defecit ad Calvinismum, tandem ad Arianismum, qui si diutius supervixisset habebat animum inducendi Iudaismum et circumcisionem et reiiciendi totum testamentum novum. Sic impii semper proficiunt in peius, sicut filii Dei in melius. Calvinismum invexit quidam minister Calvinista, Gallus nomine,<sup>249</sup> non natione, et alii Ungari eiusdem sectae ministri, Petrus Melius, Petrus Carolinus, Georgius Geönci, Petrus Berekszászi, Ioannes Huniadinus, Ambrosius Derecskei et alii horum discipuli, qui sedes suos habuerunt extra Transylvaniam in Ungaria Varadini, Debröcini et Sarospatacini. Calvinistae coniuncti cum Lutheranis saepe certamen habuerunt cum Trinitariis et ab illis fuerunt superati. Erat enim Franciscus Davidis versatissimus in scripturis sacris, ita ut videretur tota biblia memoriter novisse et scripturam unam per aliam interpretabatur, nulla concilia, nullusque Patres recipiebat, sed puram scripturam, et ridebat Calvinistas et Lutheranos, cum aliquando ex his contra se probassent; quod, cum nec isti a Papistis talia testimonia reciperent, non eos puderet contra se adducere; alioquin deberent omnia dogmata Papistica recipere, quia omnia illa facile ex conciliis et Patribus probari possent. Arianam sive Trinitariam doctrinam induxit in regnum Georgius Blandrata Pedomontanus Italus, qui fugiens inquisitionem Pataviensem venit in Transylvaniam et factus est medicus Ioannis reguli iunioris; negavit cum Ario Christi divinitatem, cum Macedonio Spiritus Sancti divinitatem et personarum distinctionem cum Sabellio. Primum hic traxit in suam sententiam Franciscum Davidis, postea per se et per illum principem sive regulum Ioannem, atque primarios eius consiliarios: Casparum Bekes, Casparum Kornis, Christophorum Hagymási, Ioanneim Gerendi, a quo Sabbatariorum secta capit, quod de Sabbatho colendo expressum sit Dei praeceptum, de die dominico nullum. Sectatores eius dicti sunt Gerendistae.<sup>250</sup> Hae tamen posteriores sectae Calviniana et Trinitaria multo post Lutheranam sunt inventae, multis enim annis sola catholica religio et secta Lutherana servata est in regno.<sup>251</sup>

## APPENDIX II.

### Relatio diffusa de itinere et missione Patris Antonii Possevini Soc. Jesu in Hungariam et Transylvaniam ineunte anno 1583. peracta.

Haec cum acta essent, ut iam existimari posset, Divinae bonitatem velle nos alio quoque ad alia proficisci, ecce redit a Caesare cubicularius ille alter, quem cum suis litteris de compositione inter utriusque Maiestates miserat P. Possevinus. Ad eum Caesar<sup>252</sup> scribit se non modo ipsam pro Sacmarino et Németio compensationem velle tradere, verum etiam priorem fore qui eam nominet, quando in hoc controversiae cardo vertebatur, Patris studium, quod in conciliandis principum animis tam sedulo impenderet gratum sibi dicat: litteris deinde R<sup>mi</sup> Apostolici nuncii<sup>253</sup> plura ei significat, quae eo inter alia spectabant, ut Patri, qui id bona cum venia petierat in Transylvaniam se conferre liceret. Ad comitia Hungarica inde postea veniret, quae in 10. Martii diem erant indicta Posonii. Has litteras Regi ostendit et alias ab eo impetrat, quibus iterum oratori suo R<sup>mo</sup> episcopo Cuiaviensis<sup>254</sup> mandat, ne ab aula Caesaris nisi re confecta discedat. Id enim maxime faciebat ne tantae pacis compositio dissolveretur. Interea relictis quibusdam libris, qui Cracoviae ederentur, altero de vita Calvini, quam Polonicem verti in castris ad Plescoviam superiore anno Pater curarat, altero autem de necessitate, utilitate et ratione docendi catechismi, quale ratione inter summas quasque difficultates negotium divinum procurari et propagari possit, versus Hungariam, (acceptis a Rege litteris et comitatu oblatis, item a Patre Divae Barbarae templo, ut iter prosperum cedat vestibus sacris, quas ab urbe attuleramus) in viam nos laeti dedimus. Ac sub Bacchanalium dies versus Hungariam cum iter instituissemus, tridui spatio Bartfam pervenimus, superatis montibus, non illis quidem tam altis, quam continuatis. Id oppidum, cui arx munita non deest, ad Caesaris ditionem spectat, cum pene eosque reliqua pertineant ad Poloniae regnum. Iamque nihil nisi Calviniana pestis, haeresumque variarum reperiebamus, prorsus et nullum templum esset catholicum sacro faciendo; hoc vero privatim (licet nobis a Summo Pontifice concessum erat) nulla ratione decebat in Calvinianorum hospitiis facere, cum in uno et eodem hospitio cui plerumque unum tantum hypocaustum est, homines mulieresque iacerent. Et erat tamen dies is Quinquagesimae Dominicus,<sup>255</sup> qui Patrem vehementer sollicitum habebat, ne tanti sacrificii praesidio ingressus in hanc tam

vastam et periculi plenam provinciam privaretur. Quod dum in curru ad Meridiem usque cogitasset, ac Deo ardentius commendasset, venit illi in mentem, si alibi non posset, in curru convenientius sacrum esse faciendum, cum in eo tantum orationes, ac de bonis rebus colloquia haberentur. Porro currus eiusmodi est, qui Patrem bis in Moscoviam et Livoniam vexit ac Romam, quique rectum hominem capere possit, ac sic contegitur, ut nulli in eum introspicere liceat. Ex curru itaque sacellum factum est, in quo non semel postea sacris operati sumus, et Sacrosanctam Eucharistiam sumpsimus. Inde autem post quinque dies cum ad III<sup>mum</sup> Dominum Nicolaum Bathoreum, Regis consanguineum litteras attulissemus, perhumaniter ille nos accepit et praemisso qui Caesaris praefectos Sacmarium, munitissimam arcem custodientes (eam de qua inter Caesarem et Regem Pater agebat) de nostro adventu praemoneret. Primo, qui Hungarico equitatui, deinde paulo post, qui arcis Germanico praesidio preeest, nobis multo cum comitatu obviam venere, inque ipsam arcem admissis prandium humanissime, Calviniani licet Lutheranis permixti plerique omnes, praebuerunt. Ac sibi quidem ii carnes coxerant, cum Quadragesimae essent dies, Patri pisces dedere, qua occasione de Christianae religionis veritate ea locutus est, quae miseros facerent attentos. Tum libris quibusdam relictis ad duo Germanica millaria nos prosecuti sunt, et eam noctem apud nos mansere.

Digressi iam Transylvaniam, quae antiquis Dacia postrema erat, prospiciebamus montibus cinctam, in quam pervenimus undecimum post diem, ubi Cracovia discessimus, rectissimo et faciliore itinere, quod praeter Tibiscum reliqua flumina conglaciaverant, cum si soluta fuissent, et terra, ut fit maduisset re 25 diebus iter illud confecissemus. Somrium autem ipso, in Transylvaniae quasi suburbio divertimus arcem, ubi natus est Rex Stephanus, qui ex Illustri et perantiqua Bathorea gente ipsam primo Transylvaniam, ac nunc Poloniae regnum administrat. Hic vero fuit unde magnopere consolaremur, admirati Divinae sapientiae ac iustitiae vias. Est clivus reliquis altioribus montibus haerens et arci illi pene imminens, super quo Regis parentes admodum pii templum Beatae Virgini anno huius saeculi quarto supra trigesimum extruxerant, quo anno Stephanus, qui nunc regno Polonio potitur, in lucem editus futurae, in eo pietatis et dignitatis praemium et quasi vaticinium iisdem parentibus fuit. Neque enim hi tam ecclesiam aedificasse et filium genuisse visi sunt, quam eum, qui angustiora quam ipsi templo erat aedificaturus, ac certe in Livonia, Lithuania, Polonia et Transylvania catholicam ecclesiam, ut facit propagaturus. Eo igitur in loco sacris operati quandoquidem in reliqua Hungaria nullum templum repereramus, nisi quae inverterant haeretici in suos impios usus. Tres in tractu illo, qui ad familiam Regis pertinet sacerdotes catholicos esse cognovimus, quorum aliquibus salutatis et eleemosyna adiutis, librisque postea missis, litteris quoque hortatus est Pater, ut bonum certamen certarent, quique suae perseverantiae fructum cernerent; cum non exiguis gressibus iam progredi inciperet ca-

tholica fides, instant alacrius et hoc vitae momento unde pendet aeternitas, ad Bravium illud sempiternum accurrerent.

Somlio relicto biduo post pervenimus ad collegii nostri pagum,<sup>256</sup> unde effusi rustici nos circumstetere, uti suos proprios agnoscentes, nec mediocri nos afficientes laetitia. Inde Claudiopolim appropinquantes et civitatis magnitudine, quae quidem cum suburbis contemnenda non est, ac regionis pulchritudine atque ubertate et in primis nostrorum amplexibus optatissimis exhilarati sumus. Civitas ipsa haeresum et perfidiae plenissima, nostros tamen iam in honore habet, Ariani vero ac Phociniani ministri, qui satanae synagogam illam incendunt nostros habent quasi sudes in oculis, cum a quibus sibi perniciem ominentur, ab iis Deo miserante salutem assequi possent, si vellent. Hic triduo exacto, quod tempus insumptum est hortationibus ad socios habendis (uti Provincialis eius provinciae Patrem rogarat) et seminarii futuri initiis explicandis, Albam Iuliam, ubi principis sedes est, ac quasi regia (licet magnitudine et frequentia non aequet Claudiopolim) una cum eius collegii rectore<sup>257</sup> ire perrexi mus. Cum ecce Eniedi, quod oppidum Alba Iulia distat Ungaricis milliaribus duobus, mulier aetate proiecta orbem cum uva et pomis sub veste Patri dono offert, tum illacrimans vidisse denique se ait (id, quod complures annos omnibus votis et concupierat, et enixe Deum precata fuerat) homines, qui ad fidem avitam restituendam venirent, quique a Vicario Christi mitterentur; tum urgere, ut et eo in oppido templum catholicis aperiretur, quam solati spei bonae, plenam ac piis muneribus donatam dimisimus. Senator autem<sup>258</sup> cum sex nobilium curribus a principe missus obviam Patri se sistit, laetitiam desideriumque principis innuens, ac pollicitus rerum nobis necessiarum nihil defuturum: se venisse inquiens, qui nos ad eius Celsitudinem honorifice deduceret.

Albae Iuliae cum aliud nobis paratum fuisse hospitium, noluit Pater, sed cum nostris ac Patre Iohanne Lelesio, fido Societatis filio, commorati sumus. Postridie eius diei principem<sup>259</sup> salutatum ivimus, quibus ille primo vehiculum, duosque ex primariis senatoribus suis ad hospitium nostrum praemiserat, et postea ipse usque ad palatii scalam, ubi frequentissimum erat satellitum obviam veniens, invito et multis modis recusanti Patri dexteram partem attribuit, quod officii genus, ut praestaret ob Summi Pontificis reverentiam, a quo Pater cum litteris ad eum mittebatur, non solum senatores (licet haeretici) verum etiam Rex per litteras (ut creditum est) principem admonuerant. In amplum principis cubiculum adducti, nos quidem ac reliqui omnes stetimus, sed princeps cum Patre considens, qui litteras Pontificis Maximi et Poloniae regis ei reddidit, ea per regni adstantem cancellarium collocutus est, quae poterant esse optatissima. Et cum ibi proceres essent ac senatores, sic sunt eo Pontificis Maximi officio et oblato patrocinio permoti, ut ad sternendam veritati viam, Christique Domini nomen propagandum, non mediocre habuisse momentum visum sit. Discedentes, princeps usque ad eandem palatii scalam est prosecutus, una cum universa aula (et sunt enim apud principem semper stipatores

quingenti, praeter nobilium aulam) qua in re Pater conversus ad principem, quando in gratiam (inquit) Summi Pontificis venienti mihi dexteram V<sup>a</sup> Celsitudo attribuit, nunc domum redeunti permittat sinistram, quod denique reverenti conatu extortum est. At reliqua eius diei parte cum senatoribus est actum de seminario Claudiopoli fundando, pro quo cum Pater se a Pontifice Maximo pecuniam attulisse diceret, Poloniae autem regis litteras depromeret, quibus pene tantundem quantum Pontifex eidem seminario attribuerat, effectum est, ut quamvis regia pensio nisi post decem menses persolvenda non esset, ii tamen optimis rationibus adducti sese tantum quantum Pater esset daturus statim numeraturos pollicerentur. Quidquid autem Claudiopolitani collegii rector<sup>260</sup> a Rege obtinuerat, id illico in rem conferri mandarunt.

Sequenti die ad prandium a principe invitati et eodem officii genere, quo pridie eius diei fecerat uso cum Patre, non minimam occasionem habuimus et Dei laudandi, et principis indolem cognoscendi, ac tam senatores, qui mensae accumbebant, quam reliquos adstantes aedificandi. Erat is ipse dies, quo princeps tenellus decem aetatis suae annos absolvebat,<sup>261</sup> qui cum audisset ferculis quibusdam butyrum esse admixtum (id enim ne Pater offenderetur significatum fuerat) princeps de Patre quaesivit, num id eo Quadragesimae tempore comedere liceret, cui Pater «Cum eam abstinentiam atque ieenum Christus Dominus non sibi necessarium, sed nostram ob utilitatem et exemplum fecerit, ieenumus hilariter, nec Christum erubescamus; ac cum alia tam multa suppeditet Deus, butyrum in tempus suum reservemus.» Tum princeps patinam depulit ac cum alteram secundis ferculis allatis eiusmodi vidisset manu item reiecit, tumque ore ad Patris aurem adpresso tamquam alto ex pectore verba haec submissa voce protulit: «*Quam doleo hosce consiliarios meos esse haereticos.*» Finito prandio ad scalam palatii prosecutus est Patrem et paulo post venit ad hospitium nostrum, ubi quotidie demoratur in schola, biduoque illo magnum edidit mature probitatis specimen, ut si perget et pro eo, qui extremos christiani orbis limites tuetur, Deus ardenter oretur nihil non magnum de illo sperari possit. Inter alia vero cum argenteam alteram, ex ebore autem alteram cum reliquiis venerandis cruces apud Patrem vidisset «*Quaeso, inquit, alterutram nobis relinque.* Ac ne putas eam inibi velle me vendicare, des templo nostro catholico, quandoquidem nihil huiusmodi iam in Transylvania habemus.» Itaque et argentea crux et sacrae vestes libentissime nostris addictae sunt, quas Pater attulerat. Principi vero munera eo digna data sunt, pro quibus cum aureas insignes monetas ponderis ad centum forte aureos hungaricos per cancellarium Patri misisset, modeste Pater recusarit, nec illas accipere voluit, inquiens se in Transylvaniam venisse non, ut efferret, sed ut afferret. Itaque et pecuniam ad seminarium a Summo Pontifice, ac reliqua alia illa intulisse ac multo plura Deo iuvante procuraturum. At et princeps Polonus quosdam adolescentulos condiscipulos promisso, et data dextera adegit, ut potius morerentur, quam ut catholicam fidem unquam

desererent. Interim quoniam magnis de causis Rex cupierat, ut Transylvaniae partes eas obiremus, quae maxime pertinerent ad fauces ferentes ad Turcas, et spectant ad Orientem, cum magno cancellario regni,<sup>262</sup> cui ea cura nos deducendi demandata erat a Rege, primum ad Marusii<sup>263</sup> fluvii fauces bidui spatio progressi latam planiciem in amphiteatri speciem montibus circumquaque septam reperimus,<sup>264</sup> in cuius medio arx Transylvani nobilis est sita,<sup>265</sup> qui nos perbenigne accepit, noctemque detinuit: ac cum ab eo digrederemur, qui nos miliare Hungaricum prosecutus est, se nunquam Pontificis Maximi paternam illam visitationem obliturum constanter affirmavit. Tum ostendit ultimum se esse omnium in illa orbis christiani parte, qui Turcarum faucibus esset obiectus, nihil eius Sanctitatem Deo gratius facere posse, quam ut christianos eos propugnaret ac tueretur. At Pater sollicitudinem Pontificis Maximi declarans, eumque rogans, ne permitteret peccatis Deum dominum offendti, quando nullum eo propugnaculum futurum esset adversus Turcas munitius, suam item offerens operam, si quos est nobilibus eius subditis filios ad novum Pontificis Maximi ac Regis seminarium mittere vellet; responsum ab eo accepit se id curaturum ac subdidit: «Utinam filius meus grandior esset, qui trinus est tantum, hunc perlibenter Societati instituendum traderem.» Relicto ibi pio libro cum in eius aula unus pene solus catholicus esset, per quem eodem libro caeteri iam diu a fide orthodoxa declinantes iuvarentur: reversi per eandem viam divertimus Cibinium et ipsam Germanicarum septem civitatum, quae sunt in eo regno metropolim, atque optime tum munitam, tum aedificatam, propeque alpes illas sitam, quae Ripensem et Transalpinam Daciam a Transylvania distinguit. Venere nobis obviam primarii cives (Lutherani licet omnes) displosisque bombardis in signum honoris percommmodo hospitio praeparato nos excepere. Et sunt illi iidem, qui, quoniam quasi liberae civitates sunt (quamquam et sunt principis beneficiariae) non ita multo antea prohibuerant, ne quis earum ad nostras scholas Claudiopolim veniret, quin vero, etiam quosdam venientes averterant. Pater autem ne quam suspicionem afferret adventus sui, quo animi satis ad suspicionem proni turbarentur, tribus eorum primariis, qui dicuntur pastores (et non sunt) causas cur eo se contulisset, et propere inde sibi necessario esset discedendum ad quaedam Regis praestanda cum Caesare (id, quod res erat) adiiciens, folium depropmsit, in quo earum capita rerum descripsaserat, quae ab iis doceri cupiebat. Eae vero erant de variis Transylvaniae rebus ad antiquitatem et ad historias noscendas, in quibus illi scriptis etiam quibusdam commentariis sese exercuerant.<sup>266</sup> Hic etiam Pater Admodum Reverende me fateor altius multiformem illam Dei sapientiam gustasse, qua vel per ipsam historiarum et cosmographiae, litterarumque Graecarum cognitionem, Christum eo invehere possumus unde fuit expulsus. Nam cum quidam ex iis Patrem erudite illa quaerentem audissent, et vero cognovissent a cancellario eum a Pontifice Maximo ad Poloniae regem missum, reverentissime salutatum plura, capite semper aperto (quamque id Pater renuebat)

docuerunt, excusso iam metu quem conceperant, ne ad tollendum eorum locum, et gentem magna aliqua cum potestate venisset. Deinde cum Patri fingenti (ac quidem simul verum quoque dicenti) se longius ire, unus eorum pseudo pastorum dixisset: Utinam quemadmodum componere curas inter principes pacem, dissidia quoque inter nos de religione tollere posses, animadverti divitias omnipotentiae Dei, quae illos in id propositum deduxerat, cum tamen ab eo cautissime Pater abstineret. Feceram autem ipse sacrum, quod plures ante annos ea in civitate nunquam fuerat oblatum, Patrique ita interdum volenti Eucharistiam uti et Rectori Claudiopolitani collegii porrexeram, civitatemque illam Deo commendaveramus, cum ex eo cubiculo amotum tremendo sacrificio satanam minus virium ad obsistendum veritati habere intelleximus. Itaque Pater. «Haec certo (inquit) maius temporis spatium, quam mihi nunc concessum est requirerent. Sed illud maximum esset compendium, si post expressum Dei verbum, priorum illorum saeculorum, quae vicina fuerunt Apostolis, Patrum explanatio Sanctae Scripturae, ordoque ipse antiquus ecclesiae sincere proponeretur. Pietas enim et doctrina, cognitio quoque verae ecclesiae atque miracula iis non defuere, quos et vos interdum honorifice appellatis. At sublatis iis cum nescio qui heri enati proponantur, qui varias in sectas disseci tot dissidia peperere, qui fieri potest, ut dissidentium causa manente, dissidia ipsa tollantur!» Tum illi ne hisce re quidem, sed taciti admirari, ac Patrem sive ficte, seu vere laudare; qui cum conversus ad consulem, qui aderat civitatis quasi ioco, et tamen serio subdidisset, si mihi umquam reverti huc liceat, ac civitas mihi non deneget, quindecim dierum commorandi spatium forsan amice de his, quae facile boni viri probabunt, agere poterimus. «*Per nos (inquit consul) licebit.*» Sed externos (ait Pater) non admittitis. «*Non admittimus quidem (inquit) Hungaros ac Italos et Germanos admittemus.*» Sic igitur satis collocuti, civitatem, ut circumquaque inspiceremus ob munitiones noluerunt, datisque dexteris Albam Iuliam reversi sumus.<sup>267</sup> Quo in loco litteris a principe ad Pontificem Maximum acceptis, quas ut suo marte conscriberet, ut certius illius agnosceretur ingenium, curatum est. Patri autem Lelesio valediximus, per quem Deus salutem illam magnam Transylvaniae fecit, ostensis quibusdam, quibus principem ex ethnicorum librorum explanatione adiuncta pietate, posset iuvare, admonito item, ut pro pueri captu nonnihil per viam exercitiorum spiritualium regularumque primae hebdomadae discernendorum spirituum instillaret, quando ea aetas attentiores et sine peccato acceptiores Deo redderet. In toto autem illo itinere magnum Transylvaniae cancellarium, a fide catholica alienum, variis modis Pater ad veritatis agnitionem curavit alicere, quibus tamen illud effectum est, ut multa, quae liberius primo iactabat relinquenter, deinde promitteret se catholicae fidei non adversaturum, nostros semper adiuturum, libros autem, quos ad eam rem acceperat a Patre diligenter lecturum.

Alba Iulia Claudiopolim rediimus, cum Rectore, qui semper nobiscum venerat, quique multa de ratione instituti nostri, deque

tradendis exercitiis spiritualibus totos illos dies non inutiliter audierat et quae siverat. Claudiopoli autem, ubi fuimus, tempus impensum est statuendo seminario Pontificio ac Régio, quod unum praesentissimum remedium ab omnibus bonis existimabatur. Tria erant explicanda, quae haud mediocrem difficultatem inferebant. Alterum, quod ab Ill<sup>mi</sup> principis senatoribus publico Claudiopolitani magistratus scribae id negotii sic attributum fuerat, ut Societatis libertati vehementer incommodari potuisset, nisi res complanata fuisse. Nam per eum pecunia regia, ut distribueretur, ac proinde alumnorum delectus haberetur, sequebatur. Ergo ne id obasset, serio Pater cum senatoribus, qui erant Albae Iuliae et alibi dimissis tabellariis egit, utque mandatum suum rescinderent effecit. Alterum erat, quod Regiae pecuniae pensio in principium fere anni insequentis incidebat, sine qua mutilum fere futurum erat negotium ac forsitan, si re infecta discessissemus, numquam in rem conferendum. Quamobrem factum est, ut ipsam pecuniam ei, cui dixit Pater illico numerari iuberent tantum, quantum ipsi Pontificis nomine relinquebamus. Tertium et id difficillimum, quod civitas, quae plena est Arianismi et omnis aliarum haeresum fecis, in qua etiam non Evangelium, sed prophetae tantum et Vetus Testamentum pravissime ad Christi Domini divinitatem obscurandam exponuntur, mirifice tergiversabatur ne nostris aliis daretur ad seminarium locus: propiciens scilicet quantum id sibi perniciem tracturum esset, cum si saperent maximam inde salutem ad se perventuram inteligerent. Pater autem, qui nolebat illos irritari, ac si irritandi essent, cupiebat, ut existimarent a Regiis potius ministris, quam a Societate nostra id sibi accidere: evocatos ad se consiliarios civitatis amanter alloquitur; spectare, ait, totum hoc negotium non ad Societatem, sed ad Transylvaniae et adeo ad Claudiopolitanorum bonum. Videre porro eos ipsos quinam gradus (an potius praecipitia) facti sint a Lutheranismo ad Calvinismum, hinc ad Anabaptismum, inde ad Arianismum; iam vero ad Iudaismum, Mahometismum, ac tantum non ad Atheismum: si ii, qui initio praetexebant Evangelium, paucissimorum annorum spatio, tot haereses et impietates invexere, quid restet aliud quam, ut unicuique paulo post liceat omnem de Deo fidem tollere, cibo, ebrietati et luxui omni omnes laxent habenas, ut iam fit. Quamobrem aperiant denique oculos et Ser<sup>mi</sup> Regis plus quam Patris (nisi Pontificis Maximi velint) quam aliquando purioribus oculis insipient, charitatem melioribus factis excipient. Hi ergo iterum atque iterum consilium cogere, centumviros advocare (et ea civitas consulem, iudicem regium, 12 senatores ac denique centumviros habet, a quibus administratur) tandem proponere nobis domum pessimam, ruinas minantem, ac ne stabulo quidem idoneam. Eo evocatus senator principis, qui ea de re ad Patrem venerat, ac cuius egregium (Lutherani licet) erga Societatem studium fuit proficiscitur, vadit item Pater. Qui id, quod res erat conspiciens, ad consulem civitatis (virum non pessimum, licet a fide catholica alienum) conversus «Injuriam certe Regi Ser<sup>mo</sup> fieri, inquit, nec tanto beneficio animo, quo par esset grato responderi.» Tum ille

neminem legibus extrudi e propria domo posse, datum a civibus suis diligentem operam, ut inveniretur aliqua. Nullam esse. Cui Pater: Si neminem extrudi domo propria licet (quod quidem nunquam vellemus, etiamsi vos alii velletis) sane Dominicanorum monasterium,<sup>268</sup> ubi Ariani synagogam et collegium locarunt, et unde catholicos extruserunt, si Rex catholicis, qui illud aedificarunt restituant nullam ulli inferret iniuriam. Et ecclesias omnes catholicorum ab iis, qui verbum Christi crepant, quod habet, non furtum facies vi abstulisse cives nullum nisi evangelicum factum fuit. Domum autem propriam Pontificis Maximi et Regis velle ad honestissimam rem conducere, piaculum erit. «At, quod ad me (inquit) attinet, nisi crastina die res erit confecta, ipse discedam, coram publico notario testatus per vos stetisse, quominus ad negotia non mediocris momenti celeriter pergere possem, quae cum Regi maxime sint cordi, tum ad bonum christiana reipublicae pacemque nostram attinent.» Discessum igitur est, cum eam totam noctem se duxisse insomnem diceret consul, diluculoque cives convocati totam diem, quod soliti non erant, sententias dixerunt. Ad extremum, sive quod Dominicanorum monasterium timuere sibi ademptum iri, Deo, quem in collegio enixe rogabamus adiuvante, sive quod auditis aliis rationibus rectius sapere incooperunt, decernunt illi domum satis commodam emere, quam usui seminarii tantisper addicant, donec aut scholae, quae a Rege aedificantur absolutae fuerint, aut aliud domicilium nancisci possimus. Formula confecta est cum Patre, a quo locationem accepere, nolente, ut ob modicam stipem debaccharentur in Societatem.

Sic ad mille ducentos aureos et leges ad inchoandum seminarium relictae sunt, Patrumque ac fratrum animis ad solidas virtutes animatis inde discessimus,<sup>269</sup> ac rectam Varadinum contendimus. Quo in itinere paulo plus triduo consumpto, nil nobis praecipuum accidit, nisi, quod Chrysi fluminis (ita nominati, quod aurum ferat plures flexus, minimum triginta), quod inter montes per vallem perangustam ex Transylvania in patentem Hungariam effluit, haud facile transivimus. Et in eiusdem vallis medio Valachorum pagum reperimus, antiquum Romanorum genus, qui et sese Romanos adhuc vocitant, atque olim sive ex coloniis Romanorum, sive ex iis, qui ad metalla damnati erant, descenderunt. Hi corrupto idiomate loquuntur, ut plane nec ab Hungaris, nec ab Italis intelligentur. Italicas tamen voces plerasque retinent, ut non esset difficillimam eam assequi linguam. Si quis gentis illius qualibuscumque Graecorum ritibus imbutae ac latissime usque ad Mare Euxinum diffusae salutem ex animo sitiret. His eleemosyna et exemplo aliquo erga Romanam pietatem Pontificemque Maximum (quem vocant maiorem patrem) animatis, cum ire perrexissemus, postridie eius diei Varadinum appropinquantibus, eius arcis, quae munitum propugnaculum est, sedesque episcopi non ita multos ante annos fuerat. Praefectus cum 130 equitibus ad duo passuum millia nobis obviam venit. Omni cum dignitate et reverenter exceptos (alienus licet a catholica fide) in arcem introduxit hospitio praeparato, in

quo sacro facto (quod ab expulsis catholicis per aliquot annos non erat oblatum) ubi pransi sumus: ecce pauper sacerdos Slavus, Hungarice quidem intelligens, sed non loquens, cum ludi magistro, deinde et 70 cives ac 20 circiter pueri, cum pyris, pomis et uvis (quibus rebus pulcherrima ea regio abundat) ad Patrem veniunt: gratulati nostro adventui ea offerunt, simul auxilium implorant enixe, qui concionatorem Ungarum non habeant; quique cum adhuc plus duobus millibus catholicis sint, diebusque celebrioribus ex interiore Turcica ditione, caeterisque Hungariae pagis ad quinque vel sex hominum millia confluere soleant, ut sacrum saltem audiant, non habeant, qui panem sibi frangant, nec se adversus perniciosissimos Calvinianos, qua peste tota fere Caesaris Hungaria, confecta est, pro sese opponat. Ad extremum regis ad se Poloniae litteras ostendunt, quibus ante paucos dies concionatorem ab eius Maiestate potentibus, is se et proventus, et reliqua suppeditaturum ad eam rem pie pollicebatur, modo ipsi vel Tyrnaviae, vel Posonii in Caesaris Hungaria Norico propinquiore perquirant. Et Varadienses iidem cives Patrem diligentissime rogant, ut die Divi Georgio aut Pentecoste sacra aliquem e nostris Claudiopolitanis venire ad eos curet, qui saltem unicam ipsis concionem habeat. Quis Admodum R. Pater ita fuisse ferreus, quem sancta illorum esurie non emolivisset, et nostris ea res lacrymas excussit, ac Patrem solitas divinae erga Societatem providentiae divitias agnoscentem vehementer accedit, ut illos omni ratione solaretur et in fide catholica per interpretes (licet haereticos, quando alii non aderant) firmaret. Itaque primum operam se quoad eius fieri posset daturum pollicetur, ut ad eam Pentecostes diem concionator Claudiopoli veniat, ex Caesaris Hungaria alterum nanciscantur: Hungaricos catechismos et libros alios catholicos eadem opera assequantur. Quatuor adolescentes natu grandiores hortatur, ut ad novum Pontificis Maximi et Regis Ser<sup>mi</sup> seminarium Claudiopolim mittant, ut tantae messi parentur operarii. Nobili, qui aderat persuadet, ut filium optimae indolis eodem ad nostros instituendum mittat. Ludi magistro catechismum Romanum et alios libros dat, utque discipulis pro eorum captu extremum caput de oratione, de qua agitur in catechismo praelegat. Alios sacerdoti libros et Romanum missale dat, simulque cognita viri probitate facultatem, quanta satis erat ad expiandos homines auctoritate Apostolica impertit, admonito, ut in caeteris casibus difficilioribus ad Claudiopolitanici collegii rectorem, vel ad residentiae nostrarae Albensis Superiorem configueret, quibus ad alios nodos explicandos quantam habebat a Pontifice Maximo potestatem communicaverat. Variis denique, qui Latine noscebant, alios libros et rosaria dedit, architecto viro primario Italo suadet, ut mihi quemadmodum cum altero fecit confiteatur antequam discedamus. Cives hortatur, ut Regi rescribant hominemque mittant (uti fecere) qui et litteras ipsas afferat, et negotium urgeat, ac ducere concionatorem et libros vehere possit: hunc hominem nobiscum nos adducturos, sumptus (si opus sit) suppeditaturos, illico Deo aspirante remissuros bene confectis rebus. Denique, ut diluculo

sequentis diei catholici in templum, quod astu haereticorum in **extremo** suburbio erat convenienter frequentes, ibi et Patrem sacrum facturum, et iis benedictionem a Deo aliquam uberem omni conatu procuraturum. Laeti igitur nos eam noctem traduximus et summo mane cum pii viri et mulieres aliquae nobis eiusdem generis dona, qualia fecerant cives mitterent, quibus vicissim vel preces Beatae Virginis horarias, vel rosaria mittebamus, iterum primarii cum **sacerdote**, ludique magistro catholicis in arcem ad nos adeunt, expectare populum dicunt, omnia esse parata. Eodem tempore officii (ut aiebat) gratia invisi Patrem perfidus Calvinianus buccinator, non concionator.<sup>270</sup> Hic, quod catholicò concionatori tantum vexationis procuraverat, ut Varadienses relinqueret, quodque catholicorum pietate viscera Patris fuerant commota, illum quidem excipit, sed ne praesentes catholici scandalum aliquod acciperent, eos datis libris catholicis, illo praesente in fide catholica confirmat, mentem Regis, ne pessimus ille perget Sacrosancta Dei mysteria blasphemare, aperit. Cumque Calvinianas venenum latens continere non posset, ac sobolem illam diversarum haeresum, quae passim iis locis cernebatur Patri ostendenti dixisset: Et nos Arianos profligavimus, ac si in disceptatione descendamus nostra tutabimur. «Quid (inquit Pater) Arianos te profligasse iactas? Quos una catholica ecclesia, iam dudum et profligavit, et anathemate, uti et vos alios omnes percussit! Quis Nicenum concilium! Quis Evangelium! Quis Patres praeter unam catholicam ecclesiam adversus omnem perfidiam atque haeresim edidit, retinuit, protulit, exposuit!» Cum iterum ille vellet urgere «Eamus (ait Pater) nos catholici ad sacrum faciendum. Tu vero abi retro Satana.» Sic obmutescens perditus ille discessit.

Interim ad portam arcis praefectus multo cum comitatu Patrem operiens salutat, a quo de ministro illo Calviniano admonitus, quidque ad orthodoxam fidem et ipse hauriendam praestare deberet certior factus, catholicò populo Regis nomine sedulo commendato, respondet sibi catholicos fuisse, sed et futuros cordi, quorum patrocinium lubens suscipit, se licet catholicus non sit, non assentiri tamen Calvinianis, tribus in rebus: Praedestinatione, Eucharistia, operibus christianis, quae ipse necessaria post primam iustificationem putat, ut verum Christi Domini corpus in Eucharistia credit. «Quid igitur (ait Pater) restat, quominus demat fidem in reliquis homini Christum in Eucharistia contra Evangelium ipsum perneganti.» Ad quae cum haereret praefectus, meliora se brevi de eo sperare ostendit Pater, itaque ad sacrum processit. Templum hominibus et mulieribus refertum invenimus, qui perattente audierunt, et discedenti Patri lacrimis et singultibus, ac pene genibus flexis, alii benedictionem petere, alii rosaria, reliqui libellos, faustaque omnia precari, seseque nobis commendare in faucibus Turcarum commorantes, atque a Calvinianis et ab aliis impietatibus oppressos. Interim se sistit Patri homo ex Turcica ditione ante triennium eo profectus, rudi panno obsitus, fune crasso praecinctus, oculis pallidis, facie veneranda, petit, ut religiose vitam traducere possit sibi nil esse

antiquius. Eam ob rem, atque ut in pace oculos claudat e Turcis se surripiisse: uxorem, quam saepissime et ad catholicam fidem animarat, et ut ex patria, quae vocatur Gyula, se subtraheret hortatus fuerat, ibi denique reluctantem et rebellem reliquisse, ubi nulli christiani sint nisi Ariani, a quorum pseudosacerdote in matrimonio coniuncti fuissent, ac quidem denique saluti reliqua se postposuisse. Ex eo et aliis frequentibus plura percunctatus et integritatem hominis ex variis testibus fidedignis eliciens, cum eo tempore orationibus in templo apud catholicos semper vacasse, hortuloque colendo vitam sustentasse dixissent, eius quidem desiderium comprobat, sed quid obstet cur religioni prorsus haud se addicere possit explanat. Et tamen ne sine solatio relinqueretur, pecuniam non petenti, cum litteris ad nostros Claudiopolitanos dat, quibus eum vel in seminario, ubi hortus est, vel in pagis nostris, ubi praeter hortos templa tamque in eremo sita sunt, illum excipient, sacramentis saepe muniant, futurum haud inutilem et hortis colendis, et rusticorum pueris rudibus, quando Hungarice novit, ac pius sit, doctrinam christianam edocendis.

His rebus procuratis currum concendumus, cum ecce praefectus arcis, ad quem illius comitatus, qui Bihoriensis dicitur,<sup>271</sup> administratio pertinet, milleque equites et bonum peditatum sub se habet, nos expectabat simul cum trecentis equitibus, cum quibus, licet invitatos, ad tria passuum millia nos deduxit, tribusque adolescentulis, patruelibus suis, qui Romam studiorum causa venient commendatis, equitatum etiam ob Turcas in regionem illam excurrentes nobis adiuncto versus Ecsedum tridui itinere profecti sumus. Ea est arx munita, quae ad III<sup>mum</sup> comitem Nicolaum Bathoreum pertinet, Poloniae regis consanguineum, cui litteras a Rege Pater attulerat, optante, ut si qua in re de fide haereret, omnis ei scrupulus eximeretur. Praenmittit ille obviam nobis aliquot ex equestri ordine nobiles, qui in arcem deducant, ubi honorificum hospitium praeparari iusserat. Ea die ad multam noctem postridieque eius diei iterum diu cum Patre de fide catholica locutus est, cum ille nunquam ea se audivisse testatus est, quae Pater dixerat et tamen satis nota sunt iis, qui versantur in luce. Itaque fatetur denique se esse iam et mori velle catholicum, pollicetur se in altero oppido monasterium instauraturum, quod eius parentes religiose instituerant: vocaturum item catholicos sacerdotes. Interim accipit libros, quos dedimus, futurus ille unicus haud dubie praecipuum instrumentum ad eam Hungariae partem vel solo exemplo ad avitam fidem convertendam. Is postea cum aliqua cum Patre contulisset, quae ad res inter Caesarem et regem componendas spectabant, tres currus nobilium plenos misit nobiscum, quos diem adhuc integrum deducerent, alterique deinceps optimati commendarent. Sic passim ne laederemur a Turcis divina nos providentia tegebat, et interea nulla pene dies erat, quin praeclaram aliquam offerret Deus occasionem, sive homines aedicandi, sive ad catholicam religionem revocandi, seu denique ad novum Transylvaniae seminarium aliquos mittendi, qui Hungariam tanto citius possent excolere.

Superato Tibisco et reliqua Hungaria Bartfam reversi (quae in eius finibus est ac Polonicae ditionis)<sup>272</sup> cum quo itinere veneramus, eodem Cracoviam dilatis Caesareis Posoniensibus comitiis redire vellemus, Dei charitate factum est, ut de via deflecteremus, quam angustissimam altos inter montes, crassissimaque glacie transitum remorante ingressi ad noctem inter silvas hospitium capris et haedia refertum nacti sumus. Postera luce progressi, civitatem in medis planicie montibus obductam invenimus, cui nomen Sandecia est. Hic divinitus factum existimantes, ut et de via deflexissemus et nonnihil in montibus illis, et aspera via laboratum fuisse, et super illo fundamento aliquid iacere pietatis in ea civitate possemus, quod super erat diei substitimus. Quod tempus ne frustra nobis efflueret, misit me Pater, ut templum viderem, sacerdotes aliquos alloquerer, cum ludi magistro, si fieri posset, sermonem necterem, ac denique oblato pio libello allicerem ad colloquendum cum Patre. Quid plura! Invenimus catholicam civitatem ac praefectum arcis, qui pro eo ibi ius dicit esse Anabaptistas, ab his pessimum ministrum foveri, unumque e consulibus non ita pridem in flumine baptismo illo Anabaptistico tinctum: manare autem latius illud malum, ut omnino remedium adhibendum sit, idque quam primum. Pater, ad quem deinde ludi magister venit rerum statu accepto, accipit ab eo quoque scriptum bene longum, quod haereticus minister dictaverat et a consule illo rebaptisato missum erat ad ludi magistrum, ut eum seducerent. Eam noctem Pater ducit insomnem, ad omniaque respondet, ut ludi magistrum, alioquin probum, sed earum rerum non peritissimum sic muniatur, ut neque is, neque iuventus quam copiosam habet in scholis de fide periclitetur. Postea docet, qua ratione responsa illa variis subinde demonstret, illi queaque, qui deceptus erat et ad ludi magistrum scripserat, ad pietatem vero animatum, et quibus artibus excolere studiosos posset instructum relinquunt, pollicitus, ubi Cracoviae essemus et libros se missurum ad haereses confutandas, et alia procuranda, unde civitas illa regia, regium patrocinium experiretur. Sic sacro facto discessimus, biduique spatio Cracoviam quarto nonas Aprilis pridie Dominicae Palmarum<sup>273</sup> divino beneficio incolumes in tempore pervenimus. Hic ubi fuimus et Rex de Patris adventu a R<sup>mo</sup> domino nuncio fuisse admonitus «Opportune, inquit, nam quas ipsi nunc litteras scribebamus nos ipsi trademus.» Et bonus enim Rex manu tum sua litteras scribebat, quibus ei negotia cum Caesare, quo in statu reicta fuissent ab oratore suo significans commendabat: existimabat autem nos rectam Posonium Cassovia ituros. Toto vero illo quadriuo, quo Cracoviae fuimus, evocatus Pater a Rege, tres et quatuor horas singulis diebus cum ipso de propaganda fide catholica, deque optimis rebus colloquutus est: quae omnia eo cadebant opportunis, quo in hebdomadam sanctam noster adventus inciderat. Porro ab Rege Pater pro Varadiensibus obtinuit 300 annuos talleros, qui concionatori catholico Hungarico sicunde haberi posset addicrentur, quam item curam Patri iniunxit ad Hungarica Caesaris comitia profecturo. Cibiniensibus autem, qui sese Patri commen-

darant, Rex cum antea nullius precibus ad id adduci potuisset, ea concessit, quae valde incensos erga Societatem homines reddidere, ut prorsus Divina Providentia undique concurrere videretur, qua septem illae Germanicae civitates, quae sunt in Transylvania vehementer novo hoc beneficio ad catholicam fidem disponi possent. Inde per eos libri catholici ad nostros missi sunt. Interea uberrimum fructum a nostris in Sanctae Barbarae templo fuisse perceptum toto quadragesimae tempore summa cum pace et aedificatione vidimus, cum iam templum eos, qui convenienter, capere non posset, ipsique Patres, praeter ordinarias conciones, a summo mane usque ad noctem audire cogerentur confessiones, in quibus permulti sic ad catholicam religionem sese aggregarunt, ut etiam filiae clam parentibus haereticis accurrerent et nomen Christo darent integre. Porro curatis, quae ad nos attinebant, Olomucium itinere perdifficili quadridui spacio venimus. Hic seminario Summi Pontificis a Patre diligenter visitato rebusque dispositis, misso item ad novitiatum Brunsbergam Italo sacerdote, quem eo Pater, antequam iremus in Transylvaniam ad exercitia spiritualia facienda proficiisci curaverat, altero autem in Sveciam ad eliciendos alios alumnos et ad eum Regem ire iusso, utque quam episcopus Olomucensis<sup>274</sup> animo conceperat typographiam, ea, ut quamprimum excitaretur rogantes magnam vidimus ea in civitate collectam messem a nostris. Nam cum antea tota civitas haeresi ita esset infecta, ut ecclesiasticos per plateas eunes contumeliis afficeret, ac vix sese contineret, quin manibus in eos involaret patienti nostrorum diligentia est factum, ut iam in honore habeant, ipseque adeo senatus, ad quem Pater curaverat a Pontifice Maximo amantes litteras scribi, cum de eo publice verba faciunt, ad eius Sanctitatis nomen assurgere capite aperto soleant. At vero etiam dena ibi hominum millia cum ex aliis et episcopi ipsius manibus, tum ex nostris S<sup>mam</sup> Eucharistiam sub una specie accepere. Mille autem Brunae, quae altera civitas est Moraviae, idem in nostro tantum templo fecerat, cum antea vix aliqui eam ad rem comparere auderent. Nos igitur superata Moravia Viennam pervenimus, ubi salutato Ser<sup>mo</sup> archiduce Ernesto, de iis rebus Pater deinceps cum Caesare et Maximiliano, eius fratre, ac consiliariis primariis egit.<sup>275</sup>

(Archivum Secretum Vaticanum, Roma.)

## APPENDIX III.

### Necrologium duorum Patrum et unius fratriis Societatis Jesu in Transylvania operantium.

#### 1.

##### P. Ioannes Leleszi.

(Natus in Hungaria Leleszii, mortuus in Italia, Laureti 26. Februarii 1594.)

Pater Ioannes Lelesius, vir ad omnia summa natus, multa doctrina egregiisque animi dotibus instructus, patria fuit Hungarus Varadino oriundus, sed tumultibus bellicis ortus Leleszii.<sup>276</sup> Is cum in Societatem venisset anno 1566, duodevicenarius Rheticam ac Philosophiam docuit in Bavaria; inde accersitus Viennam, missus est in Transylvaniam praeses primae in eam provinciam missionis. Causa autem eo mittendi studium fuit, quo catholicae restituendae religionis Transylvaniae princeps Christophorus Bathoreus et eius frater Stephanus, per id tempus a Transylvaniae principatu ad Poloniae regnum evectus tenebantur. Praecipuae vero, ut Sigismundus Bathoreus, Christophori filius, puer septennis, in catholica fide institueretur. Metuebat enim pientissimus princeps, ne coniux haeretica, quae filiam<sup>277</sup> in sua haeresi educarat, puerum quoque in eandem voraginem pertraheret. Puer igitur in spem regni educatus, in disciplinam Societati traditur; P. Lelesius ei institutor datur, qui eius et regeret aetatem, et animam, non litteris modo et pietate, sed regnandi etiam prudentia instrueret. Sed brevi Christophorus parente ex humanis sublato, tantum Lelesio magistro profecit adolescens, ut et principatu dignum se praebuerit, et magnam spem fecerit Ecclesiae ruinas Transylvania tota reparandi. Contendit interim Lelesius, ut regni proceres, variis haeresibus infectos (Lutheranismo, Calvinismo, Arianismo, Anabaptismo sexcentisque aliis monstris) ad fidem catholicam pertraheret; facileque ei fuit veritatis iis fidem persuadere. Ut vero ab insolita pravitate abducerentur, novaque dogmata, nova consilia susciperent (ea vis tenebrarum fuit) ne ipsi quidem a se impetrare potuerunt. Quod proximum tamen fuit, illud a non invitis expressit, ut suos liberos in disciplinam sibi traderent atque in litteris et fide catholica instrui a nostris magistris paterentur. Hinc omnis generosa iuventus Transylvaniae ad Claudiopolitanum gymnasium, recens institutum, confluit; adeoque magnum hominum numerum tum nobilium, tum aliorum efficacia sermonis et momentis rationum ad fidem catholicam convertit Lelesius.

Sensit sectarum damnum foemina primaria, viri clarissimi, sed haeretici, coniux haeretica et ipsa, eique in coena apud virum inter epulas miscuit venena.<sup>278</sup> Et est ille quidem validorum remediorum efficacia servatus in praesens; non tamen poenitus evulsa morbi vis, quin contractis venis, quasi apoplexia omnibus corporis membris obrigerit. Non tamen ille a principis recessit cura, sed mente validus, consilio solita munera obibat. A septimo pueritiae anno ad duodevigesimum per omnes honestas disciplinas et regnandi artes principis provexit aetatem. Sed vita functo patruo rege, cuius secundum Deum, autoritate et potentia steterat puero principatus, variante fortuna, procerum conspiratione improborum, qui adolescentis observata solitudine in nostram et catholicae religionis nomen coniurarant nostri omnes, et cum iis etiam Lelesius, gemente Sigismundo et nequicquam obnitente, e Transylvania exturbantur: tan-taque fuit adversariorum severitas, ut hyeme gelida et nivosa per vias iam clausas, exordio anni 1588, discedere cogerentur, nec, miserante licet ac retinere, cupiente principe, Patre Lelesio decumbenti in lecto manere permetterent, inhabili quamquam corpore labori et itineri.<sup>279</sup>

Igitur ille in Austriam se recepit. Nec tamen post hanc exilii iniuriam, principis benevolentiam libertatemque ullo loco desideravit: nam quamdiu vixit et ad vitae usum, et ad curationem splendide illi semper suppeditavit in sumptum. Viennae tres circiter annos commoratus, nullo acerbi morbi levamento, medicorum consilio venit in Italiam ad Patavinas Aponi balneas:<sup>280</sup> sensitque initio non-nullum aquae beneficium; sed recrudescente rursus morbi acerbitate omnis artis et remediorum efficacia morbi inhaerentis pertinacia superabatur. Undecimum iam ibi haerebat mensem, cum vivendi spe prorsus amissa, quando non ita longe aberat, Lauretum sibi optatissimam moriendi sedem elegit. Calendis Septembribus anni 1593. Lauretanam ingressus est aedem; die 26. Februarii insequentis anni voti compos factus est, ut ad dominicas Christi Domini et divinae Matris aedes extremam exhalaret animam. Annum aetatis agebat sextum supra quadragesimum, quartum votum professus. Insigni fuit verbi Dei praedicandi facultate praeditus. In traducendis ad fidem haereticis magna efficacitate; ut cum Claudiopoli tota sex tantum catholicos invenisset, magnum eorum postea numerum reliquerit. Erat cum his eius animi dotibus magna orandi Deum, et divina meditandi consuetudo coniuncta; mira in omnes tum domesticos, tum externos charitas et humanitatis, benevolentiaeque plena propensio. Paupertatis, continentiaeque usque eo studiosus, ut, cum benevolentissimi principis opulenta res, tum familiaris, tum publica eius fidei commissa esset, nihil inde ne in necessarios quidem vitae usus derivarit: quod illi summa cum administratione integritatis et modestiae testimonium dedit, alterum illud integerimae probitatis exemplum P. Ferdinandus Capicus, cum ei in regimine successisset, vidissetque eum nihil apud se habere, nisi frugalissimum eum, quem Societatis instituto collegii tenuitas privatorum cuilibet praebet, apparatum.<sup>281</sup>

(Alegambe et Nádasi: Mortes illustres pag. 164—5.)

## 2.

**Emmanuel Neri seu Niger.**

(Natus in Italia, occisus 9. Iunii 1603 in Transylvania Claudiopoli.)

Emmanuel Neri hoc est Niger, nec natu grandis, nec religiosa professione; sed virtute firma atque animi potens, vix bene exacto tirocinio, procul domo sua, mortem inclytam indeptus est. Italus erat de sub Alpibus, e nescio quo vico eius provinciae, quam hodie Pedemontium Taurinos nuncupavere maiores. Is Romae postridie Calendas Februarias, Purificatae Virginis Deiparae festo die anno 1601 Societatem complexus, annum agens aetatis 26, sacrae rudimenta militiae posuit in sui despicientia et humilitate christiana, in obedientiae studio, in ardore amoris et divinae charitatis; quarum gloria virtutum imprimis excelluit. Iamvero cum hisce laudibus usque ad obitas consuetas periclitationes aequabili constantia floreret, unus delectus p[re]a aliis est, qui procul in Transylvaniam, quo sociorum vocabat necessitudo, mitteretur.

Est ea provincia, quam in Dacie parte veteres posuere Pannoniae trans Danubium subiecta Sarmatiaeque ad montem Carpathum finitima: ea rerum novarum hac tempestate apprime studiosa, multum Societati difficultatum atque aerumnarum tulit. Eam cum Sigismundus Bathoreus princeps, Rudolpho imperatori renunciasset et Michael vaivoda,<sup>282</sup> qui eam invaserat, profligatus interfectusque ab Georgio Basta copiarum Caesaris duce fuisse, mox eam Moyses, qui a Sicilia, unde oriundus erat, Siculus (vulgo Székely Moyses) appellatus est, homo secta Arianus, Turcicis et Scythicis armis instructus anno isto 1603 invasit: et quo facilius rerum potiretur, Claudiopolitanis haereticis collegii Societatis Jesu diripiendi, vastandi, excidendi Patrum exturbandorum mactandorumque pro sua libidine potestatem ditione civitatis depactus est. Omnia die 9. Iunii momento patrata sunt. Civitas dedita, direptum collegium, templum dirutum, gymnasium regio extrectum opere vastatum, Patres pars pulsi, alii vulnerati; Emmanuel barbare trucidatus est.

Nimirum ut civitas primum in potestate fuit, ingens nequissimorum hominum colluvies, duce superintendenti Claudiopolitano Ariano cum aliis ministris et impuratae scholae rectoribus, undique in collegium, templum, gymnasium furibunda per insanam vociferationem, fremitum, per armorum velorumque fragorem irrumpit: sanctitatis domicilium per inusitatam petulantiam nefario scelere polluere: coelo Sanctisque bellum indicere, in gloriosissimum reginae coelorum nomen maledicta conferre, eius effigiem obtruncare: postremo, ne quid impietati reliquum esset, ipsum mundi regem Christum, sacro quo asservabatur ciborio violato, pedibus sceleratissimi mortales subiicere. Barbarum sacrilegorum nebulonum facinus haud sane ferre pacate potuit Emmanuel, qui tum temporis eo in collegio valetudinarium simul et sacrarium aeditus procurabat. Verbis acriter in eos invectus immane facinus, id quod unum poterat,

castigavit. Illi contra, cum tanquam lymphati obvolitarent, Emma-nuellem impacta capiti securi primum sauciant, tum sclopo triectum interimunt:<sup>283</sup> Georgio Bartulichio dira verberatione duas costas confringunt; Patrem Petrum Maiorium, virum eximia virtute, qui nuper eam urbem ab vastatione, ab caedibus flammisque sua auctoritate servaverat, imposita plaga cruentant, reliquosque exutos rebus omnibus, eos quoque, quos adversa valetudo exercebat lectis extractos proscribere, Turcarum Tartarorumque late grassantium obiicere feritati. Immanitatis eam dixerunt causam, quod suum Patres idolorum cultum Sacrosanctae Eucharistiae coelitum, sacrarumque imaginum veneratione proferrent. Sed nihil poterat ad ipsorum gloriam honestius pulchriusve tam luculento mortis titulo exoptari.<sup>284</sup>

At sceleris ultor adfuit a tergo Deus. Regius ille iudex, qui dedendae urbis, vastandique collegii praecipuus auctor extiterat, turpi suspendio sublatus est. Civium reliqui, quos eadem sceleris conscientia tenebat, deserti a suis diram in vinculis sententiam expectabant, nisi P. Ioannes Argentus, Patrum iam tum restitutorum praeses, illos auctoritate qua pollebat apud Bastam noxae exemisset, interque eos illum etiam, qui de nece Emmanueli illata fuerat persaepe gloriatus. Sed vide, quid sit conferre beneficium in haereticos. Nova rerum conversio per Stephanum Bocskaium brevi facta: Societas per summam iniuriam urbe ab iisdem haereticis civibus exturbata, Argento ipsi, qui nuper *Patriae Pater* salutabatur, ne unius quidem diei facta copia, quo rebus suis vitae suae ac sociorum consuleret, profitentibus ipsismet nulla se alia re laesos ab illis esse, praeterquam religionis dissidio et studio idolorum.<sup>285</sup>

(Alegambe et Nádasi: Mortes illustres pag. 246—7.)

### 3.

#### P. Stephanus (Szántó) Arator.

(Mortuus 3. Iulii 1612 in Collegio Olomucensi.)

Tribus in corpus nostrum allectis non potuit Olomuciense collegium sarcire iacturam Patris Stephani Aratoris, septuagenarii inter mortales, in Societate quinquagenarii, vicesimo abhinc anno professi. Omnibus disciplinis apprime instructus is fuerat, et virtutum multarum usu insignis, quibus utrisque praesidiis, et Societatis decus, et fidem catholicam ubicunque versatus est, magnopere dicendo scribendoque promovit. Catechismum instar Romani multis controversiarum fidei capitibus locupletatum Ungarico sermone concinnavit, ac deinde Testamentum Vetus ex collatione Hebraici, Graeci Latinique contextus vernacule interpretatus edidit ad haereticorum revincendas fraudes singulari catholicorum commodo, quibus Novum Testamentum adornabat eodem genere interpretationis, cum eum strenue laborantem mors occupavit.<sup>286</sup> Congressus frequentissime cum haereticorum principibus, ac maxime cum quadraginta eoque amplius adulterati verbi praeconibus vi disputationis omnes fregit ac falsitatis coarguit.<sup>287</sup>

Longum sit inire numerum eorum, quos vel concionum, vel privati sermonis, vel scriptionum suarum validissimis momentis ad ductos in catholicorum coetum ab inveterata haeresi pertraxerit. Libertate dicendi adversum haereticos publicaque vitia, tametsi plurimorum odia in se concitavit, hominis tamen innocentia et eruditio, quam ipsi etiam hostes suspicerent ac venerarentur, eum facile tuebatur. Omnium ordinum proceribus Ungaricis carus fuit in primis, quorum tamen gratiae, si quid publice peccarent, non ita condonavit, ut non vel coram, vel per litteras pro noxae ratione castigaret. Stephano Bathorio, Polonorum rege usus semper est benevolentissimo, cuius famam adversus aemulos et maledicos apud Summum Pontificem et cardinales egregia oratione defenderat, eviceratque catholicum semper vixisse, quod obtrectatores pernegabant. Is igitur ad Polonicum sceptrum provectus, confestim Patrem sui studiosum ad se evocavit in Transylvaniam, eumque in Varadiensis<sup>288</sup> collegii possessionem auctoritate sua misit. Sanguinis pro religione catholica profundendi cupidissimus cum semper fuisse, nec tamen ex voto res cederet, hac se cogitatione solebatur, cum efflatus esset animam, quod exul saltem pro eadem fide obiret. Ab haereticis descivere plures quam centum, atque ex prima nobilitate non pauci adsciti magna sua voluptate in ecclesiae gremium, in quibus fuit, qui desertor olim catholicarum partium morbo afflitus redditum in saniora castra voveret, ut valetudinem impetraret, quae votum consecuta est, ipseque fidem ubi solverat, professus est numquam se usum firmioribus viribus. Ludovico Beltrando ex Dominicana familia magnae olim sanctitatis viro, cum Romani pontificis diplomate Beati appellatio et praerogativa fuisse concessa, sacerdos de nostris ab illius Ordinis Patribus exhibitus est, qui Latina oratione illius sancti hominis elogia in perhonorifico primariorum virorum consessu de loco superiore celebraret. Quo in munere cum ita se gessisset, ut concio universa eius dictione magnopere caperetur, exscendentem ex suggesto oratorem honoratus ille consessus loco excedere passus non est, dum panegyrici a se dicti exemplum, quod ipsi postea exscriberent, memoriae conservandae causa relinqueret.

(Litterae Annuae Societatis Jesu anni 1612 pag. 202—4.)

## APPENDIX IV.

### Diarium domus professae Societatis Jesu Cracoviensis de rebus Transylvanicis.

*Autumno anni 1579.* Licet porro rebus bellicis Rex Stephanus adeo distineretur, rei tamen catholicae augmentum, ubicumque poterat, procurare non intermittebat, et in hoc regno, et in Transylvania. In eam enim aliquos nostrorum iam praemiserat Claudiopolim, ubi Academiam Societatis constituere moliebatur et magna ex parte ad finem deduxit. Nam et habitationem nobis, monasterium desertum, egregie accomodavit, et templum Regum liberalitate quondam exstructum adiunxit, simulque seminarium studiosorum, pro quo magnificentum gymnasium sumptibus propriis exstruxit, certisque annuis redditibus locupletavit atque, ut plures pauperes studiosi in eodem seminario alerentur, ab optimo aeternaque memoria dignissimo Gregorio XIII. Pontifice Maximo mille aureos in singulos annos impetravit. In alimenta vero nostrorum dedit abbatiam Monostoriensem cum pagis illi adjunctis, quae bona iam antea, tempore reginae Isabellae eiusque filii, Ioannis II. fuerant fisco applicata, quaeque cum eodem tempore essent abalienata, ne ulla iniuria fieret, propriis Rex ipse pecuniis illa redemit et Societati liberalissime in perpetuum donavit. Ut autem haec omnia firmiora essent, neve ullam ullo unquam tempore difficultatem pateremur, Societati horum omnium possessionem, nemine contradicente (quod in eo regno summum est possessionis ius) rite dari curavit, neque repugnavit Provincia, sed annuit, ut testantur publica ipsius regni monumenta.

Sub hoc etiam tempus Aloysius Odeschalcus, rege Stephano postulante, in Transylvaniam missus est, ob Sigismundum Bathoreum, regis ex germano fratre nepotem, in litteris instruendum. Hic tamen non multo post, ob inclemantium coeli, morbum contraxerat et brachiorum pedumque usu fere amisso in Italiam reductus erat, succendentibus aliis ex provincia nostra principis instructoribus ac eius litterarum moderatoribus. Inerat enim eo P. Iacobus Wagrovius cum nonnullis aliis.

(Vol. I. pag. 8.)

*Initio anni 1581.* Venerat fere eodem tempore Iustus Rabbus Cracoviensis, qui Parisiis dum gravioribus studiis operam daret, per Ioannem Maldonatum ad fidem catholicam conversus erat et postea Romae Societati nomen dederat. Hic dum per unum fere mensem subsistit, concionibus et quaestionum cum haereticis controversarum tractatione, magnum et sibi, et Societati nomen comparavit. Missus

deinde erat in Transylvaniam, magno operae pretio, sicut et ad alia nonnulla collegia huius provinciae, in quibus ob multarum linguarum peritiam — erat enim praeter Latinam linguam, Hebraicae, Graecae, Germanicae, Gallicae et Italicae peritus — et ob solidam tam in humanioribus, quam in Philosophicis et Theologicis eruditio-  
nem, maximos fructus inter proximos faciebat. (Vol. I. pag. 14.)

*Initio Iunii 1581.* Dum Rex Stephanus Vilnae manens totus est in apparatu bellico contra Moschum, nuncius mortis Christo-  
phori Bathorei Transylvanae principis, fratris regii germani, allatus est, nec mediocri dolore Regem affecerat. Putabat Moschus ob eam mortem iturum Regem in Transylvaniam, nec tanto fervore bellum continuaturum. Sed iam rebus Transylvanicis, ne a belli cura avo-  
caretur, a Rege erat provisum ac proinde ne tantillum quidem quietis tunc temporis Moscho concessum. (Vol. I. pag. 17.)

*Autumno anni 1585.* Andreas cardinalis Bathoreus, regis Stephani ex germano fratre nepos, iverat, ut a Pontifice Maximo auxiliarum pecuniarium pro novo bello Moschovitico, de quo insti-  
tuendo omnino Rex concluserat, impetraret. (Vol. I. pag. 82.)

*Initio Novembri 1585* posteaquam Stephanus rex saepius urgebat tam apud Societatis nostrae Generalem, quam apud no-  
strum Provincialem, ut Claudiopoli Academiae ac universitati initia darentur, scholis humaniorum litterarum iam ante constitutis, pree-  
sente Sigismundo principe et tota eius aula, cursus philosophicus additus et una lectio theologica pluraque sequentibus annis ad-  
denda erant. (Vol. I. pag. 84.)

*Fine anni 1585.* Qui ab haeresi ad orthodoxam religionem nostrorum opera sese receperunt, hoc anno plus quam septuaginta animarum labem agnoscere abiicereque. Duo quoque signiferi et novi Evangelii praecones: Adamus Cosnitzius et Christianus Franken; qui novum quoddam dogma ferebat, et quod lingua non poterat, litteris ac libris inferebat, Poloniāque et deinde Transylva-  
niā impietate Ariana inficere contendebat. Stephanus Rex, ne malum glisceret latius, conquiri hominem et in carcerem compingi iusserat, sed ille rem subodoratus non tanti Cacangelium suum aestimans, ut periclitari vellet, fuga sibi consuluit. Ea occasione primum ad se et tandem in gratiam cum Romana Ecclesia redire statuit, quod litteris datis ad nostros Viennam Austriae et Claudio-  
polim testatus est. (Vol. I. pag. 86.)

*Initio anni 1586* duplicitis novi collegii, Albae Iuliae videlicet et Varadiensis in Transylvania per regem Stephanum ad finem fere deducta erat fundatio. Ac in primis Albae Iuliae, ubi princi-  
pis residentia esse solebat, cum nostri antea in palatio penes eundem principem manere solerent, cooperant nostri manere penes templum nostris concessum, in eoque et mane ac a prandiis conciones ad populum habebant et catechisticam doctrinam explicabant et duas scholas iam aperuerant, ac reliqua non solum nostrae Societati consueta munia, sed etiam omnia parochialia (nulli enim alii ca-  
tholici sacerdotes in illis partibus erant praeter nostros) obibant, redditus etiam certi annui pro nostris alendis fuerant assignati.

Varadiensi similiter collegio duos pagos integros et in aliis sex pagis certas portiones Rex Stephanus donaverat, in eoque simili modo tum consueta Societatis ministeria, tum omnia parochorum nostri expediebant. (Vol. I. pag. 87.)

24. *Decembris 1588* celebris erat nostrorum ex tota Transylvania electio, quae postea et ipso festo Natalis Domini, et sequenti Protomartyris S. Stephani confirmata fuit, quam hic prosequi nullum videtur operae pretium, quia fuse in Annuis impressis descripta est,<sup>289</sup> et cui Sigismundus Bathoreus, qui vix pueritiam excesserat, metu amittendi principatus iniesto, si nostri in Transylvania essent, invitus subscribere debuit. Praesensisse videbatur istam nostrorum ex Transylvania electionem Rex Stephanus, qui ante mortem in extrema parte testamenti, quod sua scripsit manu, verso ad nepotem sermone eum allocutus est,<sup>290</sup> quae verba tam haeserant principi Sigismundo, et licet violenter adactus nostrorum electioni annuere debeat, brevi tamen post, fixum pedem in principatu se habere sentiens, nostros revocaverat, ut suo loco patebit. Praefectus etiam ille, etiam gubernator principi puer, a Stephano assignatus, tumultuum contra nostros excitatorum praecipuus auctor, statim abire magistratu iussus et nihil impetrans e nostris bonis, quae iam spe devoraverat, priusquam nostri Claudiopoli discederent ipse in mortem incidit et ex vita discessit, vociferatus sero se miserum clamans, quod non servasset fidem regi Stephano Jesuitis pulsis. Alii similiter ex praecipuis nostrorum proscriptionis vel auctoribus, vel fautoribus miserabili exitu vitam terminaverunt et publice suppicio sunt affecti. (Vol. I. pag. 122—3.)

*Fine Augusti 1594* ingens in Transylvania excitata est tragedia. Cum enim Sigismundus Bathoreus Transylvaniae princeps, convocatis Albam Iuliam ordinibus, defectionem a Turcis et societatem cum imperatore Romano bellum adversus Turcas apertum gerente publico decreto in Iunio promulgasset, et deinde 12. Septembris Balthasarem Bathoreum, patruelem suum et Andreae Bathorei cardinalis fratrem germanum, una cum aliis praecipuae dignitatis proceribus Claudiopoli in custodiam dari iussisset: tandem hoc mense proceres praedicti incarceratedi capite sunt truncati et Balthasar Bathoreus cum cancellario Kovaczovio in arce Szamosujvár<sup>291</sup> strangulati sunt. Admirabiles rerum conversiones deinde in Transylvania sunt secutae et longo tempore durarunt. (Vol. I. pag. 193.)

*Postquam 16. Maii 1595* Albae Iuliae in comitiis generalibus ordinis Transylvaniae de restituenda nostra Societate conclusissent, statim 7. Iunii litteras revocatorias nostrorum ad nostram Societatem princeps Transylvaniae dedit. (Vol. I. pag. 201.)

27. *Iulii 1597* moritur domi nostrarae vir magnus virtute, eruditione, muneribus obitis et editis libris P. Iacobus Vuiecius. Erat is Maior Polonus Vagroveci (quod oppidum septem fere miliaribus Posnania distat) piis et honestis parentibus natus, unde etiam Vagrovecensis vel Vagrovecius a nonnullis scriptus et vocatus; sumptaque inde occasio erroris apud non paucos, qui Iacobum Vuiecum et Iacobum Vagrovecum diversos ponebant... Ad instantiam Stephani

regis Poloniae in Transylvaniam abierat et Sigismundum Bathoreum, eiusdem regis ex fratre germano nepotem, litteris ac pietate instruebat. Vota quatuor sollemniter professus 12. Iulii anno Domini 1575 Pultoviae, collegii Posnaniensis primus rector fuit per annos septem, quibus simul concionatorem ordinarium agebat. Gubernavit praeterea collegium Vilnense anno uno, collegium Claudiopolitanum non integris quinque annis. Domum S. Barbarae Cracoviensem annis fere tribus. Totidem fere etiam annis in Polonia et Transylvania vices Provinciales sustinuit... Vixit annis 57, ex quibus in Societate consumpsit annos 32. (Vol. I. pag. 237—9.)

21. *Augusti 1598* Sigismundus Bathoreus, qui in Aprili principatum Transylvaniae Rudolpho imperatori concesserat Albae Iuliae in conventu ordinum, praesentibus legatis Imperatoriis, et ab imperatore ducatum Oppoliensem ac Ratiboriensem cum 50 milium tallerorum annua pensione acceperat, duos vix menses in Silesia commoratus, praeter omnem expectationem, statione deserta per Poloniā ac Scepusium celerrimis itineribus contendens in Transylvaniam Claudiopolim rediit et suspicionum inconstantiae de se occasionem dedit. (Vol. I. pag. 250.)

28. *Octobris 1599* atrox spectaculum reipublicae Christianae exhibitum, Andreas Bathoreus cardinalis, regis Stephani ex fratre germano nepos, occupata Transylvania, bellum cum Michaele Valacho<sup>292</sup> (qui partes imperatoris, cui Sigismundus Bathoreus Transylvaniam subdiderat, tuebatur) iniit et in ipsa acie fraude suorum Hungarorum proditus profligatus est, ac post aliquot dies ex proelio fugienti, dum nonnihil quieti propter fatigationem se dedisset et dormiret, caput est amputatum, ac Michaeli 13. sequentis mensis delatum. Advecto deinde corpore praesente Michaele et funus prosequente Bialogrodi<sup>293</sup> terrae mandatum honorifice 23. eiusdem mensis. (Vol. I. pag. 272.)

9. *Iunii 1603*. In Transylvania post Michaelem voivodam, a Georgio Basta, Caesarei exercitus praefecto interfictum, Transylvani contra Caesarem insurrexerunt, delecto uno, qui Turcicis Scythicisque copiis instructus, Transylvaniam occupavit. Is erat Moses, patria Hungarus, natione Siculus, religione seu potius perfidia Arianus. Hic, ut facilius rerum potiretur, cum Claudiopolitanis ita convenerat (ut affirmat Ioannes Argentus in suo de rebus Societatis in regno Poloniae libello, qui sub illud tempus collegii Claudiopolitaner erat rector) ut ipsi civitatem dederent, Moses vero potestatem faceret collegium Societatis cum templo diripiendi, vastandi, excidendi, nostros etiam eiiciendi, raptandi, mactandi. Omnia nona Iulii subito facta. Civitas Mosi tradita, collegium direptum, templum dirutum, gymnasium regio opere extructum, vastatum, nostri alii pulsi, alii vulnerati, unus etiam trucidatus et omnes, qui Claudiopoli erant, vix in una veste, cum maximis iniuriis sunt ejecti.

Et quidem is, qui occisus est, erat Emmanuel Niger Italus, qui collegii Claudiopolitaner sacrario et valetudinario praeerat. Hic cum Claudiopolitaner Ariani et Calvinistae in templum Societatis impetum facerent et horrendas contumelias rebus sacris inferrent,

unusque praeter caeteros impius aurifex Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pedibus conculcaret, verbis in eos invetus fuisse, securi primum in capite sauciatus et deinde sclopeto traectus, profide catholica occubuit.

Placebant haec omnia impiis Claudiopolitanis haereticis, sed tantam immanitatem exsecrabantur ipsi Turcae. Nam czausius Turcicus, qui bassae Temesvariensis ad Moysem interpres erat, Ioanni Argento, cum sociis ex civitate pulso, illud obiecerat, hoc vel unico argumento probari Christianos Turcis esse deteriores, quod Christiani tempia Deo dicata vastarent, personas sacras tangere audebant, quod nunquam apud Turcas visum affirmabat. Addebat czausius Ioanni Argento, si yellet ire Constantinopolim, eum apud suam gentem maiorem securitatem, quam apud haereticos habiturum. Nec dissimulavit Deus tantum scelus Transylvanorum, nam totus non abiit hic mensis, cum Moses a Radula, Valachiae voivoda, quem Basta in auxilium vocarat caesus, miserrime interiit et interitu suo totam Transylvaniam funestavit, quia universum nobilitatis florem, qui eius castra vel invitus sequi cogebatur, miserando suo casu oppressit. Ille autem civis Claudiopolitanus, qui iudex regius erat et praecipuus civitatis tradendae templique et collegii nostri vastandi auctor fuerat, ignominiose e patibulo pependit. Societas vero quarto post mense, nempe in Octobri, iterum Claudiopolim fuit revocata.

(Vol. II. pag. 43—44.)

*Medio Augusti 1603* venerunt Cracoviam nostri ex Transylvania pulsi aliquot cum Patre Ioanne Argento, nam alii ex aliis locis in Austriae provinciam erant missi. Quamdiu vero Cracoviae mansit P. Argentus apud Ill<sup>mum</sup> nuncium Apostolicum Rangonium<sup>294</sup> et eius aulam, Italicas conciones diebus festis Dominicisque peragebat, magna omnium satisfactione.

(Vol. II. pag. 44.)

*Circa initium Octobris 1603* per Georgium Bastam, exercitus Hungarici praefectum et alios Caesaris commissarios, restituta est Societas nostra in Transylvaniam et Claudiopolim honorifice ab ipsis civibus haereticis deducta, qui etiam templum parochiale, cum omnibus ad parochiam pertinentibus, pro collegio nostro et pro templo dirutis, nostris dare debebant.

(Vol. II. pag. 46.)

*3. Novembris 1604.* Post rebellionem superiore mense in Hungaria a Stephano Bocskai contra imperatorem excitatam, sub qua in omnes ecclesiasticos ingens haereticorum furor et rabies exarsit, nostri, qui Cracoviae erant et in vicinis Hungariae partibus, cum aliis externis sacerdotibus inde pulsi, venerunt Cracoviam 3. Novembris. Ex nostris erant illi quatuor: P. Ioannes Zeender Teuto, P. Martinus Káldi Hungarus, P. Valentinus Urbani Croata, M. Valentinus Coccius. Saeculares vero sacerdotes hi erant: D. Andreas Arginus, D. Ladislaus a Bardi, D. Nicolaus Dellus, D. Ioannes Ugróci. Omnes hi postea adiuti eleemosynis, postquam aliquantulum Cracoviae mansissent, Olomucium commigrarunt.

Porro, quia coniurationis Bocskaianae hoc loco mentio facta est, operae pretium videtur nonnulla de eius initio et progressu adferre.<sup>295</sup> Stephanus Bocskai, natione Hungarus, secta Calvinista,

Austriacorum imperii pertaesus, cum ipsem in Transylvania et Hungaria dominare cuperet et videret, tum Caesaris potentiam, tum Hungarorum fidem maiorem esse, quam ut eam ipso aperto Marte expugnare posset, cuniculis rem est agressus. Parvulum quemdam famosum libellum evulgat, in quo finxit quemdam Pontifici Romano Clementi VIII. a secretis fuisse atque ex eiusdem Pontificiis arcanis accepisse, quod praedictus Pontifex cum imperatore Rudolpho aliisque christianis principibus, catholicam Romanam fidem sectantibus coniurarint, de omnibus, haereticis e medio tollendis et Ecclesiae Romanae imperio dilatando. Addebat causam idem impostor, ob quam res adeo secretas vulgaverit, ut videlicet gratum se Deo pro beneficio accepto ostenderet, dum a tenebris papistarum ad lucem evangelicorum evocatus esset. Non deerant variae aliae glossae in eodem libello, loco et tempori accommodatae, nempe: in Hungaria propositum esse, ut Caesar haereticorum bonis aerarium suum ditaret; ut Pontifex indulgentiis ac peregrinationibus, quae sublato haereticorum imperio, frequentissimae Romam fierent, lucrum ingens haberet etc. Ad haec efficienda Iacobum Belgiosam, comitem Superioris Hungariae generalem, Cassoviam missum esse. Addebat denique, ad tantam papistarum impietatem avertendam tantumque periculum a cervicibus repellendum, Stephanum Bocskai arma sumpsisse; aperiebantur simul modi, quibus evangelici papistas praevenientes, in eos insurgerent, eorum, et maxime ecclesiasticorum opes occuparent, evangelium suum propagarent et aliis nationibus tanti facinoris exemplo praeire non dubitarent etc.<sup>296</sup>

Hoc libello famoso sparso, Hungari haeretici, sive facti, sive vero metu perculti et spe lucis incitati, fidem imperatori datam, violarunt turmatimque ad Bocskaium convolarunt. Adiunxerunt sese etiam iis catholici, qui vel a Bocskai opresso et coacti erant, vel qui sibi male consci, sorte sua non contenti ac novarum rerum erant cupidi. Patefacta coniuratione, cum contra Bocskai Iacobus Belgioiosa arma movisset et Bocskai se virtute ac viribus imparem sciret, statim ad libelli famosi cuniculum confugit eumque in Caesareo Hungarorum exercitu spargi curavit. Haec res adeo commovit Hungarum militem, ut uno eodemque momento et Belgiosam proderet, et alteram exercitus partem, quae Germanis constabat, insperato invaderet ac prorsus deleret, caesis fere quinque milibus.

Nec malorum finis. Sub idem tempus in Inferiore Hungaria Turca Strigonium acriter oppugnabat, Georgius vero Basta, christiani exercitus generalis, strenue propugnabat et quidem ita, ut Turcam ad deferendam obsidionem adegerit. Dum ergo Basta hostem discedentem insequi vult, ad hoc se enim egregie compararat, Bocskai (qui Basta in Transylvania manente, nihil tentare audebat) Superiorum Hungariam turbat et Cassoviam occupat. Quare cognita Basta, ne proprium propter appellativum, ut aiunt, amitteret, arma Turcis prosternendis parata, in rebelles convertit, qui cum Bocskai erant eosque caedit, profligat et in fugam vertit.

Hyemis saevitia ac comeatus defectus, ne totum negotium conficeretur ac perfecta victoria reportaretur, effecit, ob haec enim, dum Basta, dimisso milite, in Austriam redit, Bocskai tempus habuit vires colligendi et res suas firmandi, unde et Transylvaniam et magnam partem Superioris Hungariae occupavit. Atque ita conspiratione Bocskiana non solum Caesar Hungariam et Transylvaniam amisit, verum etiam maxima de Turcis victoria ex Bastae manibus, summo rei christianaे detrimento est erepta.<sup>297</sup>

Occupata porro hoc modo, ut dictum est, Transylvania, in omnes quidem catholicos cruentum suum evangelium rebellis Bocskai exercere voluit, sed potissimum in ecclesiasticos. Nam episcopum Quinqueecclesiensem<sup>298</sup> et Varadiensem<sup>299</sup> in carcerem coniecit cruentoque tractavit. Et primus quidem ad instantiam Ser<sup>mi</sup> [regis] nostri ex carcere dimissus erat, verum adeo aerumnis et veneno, ut aiunt, confectus, ut Cracovia non ut viveret, sed ut sepeliretur, venisse videretur. Varadiensis vero diutissime in foedo carcere detentus fuit, nulla ratione aetatis, dignitatis, afflictæ valedudinis et vix tandem lacer et exhaustus dimissus. Vesprimensi etiam episcopo<sup>300</sup> eadem Bocskianaæ rebellionis rabies caput a cervicibus abscidit et e fenestris ad populum eiecit. Exstant in arce Sümegensi<sup>301</sup> expressa sceleris vestigia, ubi muri episcopi sanguine aspersi, quoties abraduntur toties, quasi sudarent, cruentari dicuntur. Taceo dissipata capitula, sacerdotes in derisum castitatis eviratos, sacram supellectilem direptam, sacras reliquias auro argentoque spoliatas et conculcatas, calices, cruces, sacras pixides profanatas, adeo, ut periti rerum Hungaricarum aestimatores affirmarent, nunquam tantam rerum sacrarum stragem a Turcis factam in Hungaria, quantum intulit funesta coniuratio Bocskiana.

Imponam finem huic initio coniurationis Bocskianaæ, epistola Ill<sup>mi</sup> S. R. E. Cardinalis Francisci Forgachii, archiepiscopi Strigonensis et regni Hungariae primatis, quam multo post tempore ad Ioannem Argentum, Societatis nostræ in regno Poloniae præpositum Provinciale dedit, et in qua illa, quae de famoso libello Bocskai diximus, mire illustrat. Cuius haec sunt verba: «Statim atque domum reversus sum, ex altis nivibus difficulter eluctatus, de transmittendo scripto haereticorum, cuius evulgatione Bocskiana rebellionio excitata erat, fui sollicitus. Et opportune sese tabellarius obtulit servitor nostri M. D. Gasparis Horvát, a quo V<sup>ra</sup> Reverentia dictum haereticorum commentum accipiet et deprehendet, quomodo fundamentum perduellionis, mendacium de extirpandis haereticis, mutuo simulque collatis catholicorum principum viribus et auxiliis posuerunt; ut, qui sacra profanaque contaminare, omnia iura ex summa impietate evertere in animum induxerant, vindices Evangelii haberentur et Dei causam se tueri praetexerent. Ita personati incedentes dirissimam persecutionem contra avitam religionem excitarunt et plus quam sexaginta milia christianarum animarum in Tartarorum et Turcarum servitutem redegerunt, ita taetram atque abominandam faciem regni relinquentes, ut saeculo forsitan integro aliquam formam ac speciem recuperare non posset. Caveat sibi

regnum Poloniae ab his religionis reformatoribus et patriae consulat, horum diabolica fraude utentium, simulationibus reiectis et pro defensione fidei catholicae, tanquam unica patriae salute, murum se opponat. Religiosae ac piae Paternitatis V<sup>rae</sup> erit ex hoc veneno pharmacum antidotumque conficere. Quod reliquum est V<sup>ram</sup> Reverentiam diu bene valere cupio. Datum Tyrnaviae etc.» Huc usque Cardinalis.<sup>302</sup>

(Vol. II. pag. 66—69.)

*14. Septembris 1605* habita defensio Societatis Jesu adversus Matthaei Toroczkai, Arianorum et Michaelis Tasnádi, Calvinistarum superintendentium accusationes, a Ioanne Argento, eiusdem Societatis in Transylvania Vice-Provinciali, apud ipsos Transylvanorum ordines, Medgyesini comitiis generalibus congregatos, dum Stephanus Bocskai rerum potitus, Societatem publico e Transylvania decreto proscribere niteretur. Effectus huius defensionis erat talis, ut adversarii, qui absente Patre Argento, famam Societatis lacerabant, praesente eo ac provocante ne mutire quidem fuerint ausi, sed sese ex conspectu aliorum proripuerint et absconderint. Procerum autem animi ita erant mutati, ut facti decreti eos poeniterent, eoque lacerato Societas nostra in Transylvania permanxit, nec defuerunt ex maioribus subselliis spondentes, se in posterum nunquam Societati oblocuturos. Res ista acerba et insperata Bocskai o acciderat, quia tamen aliud non potuit, tunc dissimulavit. (Vol. II. pag. 97.)

*22. Ianuarii 1606* venerunt Cracoviam canonici Agrienses cum episcopo Quinqueecclesiensi ex Hungaria per Stephanum Bocskaium Calvinistam pulsi. Intercesserat enim pro iis Serenissimus rex<sup>303</sup> noster apud Bocskaium, ut incolumes abire in Poloniā permitteret. Venerant porro, variis antecedentibus calamitatibus fere absumpti, maxime vero episcopus, qui infirmus, brevi post mortuus est et 30. huius in templo S. Stephani honorifice est sepultus, in eiusque funere P. Petrus Skarga concionem habuit. (Vol. II. pag. 110—1.)

*11. Novembris 1606* secuta est alia electio nostrorum in Transylvania per Stephanum Bocskai Transylvaniae principem, taeterimum Calvinistam. Hic tanto odio catholicam religionem prosequebatur, ut se in Transylvania, quam conspiratione in Caesarem facta occuparat, non prius dominari posse crederet, quam catholicos oppressisset. Sumpsit autem initium a Societate et superiore anno in comitiis Medgyesinensis de ea pellenda decretum procuraverat. Sed sequenti die, cum P. Ioannes Argentus Vice-Provincialis Transylvaniae, efficacissima oratione in omnium ordinum consensu habita et inauditum non esse condemnandum ostendisset, et facta ac falsa adversariorum obiecta contra nos efficacissime confutasset, ita procerum animi mutati sunt, ut facti decreti eos poeniteret illudque lacerarint. Ingratum id acciderat Bocskai, sed cum aliud tunc non posset, dissimulavit, hocque anno, 20. Septembris nostros in variis Transylvaniae locis degentibus, omnes Monostorum convocare iussit, datis hac de re litteris, ibidemque resolutionem de se exspectare. Eodem tempore ad se iisdem litteris evocavit Cassoviam Patrem Ioannem Argentum Vice-Provincialem et Patrem Georgium Káldi; qui cum ad eum 23. Octobris venis-

sent, facta vultus hilaritate et verborum humanitate eos excipiens, ad consiliarios suos remisit, qui declararunt nostris, ultimam eam esse principis voluntatem, ut ex universa Transylvania tota nostra Societas abiret. Multa tentata a nostris, ut illa iniqua sententia mutaretur, sed nullo operae pretio. Itaque postquam duo praedicti nostri Cassovia Claudiopolim rediissent, et bona Monostorense commissariis principis resignassent, ac domesticam supellectilem (eius enim dispositio pro voto nobis erat concessa) in varios catholicos pauperes distribuissent, ipso Sancti Martini festo die, post Sacra expedita, incolis catholicis valedixerunt, ingenti eorum comploratione secuta, currus concenderunt et in Poloniam iter direxerunt.<sup>304</sup>

(Vol. II. pag. 227.)

*16. Decembris 1606.* Venerunt nostri decem ex Transylvania electi, cum suo Vice-Provinciali R. P. Ioanne Argento, manseruntque nobiscum Cracoviae aliquot septimanis, nam postea Olomucium et ad alia Austriae loca sese contulerunt. (Vol. II. pag. 229.)

*26. Decembris 1606* Stephanus Bocskai, Transylvaniae princeps, impius Calvinista et catholicorum persecutor, sexta fere post nostram ex Transylvania expulsionem hebdomada, ex hac vita sive veneno, sive aliquo alio morbo exturbatus, ad Dei iudicium est abreptus ipso S. Stephani die. Similis factus est tum Giczi gubernatori Transylvaniae, qui proscriptae ex eadem Transylvania Societatis nostraræ, auctor tertia post luce exspiravit; tum Moisi Székel, qui eversi collegii Claudiopolitani dissimulator, secundo mense in acie periit; tum iudici regio Michaeli Désházio, eversionis eiusdem collegii duci, qui in carcere a Caesarianis brevi post interemptus est. Ita quorum impia facta imitabatur, eorundem horrendum exitum habuit. Erant nonnulli, qui affirmabant, illum iam morti proximum talia verbis ingeminasse: En Jesuitas suasu quorundam expuli et ipse morior! (Vol. II. pag. 230.)

*Initio Iunii 1607* venerat in Transylvaniam P. Ioannes Argentus<sup>305</sup> ad Sigismundum Rákóczium sive Calvinistam, sive Calvin-Lutheranum, qui tunc in principem Transylvaniae ascitus fuit et a Matthia, tunc archiduce et postea Romanorum imperatore requisitus, ut Societatem per iniuriam ex Transylvania eiectam restitueret. Omnia Patri Argento Rákóczius, tanquam aequa et iustitiae consona pollicebatur, rem tamen ad comitia referendam responsit. In comitiis igitur Transylvanorum Claudiopoli celebratis, iisque generalibus, actionem pro restituenda Societate instituit P. Ioannes Argentus 15. Iunii, ita (licet ne Claudiopolim admitteretur, die adversarii restiterint et lapidibus se negotium expedituros protestati sint, tandem tamen ob Caesaris reverentiam admiserint) ut aequitas nostra et adversae partis iniquitas omnibus innotesceret, nec ullus esset, qui vel verbum in contrarium proferret, ea vis erat et orationis, et veritatis. Advertentes porro adversarii nihil se rationibus contra nos posse, clamoribus omnia implere, furere et tumultuari cooperunt, facto impetu Societatem proscripserunt et bonis, quod imprimis avara cupiditas quaerebat, spoliarunt. Catholici proceres Transylvani 20. eiusdem mensis, sollennem protesta-

tionem contra tam barbarum furiosorum hominum decretum in iisdem comitiis fecerunt et se illi contradicere ac nullo modo velle consentire testati sunt, huicque protestationi 20, qui tunc erant catholici ex nobilitate Transylvanica, subscripserunt manu propria sigillisque obsignarunt. Sed quia princeps haereticus, magis haereticis quam aliis favebat, nullum tunc iustitia locum obtinuit, sed haereticorum articulus (cuius talia erant verba: De religione sic deliberavimus, ut iuxta articulos antea editos, omnes in sua religione sine impedimento conserventur, sed Societatis Jesu secta e ditione Ill<sup>mi</sup> principis excedat) executioni mandatus fuit. Ipse tamen Rákóczius innocentiae testimonium dedit nos nonnisi ob religionem catholicam electos esse, quod testimonium omnium prudenter iudicio in maximam tandem nostrorum et tunc erat, et postea futurum est. (Vol. II. pag. 247—250.)

25. *Iulii 1607* venit P. Ioannes Argentus, post decretum Claudiopoli a turbulentis haereticis contra nos latum, cum suis duobus sociis Cracoviam, breveque postea in Austriam sese contulerat. (Vol. II. pag. 253.)

(Ex editione Academiae Scientiarum Cracoviensis.)

---

## APPENDIX V.

**Articuli diaetales comitiorum regni Transylvaniae de Jesuitis et religione catholica temporibus principum Báthory.**

(Ex originali textu in Latinum transtulit P. Dionysius Szittyay S. J.)

### 1.

*In comitiis partialibus dominorum regnicolarum trium nationum regni Transylvaniae et partium regni Hungariae a Christophoro Báthori principe ad 21. Octobris 1579 Tordae indictis.* (Vol. III. pag. 143.)

5) Deinde, Benignissime Domine, intelleximus litteras Ser<sup>mi</sup> regis Poloniae, simul etiam Tuae Celsutidinis percepimus voluntatem, qua ex causa mota Sua Maiestas Jesuitas in regnum, nimirum propter adolescentium institutionem introduxerit et in certis locis considere fecerit. Hanc ob causam supplicamus Tuae Celsitudini, ut in quem finem introducti sunt, in eo tantum permaneant, id est ne extra limites suorum studiorum egrediantur, contineant se in suis officiis et institutionibus, ne inter diversae religionis doctores contentio aut tumultus oriatur.<sup>396</sup>

Datum in praedicto oppido nostro Torda, 24. die Octobris. Anno Domini 1579.

### 2.

*In comitiis generalibus a Christophoro Báthori principe ad 1. Maii 1581 in Kolozsvár indictis.* (Vol. III. pag. 157.)

2) De causa religionis sic sumus locuti. Quandoquidem iam Sua Celsitudo Colosmonostram et Claudiopolim introduxit Romanae fidei doctores propter adolescentium institutionem et Albae Iuliae quoque coenobium illis tradidit, doctoribus scilicet collegii Societatis Jesu secundum confessionem et conscientiam Suae Celsitudinis; his ergo praedictis locis sit Sua Celsitudo contenta et in alia nova loca vel civitates, vel pagos istius regni huiusmodi doctores vi, aut minis deinceps non introducat, neque plantet. Sed in omni loco et in omnibus templis, antiqui doctores in pacifico suo statu permaneant. Ita tamen, ut si aliqua civitas aut pagus inveniretur, qui pro huiusmodi Romanae fidei doctoribus Suae Celsi-

tudini supplicaret; tunc Sua Celsitudo eligat unum principalem virum ex sua aula et duos alias ex comitatu, in quo pagus aut civitas fuerit, quae supplicat; qui cum litteris Suae Celsitudinis testentur, quae pars civitatis, aut pagi desideret habere Romanae religionis doctores, et quae pars maior fuerit numero, illius religionis doctorem toti civitati aut pago tribuat; convocatis prius consiliariis et consilio de hac re cum illis habito. Sed propter 10—20 aut plurium etiam hominum petitionem, qui toto corpore Societatis pauciores essent, non perturbet Sua Celsitudo pagos aut civitates.<sup>307</sup>

Datum in civitate nostra Colosvár, 10. die Maii. Anno Domini 1581.

### 3.

*In comitiis partialibus a Sigismundo Báthori principe ad 29. Aprilis 1584 in Gyulaféhérvar indictis.* (Vol. III. pag. 203.)

2) Quoniam vero, Celsitudo Tua, comitia imprimis tum regum sanctorum, tum etiam antecessorum nostrorum cum honoratione Dei, ut qui fundamentum principale omnium rerum est, inciebantur: idcirco nos quoque id sequi volentes, de re religionis hoc decretum fecimus, ut res religionis omnibus in partibus et articulis ita observaretur, ut ea in comitiis generalibus prima die Maii anni 1581 Claudiopoli promulgata fuerat et secundum articulos superiores libertas religionis conservaretur; neve tamen fiant innovaciones, sub poena in articulo nominato praefixa.

Datum Albae Iuliae, 2. die Maii. Anno Domini 1584.

### 4.

*In comitiis partialibus a Sigismundo Báthori principe ad diem dominicam Cantate 1585 in Gyulaféhérvar indictis.*<sup>308</sup> (Vol. III. pag. 213.)

1) Quandoquidem comitia imprimis tum regum sanctorum avitorum, tum etiam praedecessorum nostrorum honore Dei, qui quidem fundamentum principale omnium rerum est, inchoabantur: ob eam causam nos quoque id secuti, de re religionis tali modo decrevimus, ut res religionis omnibus in partibus et articulis ita remaneret, ut de ea in comitiis generalibus partialibusque deliberravimus, idemque modus in re religionis observaretur, dummodo Celsitudo Tua una cum regno in comitiis generalibus aliud decreatum fecerit.

Datum Albae Iuliae, 17. die mensis Maii. Anno Domini 1585.

### 5.

*In comitiis generalibus a Sigismundo Báthori principe ad 8. Decembris 1588 in Medgyes indictis.* (Vol. III. pag. 238—240.)

5) Etsi, Domine Clementissime, propositiones Celsitudinis Tuæ ad nos missae tales etiam sunt, ut quae ad rem publicam, patriæ prosperitatem et emolumenntum pertinent, in eo potissimum ordine versentur, tamen ut maiorum nostrorum exempla laudabilia sequeremur, qui in comitiis res cultus divini semper primo loco tractabant, cum Celsitudine Tua universi imprimis sequentia statuimus.

Occurrit primo, negotium Societatis Jesu, ut Celsitudinem Tuam instantissimis nostris precibus molestaremus (praeter alias innumeris rationes, quas Celsitudini Tuae proposuimus hisque copiose demonstravimus, quibus patriam perdere et posteritatem periculo tendere hic ordo conatur) maiorum nostrorum laudabilia acta et decreta nos movebant, quibus religio pontificalia cum omnibus suis professoribus et religiosis, cum omnium communibus votis et paribus suffragiis, ante adventum Isabellae reginae tum ex nostra patria, tum ex Hungaria exire iussa est, immo et subsequenti tempore, post reginae ingressum, in generalibus regni comitiis, ut articulis anni 1556 allatis demonstrant, eorum reversioni aut per alios in hoc regnum reductioni omnis via paeclusa est eo, quod eorum bona confiscata et sub gravi interdicto ab eiusmodi Ordine in perpetuum avulsa sunt.

Quod Celsitudo Tua petitionem nostram, qua, ut religiosi Societatis Jesu ex hoc regno dimitterentur supplicavimus, pae oculis habendo sibi cordi esse declarare et clementiam caritatemque erga nos, benigne precibus nostris annuendo, ostendere dignata est, grato animo, ut a nostro principe, Domino Clementissimo, accipimus.

Quare nos universitas trium nationum, cum dominis nobilibus partium regni Hungariae publice decrevimus, ut a dato pae sentium computando infra viginti quinque dies hi religiosi Societatis Jesu ex omnibus locis regni Celsitudinis Tuae excederent, neve haec Societas, cum etiam florente pontificalia religione in regno Hungariae ignota fuerat, in hoc regnum unquam iniret; immo ne alii quidem huius Romanae religionis religiosi claustra, collegia et in maioribus locis templa habeant, aut contra antiquae regni constitutiones hanc religionem profitentes aliasve ecclesiasticas personas bona nobilia et haereditates donationis titulo, aut alio quaesito sub colore possidere prohibemus.

6) Cum autem hi, uti paemittitur, iam undique amoti sint, sub amissione bonorum proprie ipsos concernentium, nemo tales Societatis Jesu religiosos in domo aut in bonis suis habeat. Si quis temeritate ductus contraageret, citatus per directorem causarum iuridice convincetur et puniatur.

7) Ut autem tum Domini nostri Clementissimi, tum aliorum dominorum magnatum, confratrum nostrorum, Romanam religionem sequentium, conscientia quieta et contenta reddatur, Celsitudo Sua ad proprias necessitates pium praedicantem, saecularem sive religiosum, ex Hungarica natione oriundum habere potest, cuius salaryum ex proprio aerario solvat. Similiter et aliis dominis nobilibus et confratribus nostris licitum sit, si voluerint, unum illius religionis magistrum in domo sua retinere, sed non plures; nec aliquius pauperi subditi aut aliorum conscientia per vim necessitetur, ut sic in recepta religione, iuxta antiquos articulos, religionis libertas conservetur.

8) Decrevimus praeterea, ut nunc exprobrata Jesuitarum secta nullo unquam temporum in successu in hanc patriam admitteretur;

immo si contra hoc nostrum decretum in hoc regnum secundum vocationem ingredi ausa sit, omnibus liceat eos persequi et bona eorum depraedare.

9) Similiter et alii religiosi, praeterquam qui supra nominati sunt, si in regnum intraverint, eodem modo puniantur. De bonis autem, quae illis contra nostram libertatem et constitutiones tum in Transylvania, tum in Hungaria confertae fuerant, sic publice deliberavimus, quod Celsitudo Tua ea, iuxta continentiam supradictorum articulorum antiquorum fisco ascribat, neque illa Jesuitis licitum sit pecunia vendere vel alia quacunque sub conditione, aut quovis modo abalienare. Qui autem illa bona a Jesuitis empturi sint, vel iam emerint, pecuniam suam amittant et bona nihilominus fisco tradantur.

10) Ecclesia S. Aegidii Varadiensis cum omnibus suis pertinentiis, quibus occupata fuerat, restituatur, ut quemadmodum antea, ita et postea pro populo conciones habeantur, sed non Romanae religionis. Quae autem a Jesuitis innovata, aut empta sint, fisco cedant.

11) In negotio religionis publice decrevimus, ut duplex religio, praeter confessionem Augustanam, ut huc usque observata est, ita et postea, iuxta tenorem praedictorum articulorum teneatur, neque quisquam in ea turbetur. Innovatio autem sub poena ante hac edita sit interdicta.

12) De sacerdotibus et episcopis Valachis, quae antiquitus statuta sunt, in vigore suo maneant, episcopis autem Graecis sine venia patronorum visitandi causa nemini bona ingredi sit licitum.

Datum in civitate nostra Medgyes, 23. die mensis Decembris.  
Anno Domini 1588.

## 6.

*In comitiis generalibus a Sigismundo Báthori principe ad 1. Novembris 1591 in Gyulafehérvár indictis. (Vol. III. pag. 384—386.)*

1) Sequuti exempla piorum maiorum nostrorum et Dei vivi, a quo cum Celsitudine Tua omnia bona accepimus, honorem prae oculis habentes, simulque monita clementissima Celsitudinis Tuae a estimantes, rem religionis in sequentibus tractavimus et décrevimus.

Videntes voluntatem Celsitudinis Tuae magnis et certis causis firmatam, ut eiusdem conscientia acquiescat, simul etiam ne nos nostrique magistri in ordine ac statu nostro unquam turbemur, decrevimus, ut in quibus, iuxta commendationes et promissiones Celsitudinis Tuae nostra in comitiis generalibus Medgyesini habitis allata decreta violata fuerant, in illis etiam restituerentur, et in quae loca religio Romana illa exprobrata iterum introducta erat, velut praesertim in Kolosvár, inde a Celsitudine Tua illico amoveretur et in posterum in publicis locis ad peragendas celebrandas que caerimonias ne admitteretur.

Similiter ex aliis quoque locis, ubi contra nostra Medgyesiensia decreta noviter introducti sunt, ubique tollantur, ecclesia autem Celsitudinis Tuae in Alba Iulia, utpote in sede principali,

sine laesione Celsitudinis Tuae in suo statu remaneat, ut Celsitudo quoque Tua acquiescat et contenta sit.

Cum autem Celsitudo Tua ad ferendas leges, comitiaque celebranda a Deo in Kolosvár ducta erit, in Monostor quoque Celsitudo Tua ad conscientiam quietam reddendam magistrum proprium habeat, sed collegium eos habere nolumus, ne ex eo loco hinc inde in pagos concionem habere aut docere exeant, neve in bona ad Monostor pertinentia, aut alia in loca discurrant, sed liceat pagis ad Monostor pertinentibus tales habere magistros, quales ipsi optant et volunt habere.

Clastrum in Csik cum vicinis locis, cum Romanae processiones religiosae ibi haberi solitae nunquam sublatae fuerint, ad conscientiam confratrum nostrorum eorundem acquietandam in suo statu remaneant, in quo huc usque fuerant.

Si autem pagus aliquis Csikiensis praedicatores et magistros nostrae religionis optaverit, sine iniuria et offensione libere admittantur.

Magistri Romanae religionis omnibus ex locis, praeter supra nominatos, amoveantur, nec in posterum alicubi plantentur, ut ex Fogaras, Szeszerma,<sup>309</sup> Hadad aut ubicunque fuerint. Scholam, tempulum nullibi habeant, nec in Celsitudinis Tuae aut cuiusvis bonis, sed iuxta articulos in comitiis generalibus Medgyesini allatos, confratres nostri Romanam religionem profitentes pro sua persona unum sacerdotem habere poterunt, sed in bonis suis, ne pagi coactionibus aut vi turbentur.

Qui in recepta religione sunt, nec in suis proventibus, nec in quoconque statu perturbentur.

Quod ad ecclesiae, scholae et magistrorum in nostra religione Albae existentium statum pertinet, in sua quisque persona, proventu vel quavis conditione ne turbetur. Provideat etiam Celsitudo Tua de templo nostro aedificando, id quod tempore suorum praecessorum mos erat.

Articulus Medgyesini de Varadino et de ecclesia S. Aegidii allatus, in omnibus suis punctis servetur.

In Szöllős et Sajó, si religio catholica ante comitia generalia Medgyesini celebrata fuerat introducta, in suo statu maneat, ubicunque autem post comitia introducta inventa fuerit, statim amoveatur sub poena in articulis Medgyesiensibus statuta. Nec in posterum ad nova loca admittatur.

Datum Albae Iuliae, die 20. mensis Novembris. Anno Domini 1591 supra dicto.

## 7.

*In comitiis generalibus a Sigismundo Báthori principe ad 16. Aprilis 1595 in Gyulaféhérvar indictis.* (Vol. III. pag. 472.)

15) Quod ad negotium religionis attinet, publice decrevimus, ut religiones receptae, id est catholica sive Romana, Lutherana, Calvinistica et Ariana libere ubique profiteri liceret.

16) Articulum illum in comitiis Medgyesini anno 1588 habitis in quantam ad Patres Jesuitas pertinet et libertati religionis catholicae sive Romanae non praejudicat, nostra erga Maiestatem Tuam benevolentia et caritate inducti abrogavimus et de eo decrevimus, ut ab eius observatione et iuramento Maiestatem Tuam absolvetur et Patres Jesuitae in Kolosvár, Monostor et huc Albae ingredi possent. Obsecramus autem Maiestatem Tuam, ut pree oculis habitam tantam nostram benevolentiam et pietatem, Jesuitas nec in Varadino, aut ulla alia, praeter supra nominata loca nec in Transylvania, nec in Hungaria introduci permittat, neque collegia ullibi habeant quam in nominatis locis. Praeter hos qui magistri, praedicantes, excepta religione Romana, aliis ex religionibus receptis in Kolosvár, Fejérvár aut alibi fuerint, in sua persona, schola, ecclesia, proventu et in quocunque statu incolumes maneant et intra limites vocacionum suarum se contineant, Patres vero Jesuitae, sicut et sacerdotes aliarum religionum receptarum, nullius inimicitiae aut discordiae causam praebant.

17) Qui vero aliam, quam receptam religionem professi fuerint, ut e. gr. innovatores, per comites et iudices regios, adiunctis sibi sacerdotibus eius religionis iuxta brevem cognoscantur; qui innovatores inventi fuerint, cum senioribus et episcopis convicti secundum leges sine delectu personarum puniantur; idque sine mora, si ad meliorem frugem non redierint.

18) Quodsi quis autem ex ecclesiasticis alteri quam receptae religioni usque huc addictus fuerit, etiam is, si ad meliorem frugem non redierit, pari modo puniatur.

Datum in civitate nostra Alba Iulia, 2. die mensis Maii. Anno Domini 1595.

#### 8.

*In comitiis electivis in favore Sigismundi Báthori principis post eius in regnum regressum 29. Augusti 1598 Tordae celebratis.*  
(Vol. IV. pag. 195—7.)

1) Decrevimus, ut Maiestas Tua omnes ordines in sua religione integros retineat.

9) Quaecunque confratres nostri Varadienses in absentia Maiestatis Tuae egerint, propterea a Maiestate Tua ne sollicitentur, immo ea omnia per totam vitam oblivious deleantur, et in eo statu quo nunc sunt, a Maiestate Tua conserventur.

10) Addimus etiam, ut in Szöllős et eius pertinentia catholici omnibus suis caerimoniis omnino libere utantur et omnimodam plenariamque habeant facultatem religionem catholicam profitendi, appetendi, exercendi, administrandi. Si Varadini aegrotus et morti proximus catholicus confiteri et communicare voluerit, sacerdotemque ex Szöllős vocaverit, talis sacerdos Varadini ingredi domum aegroti possit, sed simplici suo habitu amictus, sine omni caerimonia, sine cruce, casula, tintinnabulo aut quacumque publica et manifesta demonstratione, ibi aegroti confessionem excipere, ei

communionem tradere possit; si autem confessio et communio sine oblatione missae sacrificii fieri non posset, ibidem, i. e. in domo aegroti etiam celebrare licitum sit.

Si talem mori contigerit, honeste sepeliri possit, sine tamen caerimoniis; si quis eum comitari velit, catholicus aequa atque evangelicus, licitum sit ei, in quo obsequio nullus evangelicus praedicator aliquem retinere audeat; cadaver comitantibus deductum a sacerdotibus Szöllősiensibus in suis confiniis exceptum cum omnibus caerimoniis libere transferri et sepeliri possit.

15) Ubi praeterlapsis temporibus in imperio Maiestatis Tuae religio Romana vi introducta fuerat, iis ex locis, quorum nomina Maiestatis Tuae proponemus, per duos nobiles, quorum alter evangelicus, alter catholicus sit, illa religio tollatur, communitas sine metu inquiratur, et in qua parte plures fuerint, eorum religio retineatur.

## 9.

*In comitiis generalibus a Sigismundo Báthori principe ad 21. Martii 1599 in Medgyes indictis.* (Vol. IV. pag. 268—9.)

10) Proposuit etiam Maiestas Tua, quomodo per amotionem Patrum Jesuitarum ex Alba conscientia sua laesa esset simulque optat, ut articulus noster in comitiis Tordae celebratis receptus tollatur et praedicti Patres Albam redire possint; nos aestimantes desiderium Maiestatis Tuae decrevimus, ut ille articulus, quem die 16. Aprilis anno Domini 1595 in comitiis generalibus Albae celebratis de Patribus Jesuitis tulimus, in omnibus punctis observaretur et Maiestas Tua iuxta tenorum illius Patres Jesuitas Albam introducere posset. Quod autem iuramentum Maiestatis Tuae de hoc Tordae praestitum attinet, ab illo in hac parte Maiestatem Tuam absolvimus.

Datum in civitate nostra Medgies, 29. die mensis Martii. Anno Domini 1599.

## 10.

*In congregazione procerum, magnatum, caeterique statum et ordinum, necnon universitatis nobilium regni Transylvaniae in Léczfalva ad 25. Octobris 1600 deliberatis.* (Vol. IV. pag. 551—2.)

1) Quandoquidem nobis prospicere ac praeter omnia rebus divinis intendere debemus, praeposita religionis libertate caeteris veteribus religionibus, id est Catholica sive Romana, Lutherana, Calviniana et Unitaria religione, decrevimus, ut omnes patroni Romanae religionis in suo quiske pago, ubi residentiam habet, sacerdotem suae confessionis ac religionis habere possint. Si qua autem extra eum locum noviter et violenter contra consensum auditorum sacerdos quis introductus fuisset — sit locus ille pagus aut oppidum — nisi receptus fuit, nec diutius eum retinere nolunt: amoveatur, et cuius religionis minister electus fuerat, eiusdem denuo restituatur. Iis proventum usitatum patroni praestare cuiuscunq;

receptae religionis sacerdotibus concedant, quemadmodum in articulis superioribus haec decrevimus.

Datum in possessione Léczfalva, die 4. mensis Novembris.  
Anno Domini 1600.

## 11.

*In comitiis generalibus a Georgio Basta dominus in Sult ac Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis exercitus et regni Transylvaniae generalis capitaneus ad 23. Augusti 1602 in Medgyes indictis.* (Vol. V. pag. 137.)

8) Quoniam autem una cum regno nos quoque offensionibus morbisque vexamur, ita de iis imprimis locuti sumus, ut cum secundum articulos superiores, tum ex contractu cum Celsitudine Tua facto, religiones receptae omnibus locis remaneant, neve quis sua religione conturbetur.

Datum in praedicta civitate Medgies, die 23. mensis Augusti.  
Anno Domini 1602.

## 12.

*In comitiis generalibus a Georgio Basta comiti in Huszt ad 5. Septembris 1603 in Déva indictis.* (Vol. V. pag. 235.)

4) Civitates, quae a fidelitate Suae Maiestatis secesserunt, post-hac nullum aliud extra Romanae ecclesiae exercitium spirituale habebunt, et nullo alio utentur. Claudiopolitani vero sint obligati, quamprimum Patribus Societatis Jesu ecclesiam parochiale consignare et scholas domusque pro collegio destructo.<sup>310</sup>

## 13.

*In comitiis generalibus a Sigismundo Rákóczi principe ad 18. Martii 1607 in Marosvásárhely indictis.* (Vol. V. pag. 471.)

13) Domini ac cognati nostri ex comitatu Bihoriensi dominum nostrum, Celsitudinem Tuam, de religione et de trigesima exigenda consuluerunt. Igitur, quod ad rem religionis spectat, Celsitudo Sua permisit, ut in eam articulus Medgyesiensis anno 1588. latus conservetur omnibus suis punctis.

Datum in oppido nostro Marus Vásárhely, die 25. Martii.  
Anno Domini 1607.

## 14.

*In comitiis generalibus a Sigismundo Rákóczi principe ad 10. Junii 1607 in Kolozsvár indictis.* (Vol. V. pag. 493 et 510.)

2) Quare imprimis, exempla maiorum nostrorum laudabilia sequuti, qui in comitiis res cultus divini semper supremo loco tractabant, nos quoque de religione ita deliberavimus, ut omnia sine quacunque laesione, iuxta articulos antiquos manerent. Sed de secta Jesuitica, quam antea in comitiis generalibus in Medgyes celebratis communibus omnium votis et suffragiis ex hoc regno

exprobravimus, decrevimus, ut nunc quoque ex omnibus imperii Celsitudinis V<sup>rae</sup> locis exirent, et haec religio nunquam in hoc regnum reciperetur, nec quisquam talem Ordinem in sua domo bonisque retinere posset; si quis temeritate ductus contra ageret, citatus per directorem causarum convincatur et iuridice puniatur; in quo ad omnia articulus in comitiis generalibus in Medgyes anno 1588 celebratis conclusus observetur.

52) Rogaverant nos domini et confratres nostri catholici, ut illis, qui in urbibus liberis habitarent, liberum esset exercitium religionis catholicae, ut aegrotos visitare, confessiones excipere, infantes baptisare. Cum autem catholica religio sit inter alias religiones receptas, decrevimus, ut sacerdos catholicus in Kolosvár et alia loca, exceptis Varadiensibus, intrare possit; ad aegrotos, qui in agone sunt, visitandos, confessiones excipiendas, et ad baptismum conferendum, quibus caerimoniis peractis iterum teneatur recedere, nec ei, praeter haec, alias caerimonias peragere liceat.

Datum in civitate nostra Coloswar, 24. mensis Iunii. Anno Domini 1607.

### 15.

*In comitiis generalibus a Gabriele Báthori principe ad 21. Septembbris 1608 in Kolozsvár indictis.* (Vol. VI. pag. 111.)

1) Quod Celsitudo Tua ita res nostras amplexus est, ut privatis officiis postpositis res ad Dei gloriam spectantes inchoavit, hac re Celsitudo Tua omnium principum christianorum exempla laudabilia prosecuta est, id quod nos quoque magnopere approbamus. Placuit deinde una cum toto regno statibus trium nationum unanimi voluntate et consensu permittere, quemadmodum Celsitudo Tua desideraverat, ut liceret sacerdoti eiusdem, quam Celsitudo Tua confitetur religionis Claudiopolim intrare, neconon, ut cognatis nostris Claudiopolitanis in sua religione suisque templis nullo modo turbatis, certo quodam loco, quo Celsitudo Tua voluerit, praedicari, cum omnibus functionibus et ministeriis ecclesiasticis concederetur.

Datum in civitate nostra Kolosvár, die 27. Septembbris. Anno Domini 1608.

### 16.

*In comitiis generalibus a Gabriele Báthori principe ad 9. Octobris 1609 in Kolozsvár indictis.* (Vol. VI. pag. 164—5.)

1) Intelleximus, Clementissime Domine, ex propositionibus Maiestatis Tuæ ad nos missis, desideria Maiestatis Tuæ, quae omnia ad salutem patriæ nostræ spectant. Propterea, quod ad rem religionis pertinet, cum Celsitudo Tua quoque id optet, ut resolutionem nostram, quae desiderium cognitorum nostrorum Romanae religionis concernit ad conventum sequentem differamus, rem religionis in omnibus ad id tempus distulimus.

10) Cognati nostri ex comitatibus Kraszna et Közép-Szolnok statum praedicatorum suorum plangunt, quibus vectigalia adempta

sunt, uti in Hadad, Zilah, Somlyó, Karaztelek et Kraszna, immo vero in aliquot locos ex his sacerdotes papistae allati sunt, qui autem aliis ex locis eosdem extrudere conantur. Placuit idcirco, ut usque ad conventum proximum ii eodem statu permanerent, quo eos Celsitudo Tua tempore inaugurationis invenerat atque proventus iisdem caeterisque locis eis praestaretur.

Datum loco et anno praemisso.

### 17.

*In comitiis generalibus a Gabriele Báthori principe ad 25. Martii 1610 in Besztercze indictis.* (Vol. VI. pag. 170.)

7) Nonnulli confratres nostri conquesti sunt, quod patroni papistae contra animum et voluntatem communitatum sacerdotes catholicos in bona sua introduxerant, ecclesias et proventus occupabant, et a sacerdote pagi divellebant. Quare decrevimus, ut ubi tales catholici sacerdotes contra animum pagi collocati fuissent, inde amoverentur, ecclesiae et proventus ablati restituerentur. Si quis autem patronus papista proventum solvere iuxta decreta regni cunctaretur, comites et comitatus eorum bona invadere, debitos sacerdotum proventus exequi et illis solvere possint. Immo nec in Tövis, nec Albae, Monostor, aut in bonis Somloensibus, aut in Székely-Udvarhely, vel quovis loco illius sedis sacerdos papista commoretur, cum ex certis indiciis compertum sit ipsos quoque novissimis contra Suam Maiestatem ortis practicis se immiscuisse easque occulto foviisse; ubi vero ecclesia pro sacerdotibus papisticis, ut in Telegd, erecta est, destruatur. Et quia templum hoc ex illis destructis aedificatum erat, restauretur templum antiquum, sicut prius extiterat. Nemo sibi subditum pagum ad conciones, missam sacerdotis papistici in loca publica, aut suam domum modo vi cogat; si ex propria voluntate id facit, licitum sit ei. Qui sacerdotem papisticum tenuere vult, eum in sua domo retineat. Sacerdotes papistici epis- copos ne habeant. Sacerdotem vero Jesuitam nemo, nec in hoc regno, nec in Hungaria apud se tenere audeat. In summa, quoad religionem, servetur articulus Medgyesinus ex anno 1588.

Datum in praedicta nostra civitate Bistriciensi, die 3. mensis Aprilis. Anno Domini 1610.

### 18.

*In comitiis generalibus a Gabriele Báthori principe ad 17. Decembris 1610 in Nagyszeben indictis.* (Vol. VI. pag. 199.)

5) Id quoque decrevimus, ut cum praesente, tum absente Maiestate Tua, sacerdotes suae religionis libere in templis praedicarent. Praedicatores vero cognatorum nostrorum Saxonum caerimonias suas eodem modo ad eandem horam alternatim, ut Cassoviae, praescriberentur, ne tempus praedicatorum Hungaricorum praeterfugeret.

Datum in praedicta civitate nostra Cibiniensi, die 20. mensis Decembris. Anno Domini 1610.

## 19.

*In comitiis generalibus a Gabriele Báthori principe ad 15. Maii  
1612 in Nagyszeben indictis. (Vol. VI. pag. 223—4.)*

2) Maiestas Tua, magna sua clementia erga nos una cum regno demonstrata, id quoque a nobis postulat, ut contumaces et fugitivos eosque, qui etiam nunc manifestam rebellionem erga nos et Maiestatem Tuam testantur, nos quoque tanquam<sup>311</sup> publicae pacis turbatores, crimine perduellionis ac notae perpetuae infidelitatis convictos, pro publicis notoriis et perpetuis proscriptis habebimus communi voto et suffragio, fugitivos quidem etiam exilio perpetuo, intra vero limites patriae constitutos nota perpetuae infidelitatis, amissione capitis et omnium bonorum ipsos proprie et praecise concernentium prōnunciaremus, declararemusque manifeste. Decreverimus igitur una cum regno: cum unusquisque ordo satis temporis ad conversionem in clementiam Maiestatis Tuae habuerit, nec palam bono pacique generali se opponere debuerit: uterque ordo proscriptione aeterna dignus existimaretur; immo quoque una cum regno pollicemur, fugitivos nunquam a nobis sine scitu et voluntate Maiestatis Tuae receptionem iri; legitimos quoque principes posteros obligabimus, ne gratiam iis donent, nec eos aut proles eorum recipient. Horum, ut numerus et nomina omnibus nota fiant, qui quidem auctores disturbiorum praeteritorum fuisse existimantur quosque una cum Maiestate Tua decreto publico proscribere volumus, sunt: Reverendum Stephanum Csiki episcopum Samandriensem, honorabilem Matthiam Koppáni diaconum Albensem; etc.

Datum in praedicta civitate nostra Cibiniensi, die 25. mensis Maii. Anno Domini 1612 supra notato.

(Ex editione Academiae Scientiarum Hungaricae.)

## APPENDIX VI.

Regesta actarum res Societatis Jesu catholicorum-  
que in Transylvania concernentium.

(1579—1613)

5. Maii 1579. *Torda*. Fundatio prima collegii Claudiopolitani  
Societatis Jesu a Christophoro Báthori principe; datur abbatia Ko-  
losmonostor, Bács et Jegenye. (Bpest. — E. F. L. — F. R. Tr. I.  
No. 25.) 1

22. Septembris 1579. Exemptionales Christophori principis,  
vigore quarum universas vineas ad ecclesiam S. Aegidii in quo-  
cunque promontorio Varadiensi possessas cum facultate nonas et  
decimas possessionis Tótelek, Varadinum inducendi, a nona et  
decima liberat. (Szittyay.) 2

5. Maii 1580. *Alba Iulia*. Assecuratio Christophori principis  
magistratui civitatis Kolozsvár data de eo, quod per fundationem  
collegii Societatis Jesu decori et utilitati inservire, non vero nocere  
voluisse civitati. (Jakab II. 125—6. — F. R. Tr. I. No. 39.) 3

(18. Maii) 1580. (*Vilna*) Fundatio secunda collegii Socie-  
tatis Jesu Colosvariensis cum donatione trium villarum a Stephano  
Báthori rege Poloniae. (Bpest. — F. R. Tr. I. No. 49<sup>2</sup>.) 4

8. Iulii 1580. *Alba Iulia*. Fundatio a Christophoro principe  
decimae possessionis Mákó pro pauperibus scholasticis collegii So-  
cietatis Jesu Claudiopolitani. (Bpest. — F. R. Tr. I. No. 40.) 5

3. Octobris 1580. *Alba Iulia*. Privilegium Christophori prin-  
cipis de vinis Societatis Jesu ex Monostor libere invehendis in col-  
legium Claudiopolitanum ad usum proprium et familiae. (Bpest. —  
Jakab II. 126—7. — F. R. Tr. I. No. 43.) 6

23. Octobris 1580. *Alba Iulia*. Christophorus princeps collegio  
Societatis Jesu Colosvariensi concedit, ut vina decimalia promon-  
torii oppidi et castri Monostor libere imposterum ex oppido Mo-  
nóstor in civitatem Kolosvár inferre valeant, sed duntaxat ad pro-  
prium usum. (E. F. L.) 7

12. Maii 1581. *Vilna*. Authenticum originale instrumentum  
fundationis collegii et académiae Societatis Jesu Claudiopoli, scrip-  
tum in membrana, erectum a Stephano rege Poloniae et principe  
Transylvaniae, in quo pro collegio monasterium desertum olim  
Franciscanorum, pro scholis domum vicinam attribuit. Item abba-  
tiā B. M. V. de Colosmonostra cum pago paene coniuncto, sub-  
urbium Claudiopolitanum et possessiones integras Bács, Jegenye,

- Tiburcz, Kájántó et Bogártelke donat. (Gyfhvár. — F. R. Tr. I. No. 49.) 8
10. *Iunii 1581. Vilna.* Litterae missiles Stephani regis ad Patrem Ioannem Leleszi de instituendo fratrī filio.\* (Gyfhvár. — F. R. Tr. I. No. 53.) \* Idest Sigismundo. 9
24. *Augusti 1581. Alba Iulia.* Statutoriae requisitorum conventus B. M. V. de Colosmonostra in fundationales collegii Societatis Jesu Claudiopolitani a Stephano rege Poloniae 12. Maii 1581 Vilnae emanatas. (E. F. L.) 10
29. *Augusti 1581.* Litterae missiles Stephani regis ad Patrem Ioannem Leleszi, quibus curam nepotis educandi ei committit. (Gyfhvár.) 11
30. *Septembri 1581. Kolozsvár.* Decretum senatus civitatis Claudiopoli de vino Patrum Jesuitarum in civitate invehendo. (Erd. Muz. 1906: 182.) 12
30. *Septembri 1581. Alba Iulia.* Transsumptum capituli ecclesiae Albensis ad expositionem Martini Berzeviczy, Stephani regis Poloniae oratoris et cancellarii Transylvanicī, continens declaracionem super possessione Tiburcz a Wolfgango Bánffy-Losonczi de Zentelke per vaivodam Christophorum Báthori partim aere parato, partim vero aequivalenti bonificatione redempta, ac per eum abbacie Colosmonostoriensi in perpetuum collata. (E. F. L.) 13
16. *Octobris 1581.* Litterae missiles Stephani regis ad Patrem Ioannem Leleszi, totae propria manu scriptae, de nepotis profectu gratulatoriae, in quibus etiam templum Albae Iuliae renovandum et Patres eo evocandos promittit. (Gyfhvár.) 14
17. *Octobris 1581. Kolozsmonostor.* Protestatio Colosvariensium contra Jesuitas, ne molestentur privilegia civitatis. (Prot. 7. conv. Colosm. 104 et 121.) 15
1. *Novembri 1581.* Authenticum originale instrumentum stationis in bonis collegii Claudiopolitani Jegenye, Vásárhely, Inaktelke et Egres hac die peractae. (Gyfhvár.) 16
4. *Novembri 1581. Kolozsvár.* Decretum senatus civitatis Claudiopoli de variis rebus collegii Jesuitarum. (Erd. Muz. 1906: 182.) 17
26. *Ianuarii 1582. Roma.* Breve Gregorii XIII. in originali, in quo concedit Provinciali Societatis Jesu per Transylvaniam, ut possit cum quocumque ex Transylvania dispensare in interstitiis accipendorum sacrorum ordinum. (Gyfhvár. — Synops. Act. 118. — F. R. Tr. I. No. 70.) 18
5. *Februarii 1582. Roma.* Gregorius XIII. collegium Societatis Jesu Colosvariense simili, iam aliis collegiis pontificiis data, libertate et exemptione donat, immo insuper annum subsidium 1200 scutorum auri ad quindecim annos ex Camera pontificia solvendum assignat. (E. F. L. — F. R. Tr. I. No. 71.) 19
14. *Iulii 1582. (Grodnō.)* Litterae missiles Stephani regis ad Patrem Ioannem Leleszi de moribus nepotis emendandis. (Gyfhvár.) 20
24. *Augusti 1582.* Litterae missiles Stephani regis ad Patrem Ioannem Leleszi de filiis nobilium in consortium nepotis assumendis. (Gyfhvár.) 21

8. *Ianuarii 1583. Niepolomice.* Privilegium Stephani regis Claudiopolitanis et Albensibus datum, ut permittant Patribus Societatis Jesu visitare et in spiritu iuvare incarceratedos et hospitatenses, quan-  
docunque requisiti fuerint. (Bpest. — Roma 392.) 22
27. *Ianuarii 1583. Niepolomice.* Litterae patentes Stephani regis, quibus testificatur se Albae Iuliae Societati Jesu in perpetuum tradidisse ecclesiam Sancti Stephani, una cum monasterio adiuncto, quod olim fuerat Dominicanorum; item hortum extra muros, ex adverso portae Sancti Georgii situm, alias ad praeposituram Al-  
bensem pertinentem. (Roma 398. — F. R. Tr. I. No. 80.) 23
28. *Ianuarii 1583. Niepolomice.* Privilegium Stephani regis, quo mediante concedit, ut collegium Colosvariense possit quotan-  
nis pro sua necessitate 4 vasa vini Ungarici et exotici (tanquam suavioris et ad tuendam sanitatem magis accommodati) undecumque invehere, non obstante civitatis Colosvariensis privilegio. Caetera confirmat, quae eius frater, Christophorus Báthori superius conces-  
sit et decrevit, addens ad vina Monostoriensia etiam vina de Bács;  
vult tamen, ut ea ad proprium usum, non ad questum invehantur.  
(Roma 392. — F. R. Tr. I. No. 81.) 24
28. *Ianuarii 1583. Niepolomice.* Instrumentum originale dona-  
tionalium Stephani regis, in quo piscinam Barátoktava vocatam et  
olim ad claustrum Ordinis Minoris Claudiopoli pertinentem, in  
territorio Alsó- et Felső-Suk existentem, collegio Societatis Jesu  
Claudiopolitano in perpetuum donat. (Gyfhvár. — F. R. Tr. I.  
No. 82.) 25
28. *Ianuarii 1583. Niepolomice.* Mandatum Stephani regis super  
certis libertatibus catholicorum in Transylvania et partibus regni  
Hungariae decentium. (F. R. Tr. I. No. 83.) 26
29. *Ianuarii 1583. Niepolomice.* Commissio Stephani regis ad  
civitatem Kolosvár data, ut piscinam Barátoktava Patribus Socie-  
tatis Jesu tradant, ibi pro illis molinam aedificant, locum ad coe-  
meterium aptum designent, cum cruce, campanis aliisque rebus  
necessariis instruant; fines possessionum Patrum Jesuitarum ex in-  
strumentis antiquis stabiliant, tandem pecuniam pro collegio a  
Christophoro Báthori erigi coepto et confiendo necessariam se  
suppleturum promittit. (Roma 393.) 27
5. *Februarii 1583. Roma.* Extractum ex bulla assignationis  
pensionis 1200 scutorum auri pro seminario Claudiopolitano per  
Gregorium XIII. (Erd. Muz. 1906 : 368—9.) 28
12. *Februarii 1583. Alba Iulia.* Mandatum statutorium Sigis-  
mundi principis horti extra muros ex adverso portae Sancti Georgii  
civitatis Albensis siti, ex collatione Stephani regis Patribus Socie-  
tatis Jesu Albensibus donati. — Statutio facta est 16. Martii 1583  
sine contradictione. (Beke I. 36. — Beke II. No. 893.) 29
13. *Februarii 1583. Niepolomice.* Instrumentum originale, quo  
Stephanus rex Poloniae fundat seminarium Claudiopoli sub cura  
Patrum Societatis Jesu educandorum, attribuens et annuos 1000  
aureos ex censu cathedralico pastorum sive plebanorum Saxonum.  
(Gyfhvár. — F. R. Tr. I. No. 85.) 30

18. *Martii 1583. Claudiopolis.* Ratio seminarii pontificii et regii administrandi a R. P. Antonio Possevino praescripta. (F. R. Tr. I. No. 89.) 31
23. *Aprilis 1583. Alba Iulia.* Commissionales Sigismundi principis, quibus mediantibus pro intentione Patribus Albensibus 100 florenos in singulos deputat, praeter victum et oleum. (Kvár. — F. R. Tr. II. No. 119.) 32
19. *Maii 1583. Alba Iulia.* Privilegiales Sigismundi principis, continentes donationem horti ante portam Sancti Georgii siti, Patribus Albensibus dati; cum mentione donationis, quae Stephanus rex Poloniae iisdem Patribus ecclesiam Sancti Stephani una cum monasterio olim Patrum Dominicanorum [27. Ianuarii 1583] donabat. (Kvár. — E. F. L.) 33
1. *Augusti 1583. Roma.* Gregorius XIII. petente Patre Claudio Aquaviva Praeposito Generalis S. J. confirmat applicationem a Stephano rege Augustissimo factam collegio Societatis Jesu in civitate Alba Iulia, ecclesiae Sancti Stephani cum regulari domo contigua, a fratribus Ordinis Praedicatorum prius desertae, item unius horti prope et extra civitatem ex adverso portae Sancti Georgii, olim, dum christiani reges legitimo iure regnum Hungariae possidebant, ad praeposituram Albensem pertinentem, ad studiosorum recreationem. Supressa essentia regulari, dictam ecclesiam dismembrat a praepositura et appropriat Societati. (Synops. Act. 130. — F. R. Tr. I. No. 95.) 34
13. *Augusti 1583. Roma.* Gregorius XIII. petente Patre Claudio Aquaviva collegio a Stephano rege in civitate Colosvariensi erector, applicat piscinam totalem Barátoktava\*, nunc in territorio possessionum Alsó- et Felső Suk\*\* etiam nunc comitatus Colosiensis, olim pertinentem ad domum regularem Ordinis fratrum Minorum eiusdem civitatis, post Turcarum incursionem desolatam. (Gyfhvár. — Synops. Act. 130. — F. R. Tr. I. No. 96.) \*Mendose: Barathole Thabba. \*\*Felscosulz. 35
- II. *Septembri 1583. Cracovia.* Commissio Stephani regis de honorifice excipiendis Patre Rectore collegii Societatis Jesu Claudiopolitani et sociis eius in Transylvaniam profecturis. (Beke I. 52. — F. R. Tr. I. No. 97.) 36
15. *Octobris 1583. Geneva.* Litterae dedicatoriae Petri Lascovii Pannonii in fronte operis sui Theoramatum de puro et expresso Dei verbo, tam scriptis quam viva voce tradito et pari utriusque authoritate nuper in gymnasio Claudio Jesuipolitano in Transylvania a novis Societatis Judae monachis propositorum examen et refutatio intitulati et Genevae 1584 excussi. (R. M. K. III. No. 729.) 37
8. *Ianuarii 1584. Alba Iulia.* Patentes authenticae Sigismundi principis datae Patri Valentino Lado S. J. ut ad sedem Siculicalem Csik profecturus assistantiam habeat et tam de curribus, quam aliis ad victum pro se et suis necessariis provisionem experiatur. (Gyfhvár.) 38
4. *Februarii 1584. Roma.* Litterae responsoriae Andreae Báthori de Somlio, regis Stephani Poloniae nepotis, ad epistolam

Caroli Cardinalis Borromaei, archiepiscopi Mediolani de laudibus vitae ecclesiasticae; Romae 1588 excussae. (R. M. K. III. No. 774. — Timon 178—181.)	39
25. <i>Iulii 1584. Alba Iulia.</i> Instrumentum Sigismundi principis et Stephani regis Poloniae, ne in iurisdictionem catholicorum di- versae in Transylvania religionis homines se intromittant. (Gyfhvár. — Cfr. No. 26.)	40
5. <i>Decembris 1584. Cracovia.</i> De morte R <sup>mi</sup> episcopi Varadi- ensis, Gregorii Bornemisszae in Jászó, cuius nova hoc die hora tertia pomeridiana allata est. (Cam. Scep. Liber exped. No. 1464. fol. 239.)	41
12. <i>Decembris 1584. Cassovia.</i> De conscriptione rerum et bo- norum R <sup>mi</sup> quondam Gregorii Bornemisszae episcopo Varadiensis. (Cam. Scep. Liber exped. No. 1464. fol. 240.)	42
29. <i>Decembris 1584. Gerend.</i> Litterae Christiani Franken ex- Jesuitae ad Ioannem Gerendi. (Litt. orig. 150.)	43
30. <i>Decembris 1584.</i> Epistola Francisci Wesselényi ad Patrem Ioannem Leleszi de libro quodam edendo. (Gyfhvár.)	44
1584. Attestatio de limitibus possessionis Szélesutalja.* (Gyfh- vár.) * Mendose: Sziles Ursfele.	45
1584. Litterae Sigismundi principis, ne mulcentur, qui in col- legio Claudiopolitano laborant. (Bpest.)	46
1584. Stephanus Olcsárdi vendidit collegio Claudiopolitano rusticum Balthasarem Zeles. (Bpest.)	47
27. <i>Martii 1585. Varadinum.</i> Litterae dedicatoriae Petri Berexasii, ecclesiae Varadiensis ministri, in fronte operis sui «Apologia pro ecclesiis reformatis, actis impiis synodi Sabari- ensi opposita» intitulati et Varadini 1585 excussi. (R. M. K. II. No. 189.)	48
3. <i>Aprilis 1585. Alba Iulia.</i> Instrumentum, quo Sigismundus princeps confirmat donationem domus providi Bartholomaei Oláh in suburbio Albensi pro Patribus collegii factam. (Kvár. — E. F. L.)	49
7. <i>Aprilis 1585. Alba Iulia.</i> Donatio Stephani regis super possessione Nagy-Kér comitatui Bihariensi ingremiata pro sacerdotibus Roman- Catholicis in ecclesia Sancti Aegidii Varadini ministrantibus, per defectum seminis Nicolai Telegdi facta. (Szittyay.)	50
21. Maii 1603. ( <i>Varadinum.</i> ) Fassio Georgii Pázmán super uno fundo aedificiis carente in civitate Varadiensi et vico Velencze sito in florenis Hungaricalibus 32 pro Patre Ioanne Aucupe S. J. et tota universitate Societatis Jesu, coram capituló Varadiensis celebrata. (Szittyay.)	300
9. Iunii 1603. ( <i>Claudiopoli</i> ) destruitur monasterium Jesuvitatum una cum altaribus caeterisque rebus ecclesiasticis. Vestes Jesuvitarum secantur particulatim seu de parte ad partes. (M. Tört. Tár VI. 261.)	301
(9. Iunii 1603.) Stephanus Szamosközi: Quomodo plebs Jesuitarum collegium Claudiopolitanum primum diripit, subinde evertit. Matthaeus Thoroczkai concione plebem exacuit. Plebs surenter Jesuitas invadit et aedificia demoliuntur. (Mon. Hung. Hist. Scriptores XXIX. 96—109.)	302
23. Iunii 1603. ( <i>Varadinum.</i> ) Fassio Michaelis Rácz super dimidietate unius fundi in vico Varadiensi Velencze vocato situati, in florenis Hungaricalibus 20 pro residentia Societatis Jesu Varadiensi, coram requisitoribus capitulo Varadiensis. (Szittyay.)	303
31. Iulii 1603. Donationales pagorum Vani et Határ domino Francisco Pribék. (Gyfvárv.)	304
15. Augusti 1603. <i>Cracovia.</i> P. Ioannes Argenta Viceprovincialis Transylvaniae Patri Generali Claudio Aquaviva: Delle insolenze delli heretici Ariani fatte nella chiesa et collegio di detti Padri (Jesuiti) in Claudiopoli di Transilvania, et come Iddio ha cominciato a castigarli. (Erd. Muz. 1906 : 379—386.)	305
2. Octobris 1603. <i>Marsina.</i> Mandatum Georgii Bastae ad se natum civitatis Kolozsvár, ut restituantur Jesuitis molendinum, horti, vineae et aliae res ad domum parochiale et ecclesiam pertinentes. (Jakab II. 416. — Mon. com. Trans. V. 236.)	306
19. Octobris 1603. Mandatum Caesareorum commissariorum de pendendis collegio et seminario Claudiopolitano iis omnibus, quae alias pendi solebant. (Gyfvárv.)	307
22. Octobris 1603. <i>Claudiopolis.</i> Conscriptio rerum universarum in collegio Societatis Jesu Claudiopolitano repartarum, dum nimirum eadem Societatis exesse iussa sit. (E. F. L.)	308
28. Octobris 1603. <i>Praga.</i> Mandatum Rudolphi II. honorabilibus Patribus collegii Societatis Jesu Sellensis datum, ut aliquos doctos catholicos sacerdotes in Transylvaniam transmittent. (An. Lit. anni 1604. pag. 477. — Kazy 75.)	309
1. Decembbris 1603. Oppignoratio possessionis Mákó a domino Bánffy. (Gyfvárv.)	310
27. Decembbris 1603. Fassio oppignorationis Mákó facta a domino Bánffy. (Gyfvárv.)	311
1603. Copia indulgentiarum plenarium missionibus Societatis Jesu concessarum. (Gyfvárv.)	312
1603. Oppignoratio possessionum Gorbó et Sárd a domino Szilágyi. (Gyfvárv.)	313

7. *Ianuarii 1604. Kaschan.* Bericht Iohanni Bocatii Richtern der Königlichen Stadt Kaschau wie an diesem genannten Tage die grosse Kirche von der Kaiserlichen Commision mit Gewalt genommen wurde. (Ep. Carr. 379—380.) 314
8. *Ianuarii 1604. Cassovia.* P. Alphonsus Carrillius de recuperatione templi Cassoviensis. (Tört. Tár 1879:813—4. — Ep. Carr. 380—1.) 315
9. *Ianuarii 1604. Cassovia.* Inventarium templi Cassoviensis. (M. N. Muz.) Gleichzeitige deutsche Übersetzung des Inventars in Egyházművészeti Lapok 1883. — Inventarium bibliothecae ecclesiae Cassoviensis in Magyar Könyvszemle 1890: 23—28. 316
12. *Ianuarii 1604. Praga.* Recognitio a domino Iacobo Gerano rectore collegii Societatis Jesu Pragensis de receptis ab eo instrumentis pro collegiis in Transylvania. (Mon. com. Trans. V. 242.) 317
- (*Medio Ianuarii 1604.*) Catholici Varadienses Patri Alphonso Carrillio S. J. Provinciali Austriae. (Acta S. J. irreg. fasc. 203. Hungarice.) 318
14. *Februarii 1604. Roma.* P. Claudius Aquaviva Georgio Bastae. (Ep. Bastae No. 1515.) 319
17. *Februarii 1604. Kolozsmonostor.* Fassio Petri Bánffy-Losonczi dominis Patribus Jesuitis de portione possessionariae suaे Máko vocata facta. (Prot. 15. conv. de Colosm. fol. 177. b.) 320
20. *Februarii 1604. Claudiopolis.* Mandatum generalis Bastae senatui civitatis Claudiopoli, ut restituat in manu R. P. Vice-Provinciali Petro Maiorio proventus et res mobiles elapsi anni per aediles civitatis a collegio Claudiopolitano in damnum et detrimentum ecclesiae manifestum occupatas. (Ep. Bastae No. 1520.) 321
17. *Martii 1604. Cassovia.* De clenodiis templi Cassoviensis inquirendis. (Cam. Scep. Liber exped. No. 1466 fol. 377.) 322
29. *Aprilis 1604. (Kolozsvár.) Catalogus librorum Petri Enyedi defuncti praedicatoris Unitariorum.* (Jakab II. 406.) 323
10. *Maii 1604. Kolozsvár.* Senatus civitatis Kolozsvár protestatur contra Patrem Argenta Viceprovincialem S. J., quod ex agris urbanis sub vinea Kőmál dicta habitis terras passuum 28, medio territorio 41, versus castellum Kolosmonostoriense 53 violenter occupasset ad summum civitatis detrimentum, qua de causa senatus Viceprovincialem ab agris inseminandis, frugibusve auferendis inhibet. (Jakab II. 368.) 324
19. *Maii 1604. Kolozsmonostor.* Protestatio dominorum Colosvariensium contra dominos Jesuitas ad facies quarundam terrarum arabilium . . . in planitia, . . . sub promontorio Kőmál habitarum adiacentium pro parte eiusdem civitatis praetendarum. (Prot. 15. conv. de Colosm. fol. 152.) 325
24. *Maii 1604. Roma.* Litterae Patris Claudii Aquavivae de privilegiis. (Gyfhvár.) 326
25. *Maii 1604.* Transactio inter Patrem Ioannem Aucupem Jesuitam Varadiensem et Ioannem Kovács Patrum Societatis Jesu Varadiensium colonum Nagy-Kériensem celebrata, tenore cuius

- admittitur eidem colono, ut usque dum habitatio in Nagy-Kér tuta non fuerit, Varadini residere possit, ita, ut quotannis 10 fl. Hungari-cales praedictis Patribus solvere teneatur. (Szittyay.) 327
- 2. Iunii 1604.* (*Varadinum.*) Fassio Blasii Dienes coloni Patrum Societatis Jesu Varadiensium ex Gyapju Varadinum migrantis, coram requisitoribus capituli Varadiensis celebrata, qua mediante idem Blasius Dienes se obligat ad Gyapju, aut si ibi locus non esset, ad Nagy-Kér, possessiones eorundem Patrum Societatis Jesu redditurum, indeque eisdem servitia praestiturum. (Szittyay.) 328
- Fine Iunii 1604.* *Claudiopolis.* P. Ioannes Argenta Vice-Provincialis Transylvaniae Patri Alphonso Carrillii. (Ep. Carr. No.313.) 329
- 5. Iulii 1604.* Caesareorum commissariorum confirmatio decimorum collegii Claudiopolitani. (Gyfhvár.) 330
- 14. Augusti 1604.* Fassio domini Nagy oppignorationis bonorum factae. (Gyfhvár.) 331
- 18. Augusti 1604.* Relatoria conventus B. M. V. de Colosmonostra de eo, quod Gasparus Nagy collegio Societatis Jesu Claudiopolitano in persona Patris Ioanni Argento Viceprovinciali, portiones suae in possessionibus Burjános, Buda, Kötelesmező et Diós in et pro fl. 100 impignoraverit. (Beke III. No. 518.) 332
- 28. Augusti 1604.* *Roma.* Bulla Clementis VIII variorum privilegiorum Patribus in Transylvania datorum. (Gyfhvár. — Arch. Vat.) 333
- 22. Octobris 1604.* *Torda.* Testimonium Martini Tordai de 600 salibus Vizaknensisibus Patribus Albensisibus S. J. datis. (Kvár. — E. F. L.) 334
- 25. Octobris 1604.* *Claudiopolis.* Litterae dominorum commissariorum Rudolphi II pro decima Baromlakiensi collegii Albensis. (Kvár. — E. F. L.) 335
- 1604.* Inventarium rerum templi Claudiopolitani et Monostoriensis apud dominum Orla\* depositarum. (Gyfhvár.) \* Recte: Nicolaus Orlle officialis Camerae Scepsiensis Cassoviae. 336
- 1604.* Traditio bonorum Sophiae Szilágyi in Diós, Burjános, Buda et Kertefüző. (Gyfhvár.) 337
- 1604.* Fassio, quod integra solutio pro Mákö praestita sit domino Bánffy a collegio Claudiopolitano. (Gyfhvár.) 338
- 1604.* Catalogus rerum, quas dominus Georgius Pázmán depositus sub cura domini Bastae et illinc traditae sunt Cassoviae Patri Zender S. J., qui eas apud dominum Orla depositus. (Gyfhvár.) 339
- 1604.* Ratio expensarum civitatis Kolozsvár ad usum et necessitates templi maioris Societatis Jesu. (Jakab II. 415—6.) 340
- 8. Ianuarii 1605.* *Kolozsvár.* Decretum senatus civitatis Kolozsvár super eo, quod nullis alienis, nisi inarticulatarum quatuor religionum praedicatoribus in civitate praedicare liceret, pro praedicatoribus vero Hungaris atque Saxonibus, quibus commissarii Caesarei facultatem fungendi concessissent, locus ad praedicandum aptus designatus esset. (Jakab II. 417.) 341
- 1. Februarii 1605.* *Posonium.* Epistola Nicolai Istvánffii ad P. Petrum Pázmány de ortu et progressu haeresis in Hungaria. (Coll. Prayana XXVIII. 129—130.) 342

6. Aprilis 1605. Szerencs. Occupatio templi maioris seu cathedralis Albensis hucusque Patribus servati a Stephano Bocskai principe facta. (Gyfhvár. — Veszely I. 375—6.) 343
25. Aprilis 1605. Admonitio domini [Ladislai] Gyulaffi generalis de obedientia praestanda Patribus in Monostor. (Gyfhvár.) 344
7. Iulii 1605. Cassovia. Litterae principis Bocskai, quibus iubentur Patres Claudiopolitani templum et domum parochiale cedere haereticis. (Gyfhvár. — Lege pag. 129.) 345
16. Iulii 1605. Kolozsvár. Decretum senatus civitatis Kolozsvár super eo, quod intellecto proposito P. Argentae Viceprovincialis, qui Patrem Káldi secutus inibi apparuit, senatus reprobat eius defensionem, quod Patres Jesuitae iusto titulo sua bona possideant; et cum congregatio civitatis generalis e contra abunde et rite probasset Patres potentia tantum mediante bona sua possidere, centumviri maiore parte suffragiorum decernebant, ut Patres Jesuitae duas ecclesias civitati restituerent, domo autem parochiali feria secunda proxime ventura cum omnibus supellectilibus exirent; sin vero decreto hoc non starent et civitate exire nollent, tutela civitatis privarentur. (Jakab II. 443—4.) 346
19. Iulii 1605. Jesuitae valedicunt Claudiopolitanis. (M. Tört. Tár VI. 261.) 347
21. Iulii 1605. Kolozsvár. Centumviri civitatis proponunt, ut cum Patres Jesuitae urbe iam cessissent domusque parochialis vacua esset, iudex cum senatu traderet domum hanc cum omnibus pertinentiis ad manus plebani Paulo Göcs. (Jakab II. 444.) 348
27. Iulii 1605. Testimonium duorum de Patribus Claudiopolitanis iussis inde exesse. (Gyfhvár.) 349
21. Augusti 1605. Graecii. Professus est P. Georgius Forró S. J. quatuor vota. Eadem profitebantur etiam sequentes Patres Hungari Societatis Jesu: P. Ambrosius Varadeus Parisiis 3. Novembris 1591; P. Stephanus Arator Viennae 9. Februarii 1592; P. Leonardus Cassovitus Turóci 24. Februarii 1597 et P. Alexander Dobokai Selliae 2. Februarii 1603. (Bibl. Vitt. Em. Roma. Fondo Gesuitico vol. 3774/1645.) 350
14. Septembribus 1605. Medgyes. Defensio Societatis Jesu adversus Matthaei Toroczkai\* Arianorum, et Michaelis Tasnádi Calvinistarum superintendentium accusationes. Habita a P. Ioanne Argento, eiusdem Societatis in Transylvania Vice-Provinciali, apud ipsos Transylvanorum Ordines Medgiesini comitiis generalibus congregatos, die 14. Septembribus anni 1605, dum Stephanus Bocskai rerum potitus Societatem publico e Transylvania decreto proscribere adniteretur. (R. M. K. II. No. 328. — Gyfhvár.) \* Mendose: Turoscai. 351
14. Septembribus 1605. Defensio Patrum Societatis Jesu contra accusationes Arianorum et Calvinistarum facta in comitiis. (Gyfhvár.) 352
7. Novembris 1605. Conventio collegii Claudiopolitani cum domino Szilágyi de bonis emptis. (Gyfhvár.) 353
1605. Copia libelli supplicis principi Stephano Bocskai in

comitiis oblati pro habitatione in urbe Patribus concedenda. (Gyfhvár.)	354
1605. Rationes oeconomiae bonorum. (Gyfhvár.)	355
(1605.) Conventio cuin domino Nicolao Kálmánchensi in Benedek. (Kvár.)	356
14. Ianuarii 1606. <i>Kolozsmonostor.</i> Retractatio, inhibitio et revocatio dominorum Jesuitarum per Fratrem Casparem Albensem, provisori bonorum et iurium possessionariarum Reverendorum Patrum Societatis Jesu in Transylvania. (Prot. 15. conv. de Colosm. fol. 146.)	357
7. Martii 1606. <i>Alba Iulia.</i> Ordinatio Sigismundi Rákóczi, gubernatoris principi Bocskai, ne parochi Ariani et Sabbatarii congregationem tenere audeant. (Mon. com. Trans. V. 401.)	358
14. Martii 1606. <i>Alba Iulia.</i> Catalogus eorum, quibus rector Albensis* vineas in Benedek elocavit. (Kvár. — E. F. L.) * P. Ioannes Argenta Vice-Provincialis.	359
16. Junii 1606. <i>Cassovia.</i> Apologia et protestatio legatorum et ecclesiarum Hungaricarum, adversus iniquissimas Monacho-Iesuitarum criminaciones, quibus Serenissimum dominum, dominum Stephanum Dei gratia Hungariae et Transylvaniae principem, gentemque Hungaricam in odia et contemptum potentissimorum Germaniae principum inducere et adversus eos, more Iesuitico, concitare volentes, Arianismi insinuare non sunt veriti. Bartphae. Excudebat Iacobus Klös. Anno 1608. (Sieb. Archiv XIX. 614—6.)	360
19. Septembbris 1606. <i>Cassovia.</i> Patentes principis Bocskai pro Patribus Cassoviam evocatis. (Gyfhvár.)	361
20. Septembbris 1606. <i>Cassovia.</i> Mandatum principis Bocskai, ut Patres omnes se Monostorium conferant. (Gyfhvár. — Veszely I. 376—7. — Lege pag. 159.)	362
6. Novembbris 1606. <i>Cassovia.</i> Salvus conductus principis Bocskai pro Patre Valentino Lado et sociis ex arce Varadiensi exeuntibus. (Szittyay. — Acta Jes. Cam.)	363
9. Novembbris 1606. ( <i>Claudiopolis.</i> ) Copia catalogi librorum, quos P. Rector Claudiopolitanus reliquit apud dominum Ötvös. (Gyfhvár.)	364
12. Novembbris 1606. <i>Claudiopolis.</i> Retractatio fassionis et contractus Reverendorum Patrum Jesuitarum Claudiopolitanorum cum dominis Gregoriis Bornemisza de Kolozsvár factae et hoc die cassata per Patrem Rectorem Ioannem Argentam tempore exitus eorum ex hoc regno, videlicet ante portam Monostoriensem. (Prot. 16. conv. de Colosm. fol. 127. b. Fragmentuose.)	365
1606. Patentes Patris Vice-Provinciali datae pro securitate eundi Cassoviam. (Gyfhvár.)	366
20. Februarii 1607. Copia informationis datae consiliariis Caesareis de proscriptione Patrum Societatis Jesu. (Gyfhvár.)	367
18. Maii 1607. <i>Alba Iulia.</i> Confirmatio R <sup>di</sup> Martini Kis-Torjáni sacerdotis catholici possessionis Lemhin in officio suo archidiaconatus a publico universorum sacerdotum ac ministrorum catholiconrum ecclesiarum ac magistratum saecularium in tribus sedibus	

- Siculicalibus Sепsi, Kézdi et Orbai existentium calculo et suffragio in archidiaconum earundem ecclesiarum, Romanam religionem profitentium electum et designatum, a principe Sigismundo Rákóczi facta. (Arch. cap. Alb. Liber Reg. IV. fol. 39. — Veszely I. 308—9.) 368  
 (27. Maii 1607. Praga.) Copia litterarum Matthiae archiducis ad principem Transylvaniae et regnicolas in causa Societatis Jesu. (Gyfhvár. — Cfr. No. 367.) 369
15. Iunii 1607. Claudiopolis. Oratio de\* restituenda Societate Jesu in Transylvania, habita a Ioanne Argento, eiusdem Societatis in Transylvania Vice-Provinciali apud Transylvanorum Ordines Claudiopoli comitiis generalibus congregatos. (R. M. K. II. No. 329. — Gyfhvár.) \* Mendose: Actio pro. 370
20. Iunii 1607. Claudiopolis. Proceres et magnates ac universitas regnicularum trium nationum Transylvaniensium et partium regni Hungariae Matthiae archiduci Austriae de proscriptione Jesuitarum ex Transylvania et de libero exercitio catholicae religionis Romanae. (Gyfhvár. — E. F. L. — Veszely I. 236—8. — Mon. com. Trans. V. 522—3. — Cfr. No. 369.) 371
24. Iunii 1607. Claudiopolis. Litterae responsivae principis Sigismundi Rákóczi archiduci Matthiae datae, ad mandatum eiusdem de restituendis Patribus Jesuiticis. (Mon. com. Trans. V. 525.) 372
26. Iunii 1607. Claudiopolis. Testimonium Sigismundi Rákóczi principis de integritate Patrum Societatis Jesu. (Gyfhvár. — Veszely I. 238. — Jakab II. 207—8.) 373
1607. Testimonium de contradictione facta coram principe Sigismundo Rákóczi ob Societatem Jesu proscriptam. (Gyfhvár.) 374
1607. Copia scripti famosi contra catholicos. (Gyfhvár.) 375
1607. Paria patentum pro Patre Georgio Forró, ut possit manere in Transylvania. (Gyfhvár.) 376
1607. Paria supplicationis datae principi Sigismundo Rákóczi et regnicalis pro Societate Jesu. (Gyfhvár.) 377
1607. Memoriale ad regnicalas in causa Societatis Jesu. (Gyfhvár.) 378
17. Martii 1609. Székelyhid. P. Franciscus Daróczy Petro Pázmány de Patribus Jesuitis per Transylvaniam dispersos. (Frankl I. 15.) 379
20. Martii 1609. (Kolozsvár.) Princeps Gabriel Báthori reformati donat ecclesiam Óvariensem in Kolozsvár, cuius testudo tectumque anno 1600. contracta sunt. (Jakab II. 505.) 380
25. Martii 1610. Bistricium. Constitutiones quaedam Transylvanicae circa eliminationem Jesuitarum aliorumque ecclesiasticorum Romano-catholicae fidei addictorum, confiscationemque bonorum eorundem ac restitutionem fidei catholicae in ditionibus principis Transylvaniae, eidem principi pro confirmatione porrectae. (Acta publ. fasc. 24. No. 35. — Lege pag. 239.) 381
21. Novembris 1610. Neuhaus. P. Ioannes Fejér S. J. Transylvanus, Novaedomii decedit. (Schmidl II. 588. No. 72.) 382
1610. Statutum comitatus de Küküllő super eo, ut qui in negotio construendi templi, scholae aut coemeteri citatus fuerit, obligatus sit sine mora apparere. (Corpus Stat. I. 278.) 383

*29. Augusti 1611. Cibinium.* Decretum principis Gabrielis Báthori, cuius vigore exemptiones et libertates universorum vinearum in promontoriis possessionum Kolosmonostor et Szászfenes existentium habitarum, antea indulta, annullantur et singulae decimaeab inde provenire debentes Wolffgango Kamuthy eiusdemque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis donantur. (E. F. L.) 384

*18. Octobris 1611. Kolozsvár.* Princeps Gabriel Báthori renovat donationem suam reformatis Colosvariensibus anno 1609. factam, eosque in dominium ecclesiae Óváriensis introduci iubet. (Jakab II. 505.) 385

*20. Octobris 1611. Kolozsvár.* Proponuntur iura civium reformatae confessionis et officia civitatis civiumque aliarum confessionum occasione introductionis praedicatoris reformati, Lucae Traszki Maróthi, ad sensum edicti principis Gabrielis Báthori. (Jakab II. 505.) 386

*12. Ianuarii 1613. Roma.* Mandatum Pontificis, ut Viennae et Olomucii inter Pontificios alumnos duo sint Transylvani.\* (Gy-fhvár.) \* Catalogus alumnorum Hungarorum in collegio Olomucense (1586—1664) studentum vide Tört. Tár 1888: 196—208. 387

*10. Aprilis 1613. Cibinium.* Protectionale principis Gabrielis Báthori pro parte sacerdoti catholici in Udvarhely. (VeszelyI. 394.) 388

*26. Aprilis 1613. Vienna.* Mandatum Mathiae II. imperatoris, vigore cuius parocho Cassoviensi 200 floreni in parata, 100 cubuli tritici et 20 urnae vini pro intentione annua resolvuntur ex preventibus episcopatus Agriensis. (Cam. Scep. Ben. Mand. No. 29 anni 1613 Aprilis.) 389

*26. Iunii 1613. Tyrnavia.* Ioannes Telegdinus electus episcopus Varadiensis rogat Cameram Scepusiensem, ut ei declarat, unde redditibus susi frui valeat. (Cam. Scep. Repraes.) 390

\*

#### ABBREVIATIONES TITULORUM FONTIUM.

Acta eccl. irreg. = Acta ecclesiastica irregistrata. (Országos Levéltár, Budapest.)

Acta Jes. Cam. = Acta Jesuitica Cameralia. (Országos Levéltár, Budapest.)

Acta publ. = Acta publica. (Országos Levéltár, Budapest.)

Acta S. J. irreg. = Acta Societatis Jesu irregistrata. (Országos Levéltár, Budapest.)

Acta Trans. = Acta Transylvanica. (Országos Levéltár, Budapest.)

An. Lit. = Annae Litterae Societatis Jesu anni 1604. Duaci, 1618.

Arch. cap. Alb. = Archivum capituli Albensis. (Országos Levéltár, Budapest.)

Arch. Vat. = Archivum Secretum Vaticanum, Romae.

Bánffy-Itár. = Archivum comitum Bánffy. (In Musaeo Nationalis Transylvaniae, Kolozsvár.)

Beke I. = A gyulafehérvári káptalani levéltárnak czimjegyzéke. Készítette Beke Antal. Budapest, 1884.

Beke II. = Az erdélyi káptalan levéltára Gyulafehérvárt. Ismerteti Beke Antal. Budapest, 1890—96.

Beke III. = A kolosmonostori konvent levéltára. Ismerteti Beke Antal. Budapest, 1898.

- Ben. Mand. = Benigna Mandata archivi Camerae Scepsiensis. (Országos Levéltár, Budapest.)  
 Bibl. Vitt. Em. = Biblioteca Vittorio Emanuele, Roma. (Manoscritti.)  
 Bpest. = Inventarium Jesuiticum. (1579–86) In E. F. L. XXII. a. fasc. I. Lit. B. (Országos Levéltár, Budapest.)  
 Bruk. = Brukenthal'sches Museum in Nagyszeben. (Collectio Rosenthal.)  
 Cam. Scep. = Camera Scepsiensis. (Országos Levéltár, Budapest.)  
 Coll. Prayana = Collectio Prayana. (Bibliotheca Universitatis, Budapest.)  
 Corpus Stat. = Corpus Statutorum Hungariae municipalium. Tomus I. (Statuta et constitutiones municipiorum Transsylvaniae ab antiquissimis temporibus usque ad finem seculi XVIII.) Budapestini, 1885.  
 E. F. L. = Erdélyi Fiskális Levéltár. (Archivum Fiscalitatis Transylvaniae in Országos Levéltár, Budapest.) Acta non citata facile invenire possunt secundum eorum elenches sub No. 1435–1441 conservatum.)  
 Egy. kvtár. = Egyetemi könyvtár. (Bibliotheca Universitatis, Budapest.)  
 Ep. Bastae = Epistolae et acta Generalis Georgii Basta. (1597–1607)  
 Vol. I–II. Colligit et edidit Dr. Andreas Veress. Monumenta Hungariae Historica. Diplomataria. Vol. XXXIV et XXXVII. Budapest, 1909 et 1913.  
 Ep. Carr. = Epistolae et acta P. Alfonsi Carrillii S. J. (1591–1618)  
 Colligit et edidit Dr. Andreas Veress. Monumenta Hungariae Historica. Diplomataria. Vol. XXXII. Budapest, 1906.  
 Erd. Muz. = Erdélyi Muzeum (Kolozsvár) anni 1906: 342–386. (Veress Endre: Oklevéltár a kolozsvári Báthory-egyetem történetéhez. 1579–1603.)  
 Erd. T. Ad. = Erdélyi Történelmi Adatok. Szerkeszti és kiadja Gróf Mikó Imre. Vol. I–III. Kolozsvár, 1855–58. Vol. IV. Szerkeszti Szabó Károly. Kolozsvár, 1862.  
 F. R. Tr. = Fontes Rerum Transylvanicarum. Vol. I–II. (1571–1588)  
 Collegit et edidit Dr. Andreas Veress. Budapest, 1911 et 1913.  
 Fraknói = Oklevéltár a magyar királyi kegyuri jog történetéhez. Közli Fraknói Vilmos. Budapest, 1899.  
 Frankl = Pázmány Péter levelezése. Vol. I. (1605–25) Közzéteszi Frankl Vilmos. Monumenta Hungariae Historica. Diplomataria. Vol. XIX. Budapest, 1873.  
 Gyfhvár = Scripta existentia in Archivo procuratoriae provinciae Austriae Societatis Jesu spectantia ad Collegium Claudiopolitanum eiusdem Societatis. 1579–1652. (In archivio episcopatus Albensis Transylvaniae in Gyulafehérvár.)  
 Jakab = Oklevéltár Kolozsvár történetéhez. Összegyűjtötte és szerkesztette Jakab Elek. II. kötet. Budapest, 1888.  
 Kazy = Historia universitatis Tyrnaviensis Societatis Jesu. Authore Francisco Kazy Soc. Jesu. Tyrnaviae, 1737.  
 Keresztry = Compendiaria descriptio fundationis ac vicissitudinum episcopatus et capituli Magno-Varadinensis. Authore Josepho Aloysio Keresztry. Vol. I–II. M. Varadini, 1806.  
 Kvár = Collegii Albensis in Transylvania paria diplomatis, quod habetur in archivio collegii Viennensis 20. Februarii 1635 descripta. (Elenchus eorum in quoddam volumine »Chartophilaceum« intitulatum, in archivio Musaei Nationalis in Kolozsvár.)  
 Liber exped. = Liber expeditionum archivi Camerae Scepsiensis. (Országos Levéltár, Budapest.)  
 Liber reg. = Liber regius Sigismundi Báthori, in archivio capituli Albensis. (Országos Levéltár, Budapest.)  
 Litt. orig. = Litterae et epistolae originales. (Bibliotheca Universitatis, Budapest.)  
 M. Lev. Tár = Magyar Leveles Tár. Vol. I–II. Budapest, 1861 et 1879.  
 M. N. Muz. = Magyar Nemzeti Muzeum. (Archivum Musaei Nationalis Hungaricae in Budapest.) Törzsanyag.  
 M. Tört. Tár = Magyar Történelmi Tár. Vol. VI. Pest, 1859.  
 Missiles = Litterae missivae. (Országos Levéltár, Budapest.)  
 Mon. com. Trans. = Monumenta comititalia regni Transylvaniae. Edidit Alexander Szilágyi. Vol. I–VI. (1540–1614) Budapest, 1875–1880.

Mon. Hung. Hist. == Monumenta Hungariae Historica. Editio Academiae Scientiarum Hungaricae, Budapest.

Mon. Vat. Hung. II/3 == Relationes nuntiorum Apostolicorum in Transylvaniam missorum a Clemente VIII. (1592—1600) Colligit et edidit Dr. Andreas Veress. Monumenta Vaticana historiam regni Hungariae illustrantia. Series secunda, tomus tertius. Budapest, 1909. In 4-to XXXVI et 487. (Continens 347. litteras et acta.)

Mscr. Mus. Nat. Hung. == Manuscriptum Musaei Nationalis Hungaricae in Budapest. Quart. Lat. 1280 vol. 11. (In bibliotheca Musaei.)

Nachlese == Nachlese auf dem Felde der ungarischen und siebenbürgischen Geschichte. Von A(nton) K(urz) Kronstadt, 1840.

Nunt. Ber. == Nuntiaturberichte aus Deutschland. Vierte Abteilung Band I. (1603—1606) Im Auftrage des K. Preussischen Historischen Instituts in Rom. Berlin, 1911.

O. Ltár == Országos Levéltár. (Archivum regni Hungariae.) Budapest.

Ortus et progressus == Ortus et progressus collegii academicici Societatis Jesu Claudiopolitani ab anno 1579. Claudiopolis, 1736.

Pawinski == Akta metryki koronnéj co ważniejsze z czasów Stefana Batorego. (1576—1586) Zbral i wydal Adolf Pawinski. Warszawa, 1882.

Perger == Bévezetés a diplomatiikába vagy is az oklevél esméret tudományába, melyet . . . kiadott Perger János. Pest, 1821.

Prot. conv. Colosm. == Protocollum conventus B. M. V. de Colosmonasteria. In archivo conventus Colosmonostoriensis. (Országos Levéltár, Budapest.)

Prot. Szemle == Protestáns Szemle. (Budapest.)

R. M. K. == Régi Magyar Könyvtár. Irtा Szabó Károly. I—IV. Budapest, 1879—1898.

Repraes. == Repraesentationes Camerae Scepsiensis. (Országos Levéltár, Budapest.)

Roma == Manuscriptum Bibliothecae Vittorio Emmanuel Fondo Gesuitico 3281/1152. (Roma.)

Rumy == Monumenta Hungarica azaz Magyar emlékezetes irások. Kiadta Rumy Károly György. Vol. I—III. Pest, 1816—17.

Schmidl == Historiae Societatis Jesu provinciae Bohemiae pars I—IV. (Volumina 5.) Authore Joanne Schmidl Societatis ejusdem sacerdote. Pragae, 1747—60.

Sieb. Archiv == Archiv des Vereines für Siebenbürgische Landeskunde. Neue Folge Band XIX. Hermannstadt, 1884.

Synops. Act. == Synopsis Actarum S. Sedis in causa Societatis Jesu. (1540—1605) Florentiae, 1887.

Szam. IV. == Szamosközy István történeti maradványai. Kiadta Szilágyi Sándor. Monumenta Hungariae Historica. Scriptores. Vol. XXX. Budapest, 1880.

Szegedy == Decreta et vitae regum Ungariae, qui Transylvaniam possiderunt. Authore Ioanne Szegedy. I—II. Claudiopolis, 1744.

Szeredai Antonius: Notitia veteris et novi capituli ecclesiae Albensis Transilvaniae. Albae Carolinae, 1791.

Szeredai Antonius: Series antiquorum et recentiorum episcoporum Transilvaniae. A(lbae) Carolinae, 1790.

Szittyay == Elenchus litterarum in archivo residentiae aboliti Ordinis Societatis Jesu Magno-Varadini repertarum, partim ipsam residentiam et Patres sublatae Societatis, partim vero ecclesiam Divi Aegidii, eidem residentiae iunctam concernentium. (In collectione P. Dionysii Szittyay S. J. in Budapest.)

Timon == Purpura Pannonica. [Authore Samuele Timon Soc. Jesu.] Cassoviae, 1745.

Tört. Tár == Történelmi Tár. (Budapest.)

Veszely == Erdélyi egyháztörténelmi adatok. Szerkeszti és kiadja Veszely Károly. I. kötet. Kolozsvár, 1860.

Wien == Hofbibliothek in Wien. Handschriften-Band 246. (Abschrift der Regesten des nicht mehr existierenden Bande V. der Hevenessy-Sammlung in Budapest.)

## ADNOTATIONES.

1 Princeps Christophorus Báthory regnavit annis 1576—81.

2 Sigismundus Báthory natus 1573.

3 Elisabetha Boeskay de Kismarja.

4 Princeps Christophorus Báthory mortuus est 27. Maii 1581 Albae Iuliae et humatur 1583 dominica Palmarum ibidem in templo Jesuitarum. (Gyulaffi Lestár történeti maradványai. — Budapest, 1894. — pag. 15.)

5 Sacerdos hic fuit P. Ioannes Leleszi.

6 Hoc templum anno 1376. fundatum et Sancto Stephano regi dicatum, sed successu temporum desolatum, fuit Patribus Societatis Jesu donatum.

7 Recte Stephanus Báthory, ab anno 1576. rex Poloniae.

8 Ecclesia cathedralis Albensis Transylvaniae.

9 Gregorius XIII. annis 1572—85.

10 Vide de rebus his relationem Patris Possevini dd. 6. Martii 1583. Albae Iuliae scriptam. (Fontes Rerum Transylvanicarum vol. I. 261.)

11 Haec audience 6. Martii 1583 facta est, cum vero ex relatione Patris Possevini pateat Sigismundum Báthory hoc ipso die decimum vitae annum complevisse, sequitur eundem die 6. Martii 1573 (et quidem in Nagyvárad) natum fuisse.

12 Iste fuit P. Valentinus Lado. Is exivit Claudiopoli, ubi ludimagistri Reformatorum tam negligentes fuerunt, ut discipuli eorum Jesuitarum scholas frequentarent; quare senatus (15. Ianuarii 1585) inspectores nominavit, qui magistros negligentes, si necesse fuisset, corrigerent. (Jakab II. 327.)

13 Maximus Milanesi. Vide eius relationem de dato 29. Aprilis 1586 in F. R. Tr. vol. II. 159—164.

14 Hoc fuit Szent-Mihályköve prope adiacens, cuius proventus collegio inserviebat gymnasioque, in quo princeps adolescens cum praenominatis iuvenibus nobilibus insimul educatus esse videtur. De studiis eius his temporibus certiores reddimur e litteris medici eiusdem aulici, Georgii Blandratae 1. Martii 1585 ad regem Stephanum datis: Ill<sup>m</sup>us princeps bene valet, de more que bonis litteris operam det et iam poeta factus est, versatilis ingenii, iudicijque sui vim exercendo: et certe nihil est, quod ab hoc praeclarae mentis principe exspectare non possimus. (Ex libro Vincentii Malacarne; Kurz: Magazin für Geschichte . . . Siebenbürgens II. — Kronstadt, 1846—122.)

15 P. Stephanus (Arator) Szántó cum socio.

16 Socius hic fuerat praedicatoris illustris Varadiensis, Petri de Beregszász — alias Berexasius — qui libris etiam editis catholicos oppugnaverat. Sed quantopere reformati Jesuitas reprobrassent, iudicare possumus ex verbis ipsius Beregszászii in opere eius »Apologia pro ecclesiis reformatis, actis impiis synodi Sabariensis opposita« inscripto et Varadini 1585 excusso, contentis: Ille Dei et hominum hostis . . . conscripsit . . . novas . . . nonnullas monachorum legiones, Jesuitarum videlicet numerosa agmina, quiquidem monachi Jesuitae, sic a Jesu per summam blasphemiam ipsi a se ipsis appellati, cum Iscariotae potius fuissent dicendi, homines hypocritae introrsum turpes, speciosi pelle decora, imperato ac tutum reliquis monachis, veluti seriphis quibusdam ranis silentio, disputando atque scribendo et viriliter satis in causa Papali tutanda se se gerendo, multorum animis imperitorum hanc spem ingenerare nostro tempore sunt visi, fore, ut aliquando Papatus intermortuus, maximo totius mundi applausu reviviscat. (Gr. Kemény József: Történelmi és irodalmi kalászatok — Pest, 1861 — 163.)

<sup>17</sup> P. Paulus Campanus Provincialis Poloniae, cui missio Transylvanica adiecta erat.

<sup>18</sup> Idest 31. Iulii.

<sup>19</sup> Vide nomina eorum in F. R. Tr. vol. II. 205—6.

<sup>20</sup> P. Claudius Aquaviva, ab anno 1581.

<sup>21</sup> Wolfgangus Kovacsóczia usque ad annum 1594.

<sup>22</sup> Comitia ineunte anno 1586. in Enyed, anno autem 1587. in Gyulafehérvár et Kolozsvár celebrabantur, sed in horum decretis nulla fit mentio rerum religionis, quas videlicet princeps tractari non permisit.

<sup>23</sup> Idest 12. Decembris 1586. Grodnae.

<sup>24</sup> Feria VI. hebdomadis maioris anno 1587. incidit in diem 27. Martii.

<sup>25</sup> Mendose: catholicis.

<sup>26</sup> Christophorus Keresztszuri praefectus arcis Kővár.

<sup>27</sup> Mendose: ipsius.

<sup>28</sup> Idest 20. Decembris 1588.

<sup>29</sup> Ladislaus Sombori arendator decimarum regni.

<sup>30</sup> Ioannes Ghicy; non Géczi.

<sup>31</sup> Idest 26. Decembris 1588.

<sup>32</sup> Gubernator Ioannes Giczi moritur Albae Iuliae, 7. Ianuarii, sepe litur 25. Ianuarii 1589. (Gyulaffi 16.)

<sup>33</sup> Aliam relationem de expulsione Patrum Jesuitarum vide: F. R. Tr. II. 254—263. Decreto electionis neglecto ineunte anno 1589. quidam Patrum Jesuitarum secreto Claudiopoli remanserat (aut venerat) et conciones habuerat; itaque pro repulsione eius senatus die 21. Ianuarii et 17. Aprilis iterum decreta condidit, sed princeps desiderium civitatis reiecit. (Jakab II. 332.)

<sup>34</sup> Stephanus Fejérkőy episcopus Nitriensis.

<sup>35</sup> Fuerunt hi: P. Alphonsus Carrillius natione Hispanus, cuius epistolas edidi in collectione Academiae Scientiarum Hungaricae »Monumenta Hungariae Historica« Diplomataria vol. XXXII. (Budapest, 1906.) et P. Gabriel Schemberger.

<sup>36</sup> Idest 6. Aprilis 1591.

<sup>37</sup> De conversione eius uberius legitur in historia domus Cracoviensis; in tomo nostro pag. 221.

<sup>38</sup> Francken anno 1582. ab ecclesia catholica discessit et ab anno 1584. in Transylvania vitam egit, quo ex Polonia confugerat et in collegio Unitarianum Colosvariensi adhuc anno 1590. paelectiones habuerat.

<sup>39</sup> Ex operibus Christiani Francken duo sunt cognita. (Trausch: Schriftsteller-Lexikon der Siebenbürgischen Deutschen I. — Kronstadt, 1868. — 337.)

<sup>40</sup> P. Gregorius Vásárhelyi vir quidem bonus, sed valde valetudinarius. (Ep. Carr. 9.)

<sup>41</sup> Recte: Bethlen.

<sup>42</sup> Comitia haec in Gyulafehérvár inchoata sunt et 20 dies duraverant.

<sup>43</sup> Mendose: felliciore.

<sup>44</sup> Acta rerum ab Amalteo in Transylvania gestarum edidimus in opere nostro »Erdélyországi pápai követek jelentései VIII. Kelemen idejéből« inscripto pag. 1—34. (Monumenta Vaticana Hungariae. Series II. Tomus 3. Budapest, 1909.)

<sup>45</sup> Fuit hic vir Paulus Gyulai secretarius, qui 10. Decembris 1592. occisus est. (Ep. Carr. 43.)

<sup>46</sup> Ioannes Gálffy mareschalcus, qui 8. Martii 1593. in arce Huszt erat trucidatus. (Gyulaffi Lestár följegyzései — Budapest, 1881. — pag. 27.)

<sup>47</sup> Quae cum ita essent, mortem non merebantur, sicut etiam Ordines Transylvaniae in comitiis 10. Iunii 1607. in Kolozsvár celebratis articulariter sanxerunt mortem illis iniuriose illatam fuisse. (Mon. com. Trans. V. 494. et 497.)

<sup>48</sup> P. Valentinus Lado in locum infirmi Vásárhelyi missus.

<sup>49</sup> De hac re P. Carrillius (22. Aprilis 1592.) ita scribebat: Patrem Valentinum Lado tanquam parochum introduxi Fenesini, magno consensu omnium, etiam haereticorum. (Ep. Carr. 31.)

<sup>50</sup> Fuit is P. Ioannes Mediomontanus. (Ep. Carr. 39.)

<sup>51</sup> Mendose hoc scribitur, quod ostendit Patrem Carrillium Italice scribentem litteram / vocabuli «Udvarhely» auribus non percepisse, nec recte describere potuisse; ideo vocabulum iam in ipso titulo relationis emendavimus.

- 52 Benedictus Mindszenti capitaneus arcis Udvarhely.
- 53 Relationem hanc annuam P. Carrillius 23. Ianuarii 1593. in Gyulafehérvár finivit et Patri Generali Romam misit.
- 54 Hi fuerunt P. Carrillius et P. Vásárhelyi.
- 55 Bellum Turicum ineunte vere 1593. inchoatum per integros annos quindecim duravit.
- 56 Hippolytus Aldobrandini — pontifex Clemens VIII — a 30. Ianuarii 1592.
- 57 Idest Patrem Carrillium, qui 30. Septembris 1593. Alba Iulia egresus est.
- 58 Rudolphus II. rex Hungariae ab anno 1576.
- 59 Ad illustrandum, quomodo et nonnunquam quam artificiose Romae relationes ex diversis provinciis acceptae breviori stylo comprehensae fuerint, in facsimile publicamus relationem de anno 1503 e paginis 230—1. voluminis Annuarum Litterarum Florentiis anno 1601. typis mandati.
- 60 Scriptor hic anonymous facta anni 1594. referens, qui non alterius quam Patris Carrillii nomine audit, parumper errat, cum Sigismundus Báthory foedus cum imperatore Rudolpho exeunte Ianuario 1595. Pragae icerit, sponsalitiae eiusdem promovente Carrillio hoc tempore sint celebrata.
- 61 P. Carrillius fine Ianuarii 1592. reversus est Roma.
- 62 Idem Pater 23. Februarii 1594. discessit Alba Iulia.
- 63 Comitia haec 12—22. Maii 1594. tenebantur Tordae.
- 64 Gravis est momenti haec assertio, cum decreta comitiorum in Gyulafehérvár celebratorum desiderentur.
- 65 Omissum: VI. idus Iulii, idest 4. Iulii 1594.
- 66 Decretatio haec ad nostras manus non advenit.
- 67 Hodie Bethlen in comitatu Szolnok-Doboka, sed ibi iam ne rudera quidem arcis existunt.
- 68 Gesta sunt haec fine Iulii 1594.
- 69 Comitia haec convocata fuerant ad 27. Augusti 1594 in Kolozsvár.
- 70 P. Carrillius ex captivitate Bethleniana ineunte Augusti 1594. fuit eliberatus et tam festinans profectus est, ut iam 10. Augusti Viennam attigerit.
- 71 Princeps Sigismundus Claudiopolim 8. Augusti 1594. ex arce Kővár reversus, ingressus est.
- 72 Ex his proceribus 30. Augusti 1594. in foro civitatis Kolozsvár trucidati sunt Alexander Kendi, Ioannes Iffiu, Gabriel Kendi, Ioannes Forró et Gregorius Litteratus de Szentegyed; 3. Septembris Ladislaus Szalánczi in castello Branyicska; 12. Septembris Franciscus Kendi et Ioannes Bornemisza in arce Gyalu; altero vero die Balthasar Báthory et Wolfgangus Kovacsóczki in arce Szamosujvár.
- 73 In originali mendose: Marderus.
- 74 Idest P. Alphonsus Carrillius.
- 75 Benedictus Mindszenti uxorque eius: Anna Bánffy.
- 76 Secundum librum excussum: extincto sacerdote, qui Fenesini residebat. (Idest Patre Marco Merkler.)
- 77 Vocabulum «16. Mai» est hic lapsus calami pro «16. Aprilis» qui error inde oriebatur, quod comitiis 2. Maii solutis, ex decretis eorundem princeps 4. Maii 1595 mandatum senatui civitatis Kolozsvár ediderat, ut Patri Carrillio collegium templumque cum monasterio omnibusque suis appartenientiis restituerent. (Ep. Carr. 500.)
- 78 Dua haec vocabula ex exemplari relationis typis vulgato desumpsimus.
- 79 Verum hoc sensum principis significat, cum occupatio ecclesiae duabus mensibus anteierit Jesuitas recipienti decreto comitiorum. Reoccupationem hanc dispensator Colosvariensis, Casparus Heltai libro rationum civitatis his verbis inscripsit: 2. Martii 1595. Gergely pap meyen Monostorról Fejérvárra occupálni és az nagy egyházban misét celebrálni vosárnapra; Tordáig 3 lóval vitte Hoec Mátyás den. 75.
- 80 Rectius ab anno 1556.
- 81 Definitive hoc factum est per procuratorem, vices enim principis absentis Stephanus Bocskay gesserat.
- 82 Hoc fuit Dominica Palmarum, idest 19. Martii 1595.
- 83 Reportata est haec Victoria exeunte Octobri 1595 sub arce Gyirgyó (Giurgiu) ad ripam sinistram Danubii.

<sup>84</sup> Siculus quidem P. Valentinus Lado.

<sup>85</sup> Permuntas relationes de rebus hoc bello gestis publici iuris fecimus in opere nostro citato, in III. volumine seriei II. Monumentorum Vaticanae Hungariae.

<sup>86</sup> Bellum hoc iam vere huius anni 1595. celeberrimus principis capitaneus, Georgius Borbely duxit, recuperans a Turcis arces Fácset, Eperjes, Solymos, Lippa, Csanád, Arad et Világos.

<sup>87</sup> Quae hic de rebus maioris momenti annorum 1594. et 1595. e relationibus manuscriptis ineditis publicavimus, in Annuis Litteris Societatis Jesu annorum 1594 et 1595 (Neapoli, 1604.) pag. 419—426. per compendium leguntur.

<sup>88</sup> Idest 14. Aprilis 1596.

<sup>89</sup> Nempe 7. Aprilis 1596.

<sup>90</sup> Intelliguntur milliaribus Italicis.

<sup>91</sup> In libro mendose: hora.

<sup>92</sup> Mortis huius equitis Scotorum, in platea Monostoriensi in Kolozsvár subitae, mentionem facit etiam Szamosközi, vol. IV. 56.

<sup>93</sup> In manuscripto: Serenissima.

<sup>94</sup> Recte: cladem ad pagum Mezőkeresztes (prope Agriam) quae fuit 26. Octobris 1596.

<sup>95</sup> Alineam hanc pulcherrimam ex Annuis Litteris Societatis Jesu anni 1597 (Neapoli, 1607.) pag. 128. desumpsi.

<sup>96</sup> Demetrius Naprági electus episcopus Transylvaniae nominatus fuit a principe Sigismundo Báthory 1. Maii 1597.

<sup>97</sup> Mortuus est rex S. Ladislaus 29. Iunii 1095.

<sup>98</sup> Indicta fuerunt haec comitia ad diem 27. Aprilis 1597.

<sup>99</sup> Extractum huius relationis vide in Annuis Litteris anni 1597. (Neapoli, 1607.) pag. 128—137.

<sup>100</sup> Turci Varadinum die 3. Octobris 1598. oppugnare coeperunt. Arcem Meinhardus Rhedern Silesius, item duo Hungari capitanei: Paulus Nyári et Georgius Király defendebant. Oppugnatio quatuor tantum hebdomadas duravit, cum bassa Mehemet Satardsi die 3. Novembris re imperfecta discesserit. (Szam. IV. 83.)

<sup>101</sup> Cives Varadienses 27. Aprilis 1598. Jesuitas aggressi templumque eorum ingressi sunt.

<sup>102</sup> Arx haec Braila (Ibrail) fuit.

<sup>103</sup> Mendose: Borosterum, Ternuram.

<sup>104</sup> Hoc aestate anni 1598. factum est et ad templum restaurandum principissa Maria Christierna pro Patribus sumptus atque materiam suppedavit.

<sup>105</sup> In libro mendose: conversis.

<sup>106</sup> Stephanus Szuhay episcopus et Nicolaus Istvánfi propalatinus Hungariae.

<sup>107</sup> In manuscripto mendose: nocuisse.

<sup>108</sup> Vicus comitatus sive præfecturae Beregiensis.

<sup>109</sup> Miserrima principissa, quacum maritus Sigismundus Báthory vivere nec potuit, nec voluit, exeunte Aprili 1599. Transylvaniam reliquit et remotissimo quodam Tirolis loco monasterium intravit.

<sup>110</sup> Subintelligitur hoc loco factum illud, quod Ordines Transylvaniae in locum Sigismundi Báthory abdicati, die 30. Martii 1599. cardinalem Andream Báthory, e Polonia revocatum, principem elegerunt, quem tamen mense Octobri Michael vaivoda Valachiae Transalpinæ profligavit atque, ut illius haeredem in palatium Albensem semet intrusit.

<sup>111</sup> Uxor eius fuit Helena Körösi.

<sup>112</sup> Nicolaus Micatius: 1598—1613.

<sup>113</sup> Idest Michael vaivoda Valachiae.

<sup>114</sup> Mendose: frequentia.

<sup>115</sup> Inter Michaelem vaivodam Valachiae, Transylvaniam invadentem, et cardinalem Andream Báthory in campis ad Sellembert (Schellenberg) prope Nagyszeben, decernebatur.

<sup>116</sup> Confer ea, quae de hac sepultura in relatione de anno 1599. legi possunt.

- 117 Huius rei ipse Basta simili modo in suis litteris fecit mentionem.  
 (Ep. Bastae I. 413.)
- 118 Ad pagum Miriszló nominatum.
- 119 Ex iis Ioannes Lascovius et Ioannes Laskovius 7. et 16. Decembris 1600. Romam pervenerunt. (F. R. H. vol. II. pag. 11–12.)
- 120 Vécs ad ripam fluvii Maros.
- 121 Stephanus Bodonyi de Vajda-Szent-Ivány, Sacri palatii Romani comes.
- 122 Media altera est familiae Bánffy.
- 123 Mendose: artii.
- 124 Secundum suum epitaphium: D. Georgius Eniedinus superintendens ecclesiarum Unum Deum Patrem et Mediatorem Iesum profitentium et pastor urbis Claudiopolitanae . . . colica passione correptus annoe aetatis suaee 42 extinctus est A. D. 1597. Die 24. Novembris, hora quarta in Enyed et sepultus ibidem. (Viaggio per la Transilvania e Ungheria fatto dall' Abbate Domenico Sestini nell' anno 1780 — Firenze, 1815. — pag. 116.)
- 125 Mendose: Gialvensium.
- 126 In libro mendose: examinatum.
- 127 Mendose: forina.
- 128 In libro mendose: castris.
- 129 In originali: Haec sunt breviter, quae hoc anno per *nostros* ope Divina confecta, multis silentio involutis ad VV. RR. et chartularium transmittere iudicavimus. Speramus adiuti vestris sanctissimis sacrificiis et orationibus futurum, ut anno insequente fructus edamus ubiores. Claudiopoli, 28. Decembris 1600.
- 130 De deditione arcis Albensis et de excessibus militum in litteris generalis Bastae haec leguntur: Hor saprà che alli 7 Maggio 1603 il castello di Alba si rese a patti, che furno poi mal osservati, perchè usciti che furno gli assaltorno e tagliorno a pezzi. (Ep. Bastae II. 231.)
- 131 De proventibus huius temporis collegiorum Claudiopolitani et Albensis in rationibus camerarii salium, Ioannis Thordai haec continentur: In seminarium Claudiopolitanum et collegium Albense Jesuitarum ex deputatione domini Sigismundi principis annuatim in paratis dantur 2400 floreni. (Comitis Josephi Kemény Collectio minor manuscriptorum historicorum II. Manuscriptum Musaei Nationalis in Kolozsvár.)
- 132 In libro excusso mendose: reduntur.
- 133 In manuscripto: in festo.
- 134 Theodor Beza reformator Genevensis et celeberrimus scriptor ecclesiasticus, mortuus anno 1605.
- 135 Arx Husztensis hoc tempore dioecesi Agriensi est adnumerata.
- 136 Connumeratio haec in manuscriptis non exstat, eaque occasione redactionis compilabatur.
- 137 Incolae civitatis Kolozsvár Unitariae confessionis collegium Societatis Jesu die 9. Junii 1603. aggressi sunt et destruxerunt.
- 138 Generalis Basta, editio de 2. Octobris 1603. dato, senatum civitatis Kolozsvár ad restituenda Jesitarum bona adstrinxit: Quoniam ecclesiam pro ecclesia a vobis destructa R. Patribus Societatis Jesu possidendum dedimus et concessimus, quare necesse est omnia adiuneta, quae antea fuere, adiungantur etiam in praesenti . . . non solummodo molendinum, sed etiam hortos, vineas et alia omnia ad domum parochiale et ecclesiam pertinentia vel pertinere debentia. (Mon. com. Trans. V. 236.)
- 139 De hisce rebus in ephemerede quadam anonyma de 20. Octobris 1603. haec referentur: Con lettere de particolari di Transilvania si conferma che in Claudiopoli eran stati introdotti gli padri Giesuiti in tutte le case et claustri, ne' quali solevan alloggiare et tener le scole gli Ariani. Et che non solo gli predicatori e preposti di quella setta fossero stati cacciati, ma anco tutti gli loro seguaci. (Arch. Vat. Roma. Borghese III. 51. a. fol. 323.)
- 140 De persecutione eorum et generatim de rebus hoc anno gestis P. Alexander Dobokai S. J. (ut testis ocularis) in suo diario haec annotavit: Anno 1603. venit Székely Moyses, missus in Aprili in Transylvaniam. Basta obcessus in Ujvár 15. Maii, ego miraculo conservatus, veni Claudiopolim inde die Pentecostes. Eodem anno nostri expulsi Claudiopoli, 9. Septembris sequi debuimus castra usque ad 20. huius; qua die ivimus in Görgény. Eodem

anno fusus est Moyses Székely ad Coronam et interfectus. Discessimus ex Görgény versus Bastam. Die 22. Septembris deducti sumus cum Patre Maiorio sollemniter Claudiopolim. 23. eiusdem accepimus templum, scholas, domum parochiale. 28. eiusdem feci primam concionem in foro, in maiori templo. (P. Stephanus Katona: Historia critica regum Hungariae, stirpis Austriacae tom. 28. pag. 202.)

141 P. Alphonsus Carrilius.

142 Subintelligitur hoc loco opus Patris Ioannis Argentae «De statu Societatis Jesu in regno Poloniae» inscriptum, in cuius fine speciali capite de Transylvania disserit.

143 In libro excusso mendose: Nemiz. (Oppidum, Valachice Piatra Neamțului nominatum, cum arce veterima, ab equitibus Teutonicis aedificata.)

144 Hieremias Movila ab anno 1595 ad annum 1606.

145 Fr. Bernardus Quirini.

146 Mendose: Sossavam et Valeriae. (Loco Valachiae.)

147 Sigismundus III. rex Poloniae: 1587—1632.

148 In libro excusso mendose: triduo.

149 Moises Székely die 17. Iulii 1603. in proelio ad molendinum papyri Brassoviense occisus est.

150 Episcopus Camenecensis fuit Paulus Wolucki.

151 Huius rei etiam historia domus Jesuitarum Cracoviensis mentionem facit; pag. 224. tomii nostri.

152 Forsan Wladislaus VII. qui postea (1632) patri suo successit.

153 Claudius Rangone episcopus Regiensis nuntius in Polonia.

154 Assertio haec in libro edito omittebatur.

155 In manuscripto: Girochi.

156 Alinea haec deest in libro excusso.

157 In libro excusso mendose: centurionum.

158 Captivatus erat 7. Septembris 1603. et fuit in captivitate 7 menses. (Szam. IV. 203.)

159 Georgius Blandrata medicus, natione Italus Pedemontanus, qui e Polonia reginam Isabellam secutus Transylvaniam ingressus erat, ubi etiam regina mortua (1559) curiae principali inserviebat. Hic primo Calvinianae, dein Unitariae confessionis erat propugnator usque ad mortem Francisci Dávid; posthac autem theologiae valedixit et arti tantummodo medicae operam dedit decem fere annis, usque ad necem suam vere anni 1588. Albae Iuliae insecutam.

160 Adamus Hoffkircher, de quo etiam Szamosközi scribit, Operum tomo IV. 203, 268—9.

161 Ludovicus Granatensis Ord. Praedicatorum, SS. Theologiae professor; mortuus anno 1588.

162 Particula haec de conversione Trausneri in opere typis mandato omittebatur.

163 Basta exeunte anno 1603. titulum comitis de Huszt accepit et vere anni 1604. Transylvania recessit, comitatum et arcem Husztensem ingressurus. (Ep. Bastae II. passim.)

164 Etiam haec alinea gravis momenti delebatur Romae, occasione ex cussionis libri.

165 Aedificatio ecclesiae in foro civitatis Claudiopolis anno 1414. est finita.

166 Petrus Petrovics de Szuraklin mortuus est 15. Octobris 1556 Claudiopoli et legavit omnes suas possessiones principi Ioanni Sigismundo.

167 Vicegeneralis hic Bastae erat similiter natione Italus, Thomas Cavrioli (Capreolus) nominatus.

168 Erat hic Fr. Emmanuel Neri (Niger) die 9. Iunii 1603. in sanctuario ecclesiae trucidatus.

169 Mendose: Bornozza.

170 Non facta hic referuntur, similia etenim famis exemplaria etiam Szamosközi coaevus uberioris annotavit. (Opera sua vol. IV. 177.)

171 Data haec summi sunt momenti fontes historiarum, analectis enim hucusque penitus ignotis scientiam nostram reddunt pleniorum.

172 Iudex primarius civitatis Claudiopoli erat hoc tempore Emericus (Gellyén) Bogner.

- 173 Mendose: Mardt, in codice Viennensi Alardt.  
 174 In libro excusso: huic rei provideat.  
 175 Assertio haec in libro typis vulgato omittebatur.  
 176 In libro hucusque tantum editum est, pars itaque sequens, quamvis summi momenti, delebatur.  
